
3 1761 067394493 2

v.Y.

OPVSCVLA VARIA
DE
LATINITATE
IVRISCONSVLTORVM
VETERVM

IVNCTIM EDIDIT

ET

ANIMADVERSIONES ADIECIT


CAROLVS ANDREAS DVKERVS



LIPSIAE

APVD FRIDR. GOTTH. IACOBAEERVM

1773.


K. U. & L. B.
STRASSBURG

PERILLVSTRI

EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO

DOMINO

HANNS GOTTHELF DE GLOBIG

DYNASTAE IN ZEHISTA

RELL.

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE

CONSILIARIO INTIMO

SENATVS SVPREMI ECCLESIASTICI

PRAESIDI

PERILLVSTRIS

EXCELLENTISSIMEQVE

DOMINE



Est ea, DOMINE PERILLVSTRIS, TVA *in omnes, qui literis se dicauerunt, prolixi animi adfectio, vt, qui hoc vitae institutum persequatur, indignum habeas neminem, cui liberos ad fauorem* TVVM *aditus velis apertos. Neque aliam insignis* TVA *erga literatos omnes facilitas desiderat commendationem, quam quae a studio bonas literas quocumque modo iuuandi ducatur. Satis idonea haec mihi caussa visa est, cur nouam huius libelli editionem* PERILLVSTRI TVO *nomini inscribere sustinerem. In quo etsi nihil sit praestitum, quod ad perfectionem accedat,* TVAque, DOMINE, *grauitate dignum possit existimari, sperem tamen, futurum, ne id, quod adgressus sum, quale-*

cumque ſit, omnino TIBI *aſpernandum videatur. Declarare ſaltem volui, qua via procederem in proſequendo ſtudio Theologico. Quam vbi intellexero,* DOMINE PERILLVSTRIS, *non prorſus fuiſſe* TIBI *improbatam, nihil antiquius ſum habiturus, quam vt grauiſſimi* TVI *iudicii auctoritate vel confirmatus, vel incitatus magis, in ea pergam, omnesque in hoc meos collocem labores, vt eccleſiae, quam omnes debemus, non inutilem forte, ſi Deus voluerit, operam aliquando praeſtare poſſim. Deus Optimus Maximus vitam* TVAM *valetudinemque ita diſpenſet, vt literas literatosque fouere ſummo* TVO *patrocinio per plurimos annos tuerique poſſis*

PERILLVSTRIS

EXCELLENTISSIMEQVE

DOMINE

NOMINI TVO

addictiſſimus cliens

Ioannes Petrus Schmidius



LECTORI AEQVO

Etsi superuacaneum forte cuidam possit videri, libello huic, post Dukerum, virum in omni eruditionis genere versatissimum, nouam addere praefationem, aequos tamen arbitramur reperturos nos iudices, quibus praefandi caussa non omnino existimetur improbabilis. Mittimus consuetam editorum rationem, librum, in quo leuem plerumque aliquam operam collocauerunt, laudandi, horumque vtilitatem atque praestantiam ad taedium interdum commendandi. De libri huius vtilitate vulgatum iam summorum virorum est praeiudicium. De opera, quam in eo impendimus, nihil est, quod moneamus, cum nihil praestitimus. Indicandum tamen duximus, quod ea, quae in editione priore ad calcem sunt adiuncta, addenda, textui, vbi debebant, inseruerimus, notauerimusque in margine numerum paginarum editionis Batauae, vt, qui hac vsuri essent, facili negotio possent inuenire, quae ad paginarum priorum seriem adferuntur. Videba-

tur autem hicce libellus talem tractare materiam, quae nobis opportunam daret occasionem, adcuratiorem paullo, pro nostra facultate, disputationem instituendi de eo, num libri veteres iuris ab solis Iureconsultis, an et ab Theologis, et eis, qui humaniorum literarum volunt et esse et haberi doctores legi debeant tractarique.

Contendimus et validis demonstrari posse confidimus argumentis, lectionem librorum antiquorum iuris et Theologis et eis, qui humanitatis studia profitentur, aeque esse necessariam et vtilem, quam Iureconsultis.

Nemo, qui Iurisscientiae hodiernae non plane est rudis, ignorat, quam parum id sit, quod ex antiquo iure Romano obseruetur, aut variis de caussis obseruari possit. Permulta enim, vt fit, Principes edictis aut mutauerunt, aut nouis propositis legibus, quae ad suas ciuiumque rationes magis essent accommodatae, omnino antiquarunt, imo apud Anglos publice accepimus cautum, ne quis omnino Romani iuris quidquam in foro adhiberet. Non itaque est mirandum, ipsorum etiam Iureconsultorum hodie paucos exstare, qui illos libros, inprimis Graeco sermone scriptos, adeant. Iure hoc fiat et ad exemplum summorum virorum, quos superior aetas tulit, alii dispiciant. Videntur saltem ii, qui vulgaribus litibus, vnde argentum lucrentur, inhiant, ab odiosa et difficili sane hac lectione liberandi. Malunt enim, dum rebus suis prospiciant, ob-

scuri

ſcuri ignotique latere, quam Cuiacii, Gothofredi, paucorumque aliorum veſtigia ſequentes, et vniverſae rei litterariae vtilitatem, et ſibi apud poſteros nomen gloriamque parare. Fruantur hi illis, quae expetunt, capiantque ex litium tractationibus eam, quam volunt, delectationem. Quodſi autem tam exiguus eſt numerus eorum, qui hos libros adhibent, non immerito poteſt exiſtimari, paucos huic labori ſufficere. Nam ſi eorum, iurisque, quod in eis proponitur, anguſtis, vt docet experientia, finibus circumſcriptus ſit vſus, nemo eius tam poterit eſſe amans, qui non exiguam vel legendi eſſe neceſſitatem, vel non dignam taedioſo labore vtilitatem, vltro fateatur. Sed an ideo, quia Iureconſulti, quod paucorum cum pace dictum velimus, oracula ſua antiqua vulgo ſpernunt, eosdem et Theologi et humaniorum literarum doctores imitari ſuſtinebunt? Experiamur, num eas rationes proferre noſtrarum ſit virium, ex quibus intelligatur, Theologis et humaniorum literarum profeſſoribus iſtorum librorum lectionem et vtiliſſimam eſſe et maxime neceſſariam. Vellemus optaremusque vehementer, id iam dudum eſſe actum, ne Gothofredus, Valeſius, et alii rerum permultarum melius et adcuratius explicatarum gloriam Theologis praeripuiſſe putarentur. Sed haec mittamus.

Nulla eſt res, quae multis inde a ſaeculis, maiore cum vi, animorumque contentione et acerbitate ſit agitata, quam ius illud, ſiue potius

licentia, quam episcopi Romani cum in vniuersam ecclesiam, tum in Imperatores Romanos, inprimis post Ottones, sibi vindicare adnisi sunt. Et hos conatus, quibus viis episcopi Romani fraudibusque perfecerint, et quanto opere doctores primum antiquae ecclesiae, et postea Imperatores Romani, praesertim ex Germanorum natione, contra contenderint, quasque hi, dum sua sibi eripi nollent, perpessi sint indignitates, historia satis docet. Nullum fere fuit tempus, quod non vnum alterumue hominem tulerit, qui aut eis eruditionis praesidiis esset instructus, aut ea praeditus animi fortitudine atque constantia, vt conatus episcopi Romani nefarios esse intolerandosque dicere palam et posset et auderet. Doctores antiquae ecclesiae iam hoc egerunt, vt crescentem nimis episcopi Romani potentiam continerent. Exstant, vt notum est, libri, in quibus omnis aetatis hac de re testimonia congesserunt eruditi. Quae testimonia etsi satis valent, nescio tamen, an ita sint firma, vt nullis interpretationis fraudulentae calumniis labefactari possint euertique. Nam est haec humanae sollertiae pessima ratio, vt ea, quae vera esse velit et optet, omnibus modis adstruere conetur. Contra quos fraudis et malitiae impetus quin nouis semper pugnandum sit artibus, neminem putemus negaturum. Nos quidem, qui a pontificis Romani sacris et artibus sumus alieni, ea quae iam dudum adlata sunt, probamus. Sed illius sectatores aliter faciunt. Sciunt ea, quae ex scri-

ptura

ptura ſacra afferuntur, et ex doctoribus eccleſiaſticis, aut peruertere, et vel ita, quae volunt, defendere, aut vbi hoc non procedit, variis, qua ſunt ſollertia, ludificationibus, vim omnium ita imminuunt, vt triumphum tandem conſequutos ſe arbitrentur. Ad loca Patrum hoc ſaltem cum ſpecie aliqua obiicere poſſe videntur, vt dicant, eſſe haec ſcripta priuatorum, qui inuidia, odio, aut alia quacumque de cauſſa epiſcopi Romani ius et auctoritatem legitimam imminutam voluerint aut plane ſublatam. Sed an et idem illis continget, vbi facta contra collocamus, vbi teſtimonia ſcriptorum publicorum, id eſt, leges, quas Principes tulerunt, in rem praeſentem adducimus, et haec quidam tam clara et perſpicua, vt nulla fraude alio poſſint detorqueri?

Negari non poteſt, quod ſub primis iam Chriſtianis Imperatoribus magna fuerit epiſcopi Romani auctoritas; Iuſtiniani certe temporibus omnes reliquos, etiam patriarchas, dignitate et ordine anteceſſit, vt patet ex *Nouell. 131. c. 2.* At haec habuere non per ſe, ſed partim propter magnitudinem vrbis, in qua eſſent, partim liberalitate principum. Iuſtinianus ſaltem primo loco ponit patriarcham Romanum, ſecundo Conſtantinopolitanum. Longe vero alia his temporibus erat epiſcopi ſiue patriarchae Romani auctoritas, quam ea, quam ſaeculis ſequentibus ſibi ſumſerunt. Ipſi Romani epiſcopi, cum aliis et omnibus omnino clericis, cuiuscumque eſſent gradus dignitatisque, Imperatorum imperia

agno-

agnofcebant. Clariffimum hoc eft ex innumeris legibus et edictis. Principes enim, inde a Conftantino Magno, omnes, vbi aut nouas leges ferrent, aut priores addendo, detrahendo, mutando, ad voluntatem fuam temporisque rationem informarent, ita femper loquuntur, vt ab omnibus, qui imperii fui finibus continerentur, etiam hominibus ecclefiafticis, eas velint obfervari. Exemerunt quidem a quibusdam epifcopos et reliquos clericos, fed faepe numero difertis verbis dicunt, nulli prorfus homini legis effe vacationem. Cuius rei deinde adferemus exempla. Si igitur leges ad omnes pertinuerunt, nemo negare poteft, etiam patriarcham Romanum illis parere debuiffe, et nifi paruerit, poenas legibus propofitas fuiffe fubiturum. Iuftinianus certe in *Nouell. 123. c. 3.* de patriarcha Romano eodem, quo de ceteris, modo loquitur, in omnes idem fibi ius vindicat, easdemque omnibus, fi contra fecerint, poenas minitatur. Qua ratione factum eft, vt hoc fibi iuris etiam in patriarcham Romanum fumerent Principes, nifi perfuafum habuiffent, etiam hos imperia fua debere revereri? cur fanctiffimi patriarchae Romani hanc Principum, profanorum hominum, fiue fuperbiam, fiue crudelitatem tulerunt, illosque in aliena irrumpere funt paffi, et ne verbum quidem contra miferunt? Non fuere fane fequentium faeculorum patriarchae Romani hac modeftia, vt Imperatoribus quidquam in fe iuris concederent, aut concedere vellent.

Eadem

Eadem fuit ratio aliorum episcoporum. Nemo horum Romano, omnes Principi paruerunt, imo apud illum ab initio ne quidem accusari potuerunt. Quodsi lis de quadam re et controuersia esset orta, deferebatur ea, non ad vnum episcopum, sed ad plures siue ad synodum, quae eius erat dioeceseos, vt ex locis infra adferendis adparebit. Instituit postea Iustinianus in *Nouell. 123.* vt metropolitanus et patriarcha, intra suae quisque dioeceseos fines iudicia exercerent, clericorumque inferioris ordinis, quae deferrentur, crimina cognoscerent. Disertis verbis cum haec dicat Iustinianus, velimus doceri ab iis, qui pontifici Romano omnia tribuunt, nihilne agnoscant, quod datum sit huic ab Imperatore, quodque vt daret, nulla re cogeretur? Porro, an alia ratione Princeps, cum patriarcha Romano, cum aliis, cum episcopis, et omnibus clericis agat, atque cum militibus, agricolis, mercatoribus? Videamus autem, quae fuerint caussae, quas primum episcopi siue synodus dioeceseos, et postea ex Iustiniani praescripto metropolitani et patriarchae iudicauerint. Apparet hoc multis ex locis e. c. e *Cod. Theod. lib. XVI. tit. 11. de Relig. l. 1.* vbi diserte dicitur, *quotiens de Religione agitur, episcopos conuenit iudicare. tit. 2. de Episcopis l. 23. si qua sunt, ex quibusdam dissensionibus leuibusque delictis, ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis et suae Dioeceseos synodis audiantur.* Neque aliter Iustinianus. Caussas hic leuiores, quae sunt de re pecu-

pecuniaria, aut ecclesiasticam spectant disciplinam, episcopis, praepositisque monasteriorum dat cognoscendas. vid. *Nouell. 123. c. 21. sect. 3.* Dantur igitur episcopis, non a patriarcha Romano, qui et ipse accipiebat, sed ab Imperatoribus, quod ob aliarum rerum fortasse multitudinem ipsi non poterant administrare, aut praefectis prouinciarum magistratibusque committere nolebant. Et prudenti hoc videtur factum consilio. Vero simile enim erat, patriarchas et episcopos, rerum sacrarum, cerimoniarum, et disciplinae ecclesiasticae peritos, talia melius cognoscere posse atque diiudicare, quam homines rerum ciuilium adsuetos tractationi. Partem itaque oneris sustinebant patriarchae et episcopi, quam his, quo leuaretur, Princeps imposuit. Neque tamen ita episcopi et clerici ab omni iurisdictione ciuili erant exemti. Constantius quidem vetat *Cod. Theod. lib. XVI. tit. 2. l. 11. episcopos in iudiciis accusari,* i. e. apud iudices ciuiles. At hanc legem nihil omnino efficere ad demonstrandum, episcopos semper et in omnibus caussis apud Synodum debuisse accusari, iam docuit Gothofredus, in Commentario ad h. l. et clarissime apparet ex *l. 23. tit. 2.* in qua postquam dictum est, Controuersias de Religione pertinere ad Synodum, sequitur: *Exceptis quae actio criminalis ab Ordinariis extraordinariisque Judicibus etc.* Cuius legis vim cum sentiret Baronius, a Gothofredo adductus, dixit, *episcopos* (et sine dubio inter hos Romanum) *fuisse*

graui-

grauiora crimina per ſaeculares iudices exerceri. Quod quale ſit nemo non videt. Ridiculum enim, alteri velle aliquid gratificari, quod debeas, aut cogere quemdam, qui noſtri iuris non eſt. Debebat prius docere Baronius, nihil in epiſcopos iuris fuiſſe Principibus. At leges et edicta Imperatorum euincunt contrarium. E multis vnam afferamus. Loquitur, vt de re notiſſima, Valentinianus, in *Nouell. tit. 12. de Epiſcop. Conſtat Epiſcopos et Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis cauſſis praeter religionem poſſe cognoſcere.* Cauſſa eſt in promptu. Quomodo enim ſperari aut poſtulari poterat, vt epiſcopi, qui ſacra inprimis tractare deberent, eam legum antiquarum et nouarum, immutatarum ſaepius et abrogatarum, notitiam haberent, vt ad harum normam cauſſas cognoſcere poſſent atque diiudicare. Epiſcopi igitur, metropolitani, patriarchae, quam iurisdictionem exercuerunt, eam habuere liberalitate Imperatorum. Et hi, quae ſua eſſent, dederunt illis, ſed non ita, vt non ſubinde aut ipſi, aut per praefectos prouinciarum iudicia in clericos exercerent. Exemplum licet non adſit, ex quo appareat, Principes ipſos in ſingulos epiſcopos eas, quas legibus propoſuerunt, poenas adhibuiſſe, non tamen dubitandum eſt, quae edictis promulgaſſent, et ipſos ea potuiſſe perficere. Permiſſum etiam fuit patriarchis poenas conſtituere, quas ipſi vellent, ita tamen, vt magiſtratus eas exſequeretur. Erat et hoc Principis inſtitutum beneficio, vnde nonnunquam ab hoc ratione

tione eſt receſſum, inprimis, vbi poena ab epiſcopo iniuncta nimis videretur acerba, iniuſtaue. Ab integro tunc magiſtratus rem cognoſcebant, et ſi neque hi componere partes poterant, integra res Principis arbitrio erat reſeruanda. vid. *Nouell.* 123. *c.* 21. Licuit etiam, imo a Iuſtiniano eſt inſtitutum, vt clericus, praeſertim in cauſſis capitalibus, ad magiſtratus ciuiles adductus poenas apud hos daret. *l. c.* Cuius rei inſigne eſt exemplum in *Nouell.* 115. Fuit epiſcopo cum diacono quodam controuerſia. In hac, licet vterque eſſet clericus, non ſynodus dioeceſeos, vt primo Imperatores inſtituerunt, non patriarcha, vt Iuſtinianus edixit, multo minus pontifex Romanus, lectus eſt iudex. Cauſſa eſt delata ad praefectum prouinciae, et cum alterutri parti huius ſententia non ſatisfaceret, ad Principem eſt prouocatum. Et vero etiam Iuſtinianus recepit eam, probauit, inſtituitque, quid in poſterum, ſi ſimile quid acciderit, eſſet faciendum. Patet inde, illorum temporum clericos exiſtimaſſe, poſſe Imperatorem ortas inter ſe diſſenſiones componere. Neque hoc aegre tulit patriarcha Romanus, vim ſaltem et tela ſua in Imperatorem emittere ei haud eſt viſum.

Quae ratio inualuerit, et hodie obſeruetur, in ordinatione epiſcoporum, praeſertim Germanicorum, notum eſt. Nihil huius antiqua vidit eccleſia, audiuitque. Omnia, quae ad hanc rem pertinerent, pependerunt ex Principis arbitrio.

Magnus

Magnus numerus exſtat talium legum, quibus non ſolum praeſcribunt, cuius generis homines epiſcopi, omninoque clerici fieri debeant, ſed etiam nonnulla, quae iam iis temporibus fieri conſueuerant, vt non probanda, interdicunt. Notabilis eſt in hanc rem *Nouell. 123.* Eligunt clerici epiſcopum, adhibitis etiam principibus ciuitatis. Quam conſuetudinem non recens fuiſſe inuectam, tum aliis rationibus poteſt probari, tum hoc, quod Iuſtinianus de ea loquitur, vt iam vſitata et vulgo nota. Prohibuit etiam *l. c. c. 2.* ne quis epiſcopatus honorem acciperet, ordinareturue, ſi eſſet accuſatus, lisque nondum compoſita. Quodſi contra eſſet factum, vult, vt et qui ordinatus ſit, deiiciatur epiſcopatu, et qui ordinauerit, per anni ſpatium munere remoueatur, huiusque bona auferantur. Quoque ſeuerius id voluiſſe obſeruari appareat, eadem repetit *Nouell. 137. 3.* Nullum hac lege cum videamus exemtum patriarcham, quam rationem Romanus proferet, qua ſe exemtum fuiſſe cuidam perſuaſurum arbitretur? Sed non ſolum epiſcoporum curam ſibi ſumſerunt Principes, verum etiam inferioris ordinis clericorum. Multi iam antiquis temporibus fuerunt, qui ſuperſtitione aut quod ſanctitatem quamdam praecipuam in eo putarent, ordini clericorum ſe adgregarent. Cui malo latius in dies ſerpenti multis legibus occurrendum duxerunt Imperatores. Valentinianus *l. 17. tit. 2. de Epiſcopis, lib. 16. Cod. Theod.* dicit, *Plebeios diuites ab Eccleſia*

ſuſcipi penitus arcemus. Ex quo praeterea apparet, iam eo tempore clericos diuites maxime homines numero ſuo voluiſſe adſociari. Declarant porro Principes, ex quo genere hominum debeant clerici eligi. Diſertis verbis dicit Imperator, *Epiſcopi (Clericos) ex Monachorum numero rectius ordinabunt. l. 32. tit. 2. lib. 16. Cod. Theod.* Et ne numerus clericorum, in infinitum auctus, oneri eſſet ciuitatibus, voluerunt, vt defuncto demum clerico alius ſubſtitueretur. *l. c. l. 6.* Ne vero idonei rebus gerendis homines, inprimis diuites, ſibi patriaeque ſubtraherentur, edixerunt, vt nouus clericus talis eſſet, *cui — neque eſt opulentia facultatum, quae publicas functiones faciliime queat tolerare,* adduntque, ſi talis homo iam factus ſit clericus, *vt exemtus — ciuitati tradatur l. c.* et clarius etiam *l. 3. praecipimus — illos, qui poſt legem latam obſequia publica declinantes ad Clericorum numerum confugerint, procul ab eo corpore ſegregatos, Curiae ordinibusque reſtitui, et ciuilibus obſequiis inſervire.* Et haec dicit non ille Princeps, qui Chriſtianam religionem auerſatur, contemnitque, ſed Conſtantinus Magnus, qui, vt hiſtoria docet, nihil non fecit, quo Chriſtiana ſacra, quae ipſe amplexus erat, eſſent tuta, et per omne imperium Romanum, nemine impediente, propagarentur. Obſeruandum etiam, vota monaſtica neminem, qui ſuſcipere eſſet coactus, debuiſſe ſeruare. Maiorianus in *Nouell. tit. 8. de ſanctimonial. ſi quae,* inquit, *virgo a patre fuit coacta,*

vt

vt ſanctimonialis fieret, ne liceat ante annum quadrageſimum honorato capitis velamine conſecrari. Qui autem hoc perfecerit diaconus, *proſcriptione* erat puniendus. Imo ſi quae virgo ante quadrageſimum annum exire vellet monaſterio, et nubere, diſerte praeſcribit Princeps, vt huius rei *licentiam ſortiatur.* Duo praecipue ex hac Maioriani Nouella poſſunt demonſtrari; primum, ſi quis vellet exire monaſterio, non neceſſe fuiſſe, vt huius rei a patriarcha Romano peteretur facultas: ſecundum, debuiſſe virgines, quae ſacris monaſticis initiarentur, ea eſſe aetate, vt maturo illa iudicio poſſent conſiderare, et eo animo, vt lubentes, neque inuitas tale vitae genus ſuſcipere appareret. Pauca haec ſufficere putamus, ad docendum, Principes, epiſcopos, omnisque omnino ordinis clericos, eodem loco atque numero habuiſſe, quo alios, qui imperii ſui finibus continerentur. Sunt longe plura, ſed quae praefationis modum excedunt, et quae ſi omnia vndique collecta, iuſte tractarentur, haud exiguae molis librum eſſent completura. Quae num Theologis ſint cognoſcenda, et quanta poſſunt, cura pertractanda, facile videtur ad intelligendum. Ad alia pergamus, ita tamen, vt quaedam ſtrictim attingamus.

Maxime intereſt Theologorum, vt ſciant poſſintque docere, quibus rationibus et ſacra Chriſtiana ſub primis Chriſtianis Imperatoribus ſint propagata, et quomodo religio gentilium

paullatim ſit imminuta, tandemque euanuerit. Conſtantinus Magnus ſacra amplexus Chriſtiana, ſolusque imperio potitus, nequaquam id ſibi datum putauit, vt religionem gentilium vi aut quibus modis poſſet, ad exemplum priorum imperatorum, tolleret. Seruabant gentiles ſua templa, et quae antiquitus habebant, ea ſub Chriſtianis principibus aliquamdiu relicta fuere. vid. *Gothofred. Paratit. ad tit. 10. lib. 16. Cod. Theod.* Conſtantius primus edixit, vt ſacrificia a gentilibus in templis adhuc fieri ſolita (nam lex, qua pater prohibuit, non exſtat) ceſſarent. *l. 2.* iterumque, ſimul vetans cultum ſimulacrorum, *l. 6. tit. 10. lib. 16. Cod. Theod.* Relicta tamen adhuc erant templa, quae extra muros vrbis Romae erant, praecipiente ſic Conſtante *l. c. l. 3.* addita hac cauſſa, quia ex eorum nonnullis ludorum quorumdam ad populi delectationem celebratorum trahenda ſit origo. Paullo poſt tamen Conſtantius *l. c. l. 4.* iubet, vt templa protinus claudantur, fortaſſe quia praefecti et rectores prouinciarum, templis apertis, ſacrificia et cultum ſimulacrorum permitterent. Steterunt tamen, et ſalua manſerunt, quia erant vrbium publica ornamenta, vt dicit Honorius *l. c. l. 15.* At non perpetuo, ſaltem non ante hoc Honorii edictum, fuiſſe id obſeruatum, docemur ex *l. 8. l. c.* in qua Theodoſius Magnus de templo quodam in Oſdroëna prouincia, ſimulacris ornato, edicit: *Aedem, — in qua ſimulacra feruntur poſita, artis pretio quam diuinitate metienda,* iugiter

iugiter patere, publici consilii auctoritate decernimus, sed addit in fine, *ne illic prohibitorum vsus sacrificiorum, huius occasionis aditu, permissus esse credatur.* Templorum diruendorum, et eorum quidem, quae erant in agris, initium fecit Arcadius anno 399. addit tamen, *sine turba ac tumultu diruantur. l. c. l. 16. tit. 10.* Operi, vt videtur, finem imposuit Theodosius Iunior, qui paganorum sacrificia ademit, templa destruxit, vt perpauci superessent antiquae superstitionis sectatores, quos fere nullos esse se credere dicit *l. 22. l. c.* Multum inprimis in hoc, saltem qua externa, vero simile est valuisse *l. 23.* quae sacrificia facientibus etiam capitalem poenam minitatur. Ablata haec gentilibus fana, templa, delubra idem iubet *l. 25.* in vsum religionis Christianae conuerti, et quod notandum, signo religionis Christianae, i. e. cruce expiari. Initiata haec Christianis sacris templa ornabantur priuilegiis, immunitatibus ab oneribus ciuilibus, sed ita, vt haec essent Principum beneficia, qui et iidem, quae dederant, subinde immutarunt, interdum omnino sustulerunt. Memorabilis in hoc est locus *lib. 15. tit. 3. l. 6. Cod. Theod. Igitur ad constructiones reparationesque itinerum pontiumque, nullum genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis, cessare oportet. Domos etiam diuinas ac Venerandas Ecclesias, tam laudabili titulo libenter adscribimus*, cui fere similia praecipit Iustinianus in *Nouell. 131.* Confirmatis prius ecclesiarum omni-

bus ſacrarumque domuum priuilegiis, haec dicit velle ſe; *εἰ μέν τοι ὁδοστρωσίας, ἢ γεφυρῶν οἰκοδομῆς ἢ ἀνανεώσεως χρεία γένηται, κατὰ μίμησιν τῶν ἄλλων κτητόρων, τὸ τοιοῦτο ἔργον καὶ τὰς ἁγίας ἐκκλησίας καὶ τοὺς ἄλλους σεβασμένους οἴκους πληροῦν.* Cum his ſunt coniuncta priuilegia et immunitates clericorum, quae et ipſae cum ſint ex liberalitate Principum, quod docent horum edicta, per ſe intelligitur, potuiſſe hos omnia, quae aliis ciuibus, etiam clericis iniungere. Sed neque in hoc clerici quid habent praecipui. Nam et Medici, Grammatici, aliarumque literarum Profeſſores, eamdem omnium rerum acceperunt ab Imperatoribus immunitatem. vid. *l. 1.* et *3. tit. 12. lib. 13. Cod. Theod.*

Addamus adhuc pauca, in cinnum quaſi coniecta, quae digna obſeruatione videntur. Exercuiſſe Principes late imperium in clericos et inde patet, quod nulli epiſcopo licebat, relinquere eccleſiam, cui erat praefectus, ſine iuſſione Principis, vid. *l. 43. §. 1. Cod. lib. 1. tit. 1. de Summa Trinit.* Inſtituit etiam Iuſtinianus, vt viuentes in matrimoniis viri et feminae ſepararentur, cuius rei curam tradit epiſcopis, minaturque, niſi obedientes fuerint, amiſſionem epiſcopatus, *l. c. l. 44.* Ex quo loco neſcio an colligi poſſit, antea viros et mulieres in monaſteriis vna habitaſſe. Interdicit porro, ne quis presbyter, diaconus, et multo minus epiſcopus, aut ipſe ludat teſſeris, aut omnino ludentibus interſit. *l. c.*

l. c. l. 43. de lud. et ſpectac. Idem vult Leo *Novell. 87.* qui et addit, debere eum, qui deliquerit, poenae loco, per triennium, monaſterio includi. Quod poenae genus et aliis locis praeſcriptum inuenimus, e. g. *Nouell. Iuſtin. 117. c. 2.* de muliere ſine iuſta cauſſa diuortium faciente: de diaconiſſa inhoneſtam vitam agente, *l. c. c. 30.* de presbyteris aliisque clericis, qui falſum teſtimonium dixiſſent *Nouell. 123. c. 10.* Occurrunt *Coronati, tit. 2. de Epiſc. l. 38. lib. 16. Cod. Theod.* vbi Gothofredus in Commentario docet, ſic dictos clericos, propter *coronam* ſiue *tonſuram* capitis, quod iam hoc tempore fuerit inſigne clericorum. Poteſt et ex his libris haud parua vtilitas percipi, in ſingularum vocum vſu recte definiendo, de quibus vulgo non ſatis diligenter praecipitur, et rixis ſaepe et contentionibus datur occaſio. Notum eſt, quomodo abutantur pontificii in articulo de bonis operibus, verbo *mereri,* et quibus argutiis diſtinctionibusque expedire ſe conentur. Poſſumus illis concedere, quod volunt, *bona opera mereri etc.* et tamen nihil proficiunt ad ſuam ſententiam ſtabiliendam. Praeterea enim, quod illis iam obiectum fuit, *mereri* antiqua Latinitate ſignificare, conſequi, permulta etiam in hac legum collectione ſunt loca, in quibus prorſus idem ſignificat, ſine vllo ad quoddam meritum reſpectu. Et hic eſt ſermo vſitatus eo tempore, omnibusque vulgo notus. e. g. in *Nouell. Theodoſ. tit. 13. de lenonibus: Fidem de exemplis praeſentibus* mereantur

 hiſto-

historiae l. 27. tit. 2. de Episcop. lib. 16. Cod. Theod. neque vllis supplicationibus mereantur *altaria frequentare.* Plura qui velit, adeat Glossarium Nomic. Cod. Theod. sub hac voce. Quid significet *Catholicus*, omnes nouerunt. Plerique autem falsam significationis caussam tradunt. Qui ex Lexicis, vt fit, pendent, Catholicos dicunt orthodoxos, et id recte quidem. At ita hos non dictos esse a multitudine, aut quadam quasi vniuersalitate, patet ex multis legum locis, vbi Catholicus simpliciter dicitur pro orthodoxo, licet hi sint pauci. e. g. *l. 1. tit. 2. de Episcop. lib. 16. Cod. Theod. Haereticorum factione comperimus Ecclesiae Catholicae. etc. l. 11. vt Catholicae legis Antistes et Clerici. l. 5. comperimus, quosdam Ecclesiasticos et caeteros Catholicae sectae seruientes. tit. 1. de fide Cathol. l. 2. C. hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti.* Et haec lex nullo modo ad multitudinem potest referri, quum spectet ad Orientem, qui eo tempore innumeris fere haereticorum familiis erat occupatus. vid. ad h. l. Gothofred. qui et plura adfert exempla. De voce *secta* nihil moneremus, nisi sciremus homines magni nominis haud procul abfuisse, quin alios, qui ea vterentur, in inuidiam adducerent. Antiquam significationem mittimus, quam fortasse hi non admittant. In legibus Principum Christianorum obseruauimus saepissime *sectam* dici sensu optimo, de iis, qui verae et incorruptae doctrinae essent addicti, et ab omni haere-

seos

ſeos ſuſpicione plane alieni. e. c. *l. 6. tit. 5. de haeretic. l. 1. C. nec — libros — Neſtorii aduerſus venerabilem orthodoxorum* ſectam — *habere — audeat. l. 2. tit. 6. ſi quis rebaptizare quempiam de miniſtris Catholicae* ſectae *fuerit detectus. l. 5. tit. 2. de Epiſc. lib. 16. Cod. Theod. Catholicae* ſectae *ſeruientes.* ad quem locum Gothofredus ſatis multa adtulit exempla. Notandum et hoc duximus, ſub primis Imperatoribus Chriſtianis, die dominica ſolitos fuiſſe homines labores conſuetos exercere. Conſtantinus Magnus primo iudicia, artiumque exercitia interdixit, *l. 3. tit. 12. de feriis C.* Exemti tamen ab hac lege erant, qui agrum colerent, hortos et ſimilia curarent, propter hanc cauſſam, quia *multa pendent ex tempeſtatis opportunitate.* Hocque inſtitutum obtinuit vſque ad Imperatorem Leonem, qui, ne operis quidquam, et ne quidem quod ad agriculturam pertineret, fieret, interdixit, *Novell. 54.*

Haec pauca delegimus, quae ſatis arbitremur demonſtratura, quanta eruditioni Theologicae ex his libris acceſſura ſit vtilitas, ſi maiore diligentia tractentur. Plurima praecipue inde peti poſſunt, quae ad hiſtoriam haereſium pertinent, quorum ſatis magnus numerus in vno Codice Theodoſiano occurrit, praeſertim in Tomo vltimo. De quo non abſurdum videtur adſcribere, quae *Illuſtris* RITTERVS in praefatione dicit: *continet — res, ad eccleſias, eccleſiaſticasque*

perſonas pertinentes, notatu digniſſimas, tantique ponderis, vt a nemine, qui ad tradendam Theologiam applicat animum, niſi cum diſpendio et detrimento inſigni, poſſint negligi.

Neque contemnenda videntur ea, quae ad hiſtoriam Iudaeorum, cognoſcendamque conditionem, qua his temporibus ſunt vſi, pertinent. Non fuere hi homines ita contemti inuiſique, vt pro nihilo paene haberentur. Permiſſum fuit ab Honorio et Theodoſ. vt qui eorum liberalibus eſſent inſtituti ſtudiis, *aduocationes exercerent. tit. 8. l. 24. Cod. Theod. lib. 16.* Quamquam hoc non diu obtinuit. Habuere ſuos patriarchas, aliosque magiſtratus, quique hos gerebant, multarum rerum habuere immunitatem. Huc ſpectare arbitror *l. 12. tit. 6. de Haered. lib. 1. C.* qua interdicitur Iudaeis, et qui plerumque cum eis coniunguntur, Samaritanis, magiſtratum gerere et dignitates habere, quod antea erat permiſſum, ſimul cum hoc, ne liceret, nouas Synagogas exſtruere, *Nouell. Theodoſ. tit. 3.* Nam hos homines tales geſſiſſe magiſtratus, qui Chriſtianorum erant, vix eſt credibile. Datum et illis erat hoc priuilegii, vt in feſtiuitatibus aut Sabbatho, propter nullam cauſſam, neque publicam, neque priuatam in ius poſſent vocari *l. 2. tit. 9 de Iudaeis et Coelicol. lib.* 1. *Cod.* Notatu etiam haud videntur indigna, quae Iuſtinianus in *Nouell. 146.* edicit. Agit ibi de cultu publico Iudaeorum, et inter alia, concedimus, inquit, vt Iudaei

Iudaei in ſacris vtantur textu hebraico, ſed potius habemus, vt adhibeant verſionem τῶν ό (de qua et ipſe Iuſtinianus ſiue alius quis auctor Novellae credidit fabuloſam Ariſteae narrationem, quamquam hanc non nominat) aut verſionem Aquilae: addit deinde, τὴν δὲ καλȣμένην δευτέρωσιν παντελῶς ἀπαγορεύομεν. Varias, cum primum incideremus in hunc locum, de hac δευτερώσει habuimus coniecturas, quum nuſpiam, quae qualisue illa eſſet, explicatum inueniremus. Didicimus tandem ex Bibliotheca Iuris Canonici, eſſe notiſſimum opus Talmudicum, quod Miſchna vocatur.

Ex his clarum eſſe videtur, maxime vtilem et neceſſariam eſſe Theologo, inprimis doctori, librorum veterum Iuris lectionem. Plane habemus perſuaſum, ex ſolis his libris prorſus demonſtrari poſſe, Imperatorem Romanum, vt in omnes clericos et res eccleſiaſticas, ita in epiſcopum ſiue patriarcham Romanum, inde ab antiquiſſimis temporibus, per omnia ſaecula, ius poteſtatemque et habuiſſe et exercuiſſe. Vniverſa etiam hiſtoria eccleſiaſtica maiorem pluribus in capitibus lucem inde capere poteſt atque certitudinem. Quae cum negari vix poſſint, mirandum ſane videtur, qua ratione factum ſit, vt exſtiterint perpauci, qui his libris ita vterentur. Cuius rei neſcio an cauſſa ſit repetenda ex inſtitutione ſcholaſtica. Notum enim eſt, iuuenes adhuc in ſcholis diſcentes, aut nullam

ſere

fere de his libris habere notitiam, aut eos ita ſcriptos putare, vt praeter leges, Iureconſultis tantum cognoſcendas, nihil magnopere contineant, quod aliorum ſcire multum interſit. Inde accidit, vt in Academia, et qui ſtudium Theologicum amplectuntur, eos ſpernant, et ſtudia humanitatis qui maxime tractant, vt barbaro horridoque ſermone deformes, plane alienos ab ſe putent. At hi homines, vt leniſſime dicam, inique agunt et cum his, qui ſuae diſciplinae et fidei ſunt crediti, et cum ipſis literis humanioribus. Quas licet ſemper clament, multum tamen ſuae ipſi detrahunt commendationi, dum horum librorum iuuenibus non oſtendunt vtilitatem neceſſitatemque. Et eſt haec tanta, quanta vix putatur, tamque late patens, vt pauci, et fere nulli ſint antiquorum ſcriptorum, ad quos non pertineat. Oſtenderunt tum alii, tum *Cel.* AYRERVS in praefatione ad Schultingii Iurisprudentiam Ante-Iuſtinianeam, auctorum antiquorum lectionem Iureconſultis ad intelligendas explicandasque leges maxime eſſe neceſſariam. Eadem eſt neceſſitas librorum iuris ad auctores antiquos recte et diligenter interpretandos. Nam hi, vt libros ſuos varia eruditione ornauerunt, etſi vnam tantum rem ſibi tractandam ſumerent, ita et permulta admiſcuere, quae ſine aliqua iuris ſcientia vix intelligi poſſunt. Videmus, ſi tale quid occurrat, quantopere ſe torqueant, qui pueris auctorem aliquem explicant, et quam ridicule plerumque in-

ineptiant, ſi Lexicorum nulla ſunt ſubſidia. Et hoc accidit in poëtis, hiſtoricis, oratoribus. Non hic opus eſt longiore diſputatione, cum ſummi viri I. Fr. Gronouius, Graeuius, Burmannus, et pauci alii, qui his, quam Minelliis, Iunckerisque ſimiles eſſe maluerunt, ingentem exemplorum in hanc rem dederunt multitudinem. Vnus Burmanni ad Phaedrum commentarius ſatis docet, etiam in hoc ſcriptore non pauca eſſe, quae ab Iuris Romani imperito haud facile poſſint explicari. Idem valet de Terentio, inprimisque de Cicerone, cuius, vt notum eſt, toti libri ita ſunt ſcripti, vt ab eo, qui iuris eſt ignarus, non queant intelligi. Neque haec ſolum valent de verbis et loquendi formulis quibusdam, pertinent etiam ad antiquitates cognoſcendas, mutatamque ſemper reipublicae formam. Et quomodo hanc ſcriptores definire potuerunt, niſi adferrent Principum leges et edicta, quibus noui aliquid inſtitutum vellent, obſeruatumque. Atque in his adhibitae ſunt, imo adhiberi debuerunt voces formulaeque forenſes permultae. Omnia igitur, quae cum his ſunt coniuncta, propter iuris ignorantiam ſunt transmittenda, aut neceſſe, vt libros iuris ipſi inſpiciamus, ne aliorum iudicia ſententiasque caeci ſequuti, in fraudem incidamus. At vero haec non ab omnibus poſtulanda ludimagiſtris; qui fere ex Lexicorum vulgatorum pendent auctoritatibus, ſed videntur tantum ad eos pertinere, qui Critici ſunt, humaniorumque literarum docto-

doctores. Illi contenti ſunt, ſatisque ſibi placent, ſi Nepotis aut Virgilii particulam aliquam, prudenter ſcilicet delectam, explicauerint, i. e. ad verbum in vernaculam transtulerint, vulgaremque et patribus decantatam addiderint obſeruatiunculam: at hi humaniorum literarum doctoris nomen ne ipſi quidem ſibi ſumere volunt, nemoque eosdem a propoſito ſemel inſtituto deducere valuerit. Nos ſaltem haec, qualiacunque ſint, eo ſcripſimus conſilio, vt, ſi fieri poſſet, iuuenum ſtudia ad hos libros tractandos aliquando incitare tentaremus.



AMPLIS-

AMPLISSIMO GRAVISSIMOQVE

VIRO

CORNELIO VAN BYNKERSHOEK

IN

SVPREMA HOLLANDIAE ZEELANDIAE
ET FRISIAE CVRIA SENATORI

S. P. D.

CAROLVS ANDREAS DVKERVS.



ur Tibi potiſſimum, Vir Ampliſſime, *haec* de Latinitate Iuriſconſultorum Veterum Opuſcula *offeram, multas cum publicas, tum priuatas, easque aequiſſimas omnes rationes habeo. Nam ſiue mihi idoneus earum controuerſiarum, quae hic non minus de ſententia, quam de ſermone Iuriſconſultorum diſputantur, Iudex deligendus; ſiue Patronus adverſus leuiſſima imperitorum quorumdam hominum iudicia, qui ea omnia, quae ex elegantiorum literarum penu ad Ius Romanum illuſtrandum promuntur, palam adſpernantur, et Iuriſconſulto ne aſſis quidem aeſtimanda vulgo dictitant, adſciſcendus erat; haud facile quemquam inueniebam, quem Tibi anteponendum exiſtimare poſſem. Etenim tanta eſt in Te, praeter abſolutam Legum patriarum cognitionem, Iuris Romani peritia, tanta ſtudiorum humanitatis ſcientia, vt qui Tuam in diiudicandis dirimendisque controuerſiis*

foren-

forensibus prudentiam ac dexteritatem norunt, Te omnem in eo studio aetatem consumsisse putent; ac rursus, qui politissima Tua de Iure Romano scripta, in quibus non pauca, quae ante ibi obscura erant, ope literarum humaniorum in clara luce posita sunt, legerunt, omnem Te in his artibus cognoscendis ac pertractandis operam laboremque posuisse sibi persuadeant.


Quamquam autem, si has solas hunc ad Te Librum mittendi caussas haberem, me vel sic consilii mei rationem facile omnibus probaturum confiderem; tamen aliae me propiores, et domesticae, vt ita dicam, caussae impulerunt, cur ei Tuum Amplissimum Nomen praescribendum esse duxerim. Nam cum, quae praecipuam ei ob raritatem pretium conciliare debent, a Te mihi suppeditata, ac Tuo potissimum hortatu post longum temporis interuallum nunc denuo in publicum emissa sint, ad quem ea reuerti aequius erat, quam a quo profecta, et cuius opera ab obliuione vindicata sunt? quae, si Tu non fuisses, fortassis aeterno situ ac tenebris sepulta in lucem ac notitiam hominum numquam venissent. Sed illud prae ceteris omnibus vel maxime me mouit, quod ita multos iam annos praestanti ac propensa a Te beneuolentia tractatus, ac tot tantisque Tuis meritis obstrictus sum, vt si hanc mihi ea publice praedicandi oblatam occasionem omitterem, non posse me ingrati animi crimen effugere arbitrarer. Mitto insignem Tuam humanitatem, et in amplissimo dignitatis

tatis gradu summam sermonis et omnis consuetudinis sine vllo fastu comitatem: mitto paratissimam Tuam studiorum meorum iuuandorum voluntatem, et in adiumentis eorum mihi ex instructissima Tua bibliotheca subministrandis facilitatem. Hoc vnum, quod multi sciunt, neminem ignorare patiar, Te ita semper mihi, quibuscumque rebus potuisti, commodatum, ita me omni consilio, studio, opera auctum atque ornatum cupiuisse, vt maiori beneuolentia ac fide nemo possit. Quorum singularium Tuorum in me beneficiorum cum nullam partem referenda gratia adsequi possim, saltem quantum id sit, quod Tibi debeam, apud omnes testatum relinquere, et hoc grati mei erga Te animi monumentum publice exstare volui. Tu, Vir Amplissime, hunc Librum eo, quo me soles, vultu atque animo, id est, beneuolo accipe, et summae ac perpetuae meae erga Te obseruantiae pignus certissimum habe. Id si, vt spero, ac propemodum iam confido, feceris, ad ea, quae habeo, Tua maxima merita maximum cumulum addideris. Vale. Dabam Hagae in Batauis a. d. XVII. Calend. Iul. MDCCXI.



PRAEFATIO

DVKERI.



aucis Tibi, *Lector,* occasionem edendi huius Libri, et quid eo contineatur, quae Te praecipue scire velle existimo, edisseram. Anni sunt sex, septem, cum Vir Amplissimus, *Cornelius van Bynkershoek,* inter varios, quos cum eo de re literaria habebam, sermones etiam de Latinitate Pandectarum mentione orta, Libellum mihi, cui Titulus erat *Veterum Iurisconsultorum aduersus Laurentii Vallae Reprehensiones Defensio,* I. C. P. I. C. A. ostendit. Is *Parisiis Anno MDLXXXIII. apud Ioannem Houzé* in forma, quam octauam vocant, prodierat, et Editioni quartae Libri *Nicolai Vallae de Rebus dubiis,* ibidem eodem anno, et ab eodem Bibliopola publicatae, additus erat, et praeter Defensionem illam Iurisconsultorum tres alios eiusdem Auctoris Tractatus, primum, *de Verbis non satis probatae Latinitatis, aut non ex recepta significatione, vel contra Grammaticorum regulas, a Iurisconsultis vsurpatis;* alterum, *de Repetitis iisdem verbis in Digestis;* tertium, *de Etymologiis Iuris Ciuilis* complectebatur. Huius per otium euoluendi vltro mihi Idem Vir Ampl. quae est illius humanitas, et promtum ac paratum omnes, qui in literis

literis proficere cupiunt, adiuuandi ſtudium, facultatem feciſſet, auide ſtatim eam partem, qua Latinitas Iuriſconſultorum notabatur, ad quam et ipſe tumultuaria et extemporali obſeruatione, vt inter legendum adſolet, quaedam adſcripſerat, perlegi. Cumque mihi verba et loquendi genera nonnulla immerito notari viderentur, loca probatorum Scriptorum, quorum auctoritate ea defendi poſſe putarem, congerere coeperam, ac mox notata illa rudia et impolita, vt erant, inter alia, quae ſaepe leuia chartis illini ſolent, abieceram. Nec vmquam mihi deinde de iis non modo publicandis, ſed ne relegendis quidem in mentem venit, antequam abhinc biennium Ampl. *Bynkershoekius* ſuas *Iuris Romani Obſeruationes* in lucem emiſit. Nam cum in his quaedam ab Auctore illo notata ſibi tuenda ſuſcepiſſet, et ab eo tempore Liber ille paucis cognitus, et a nemine eorum, qui Scriptores occultos detexerant, quod quidem ſciam, memoratus, in notitiam hominum perueniſſet, Viri docti, qui eum deinde viderant, dignum eſſe, qui rurſus in lucem protraheretur, vel raritatis cauſa, opinor, exiſtimarunt. Atque ita factum eſt, vt Viris Clariſſimis *Gerardo Noodtio*, et *Iacobo Perizonio* hortantibus, et ipſo Ampl. *Bynkershoekio* ſtimulum admouente, ad illum edendum, et ea, quae adnotare exorſus eram, ſub incudem reuocanda animum adiungere coeperim. Qua in re ab eo conſilio, quod mihi in perpetuum ſequendum certis de cauſis decreueram, vt ne quid vmquam publice ſcriberem, diſceſſi, ac Tanto-

rum Virorum, qui non omnino inutilem in publicum hunc laborem futurum putabant, auctoritati cedere, quam pertinaciter meam ſententiam tenendo nimium mei arbitrii ac ſenſus videri malui.

Itaque adcuratius hoc ſcriptum examinare adgreſſus pleraque, non ſolum in Tractatu de improbatis Iuriſconſultorum verbis, verum etiam in eorum Defenſione, eiusmodi eſſe deprehendi, vt me illa, niſi mea adpoſita ſententia, edere non poſſe arbitrarer: ne, ſi nihil de iis, quae ſubinde parum recte dicta erant, monuiſſem, ea probaſſe quaſi tacito ſuffragio viderer. Quamquam ſic quoque, praeſertim in Defenſione, ſuperſunt, quae limam deſiderant: quae ego, quia ad aduerſarios Iuriſconſultorum refellendos non magnopere pertinebant, ſuo loco relinquenda eſſe duxi. Ita autem paullatim ſatis ampla Animaduerſionum ſeges ſubnata eſt, in quibus hoc praecipue egi, vt vel pluribus argumentis Iuriſconſultorum Veterum Defenſionem confirmarem; vel, quae poſt cognitas eorum Defenſiones nondum ſatis a me intelligerentur, declararem; vel denique, quid de iis, quae vt minus Latine, aut inuſitate, a Iuriſconſultis dicta proferebantur, ſentirem, oſtenderem.

Quae omnia cum nondum iuſti voluminis modum implerent, iis *vndetriginta poſteriora Libri ſexti Elegantiarum Laurentii Vallae Capita*, quibus ille Iuriſconſultorum definitiones, et vocabulorum interpretationes quasdam carpit, et *Andreae Alciati aduerſus Vallam Apologiam*, vna

vna cum *Francisci Floridi Sabini pro Valla adversus Alciatum Defensione*, adieci. Quam Floridi Defensionem, cum mihi Operum illius omnium copia non esset, e *Libro Adnotationum Ioannis Theodorici, Longolii, Budaei, Doleti, Erasmi, Iul. Caes. Scaligeri*, et aliorum *in Vallae Elegantias*, quem *Basileae Anno MDXLI.* editum Ampl. *Bynkershoekius* habebat, descriptam huc contuli. Atque haec quatuor illorum Auctorum scripta ita dispofui, vt singulis Capitibus Reprehensionum Vallae Apologiam Alciati, huic deinde Defensionem Floridi pro Valla aduersus Alciatum, et Florido extremo loco Defensionem Iurisconsultorum I. C. P. I. C. A. cui ob caussam, quae inferius dicetur, *Defensoris* nomen imposui, vna cum meis Animaduersionibus subiecerim. Quod eo consilio feci, vt sub vno velut adspectu posita essent omnia, quae ad idem caput reprehensionis pertinebant; et qui haec lecturi sunt, eo facilius rationes partium inter se comparare, et examinare possent. Hinc porro sequuntur tres illi, quos dixi, eiusdem I. C. P. I. C. A. Tractatus, quorum etsi duo posteriores ad Latinitatem Iurisconsultorum Veterum non pertinebant, tamen quia ab Auctore sub eodem Titulo Defensionis Iurisconsultorum coniuncti erant, quo integrum hoc sane quam rarum Opusculum prodiret, non omittendi visi sunt.

In his autem omnibus describendis ita versatus sum, vt neque in ratione scribendi, quam Orthographiam vocant, neque in verbis Scriptorum Veterum, quae laudabantur, quidquam im-

mutauerim, ac plerumque ne de varietate quidem ſcripturae monuerim, niſi vbi poſteriores Editiones vocum quarumdam, e quibus Illi ad ſententiam ſuam confirmandam argumenta duxerant, aliam lectionem praeferrent. Hoc tamen curaui, quod in Editione Vallae multis locis fecerant Cantabrigienſes, vt teſtimoniis Veterum numeros verſuum, et minorum ſectionum, ſiue capitum, ab Alciato et Florido pro more temporis, quo viuebant, nuſquam non omiſſos, praeſcriberem: quo his, qui ea apud Auctores ipſos legere mallent, illa cum iactura temporis quaerendi labor imminueretur. In quo nonnihil mihi taedii deuorandum fuit, praeſertim vbi vel in nomine Scriptoris, vel in numero libri aberrauerant librarii: quod quidem in Defenſione Floridi non vno loco admiſſum fuerat. Sed et in ſcripto Defenſoris multis locis numeros, et prima verba legum ac paragraphorum, quae apud Illum, neſcio quam Editionem ſecutum, longe aliter atque in Gothofredi Editionibus legebantur, ad huius exemplaria adcommodaui: quod id haud paullo commodius futurum erat plerisque Lectoribus, qui magnam partem his ſolis vti conſueuerunt.

Habes, *Lector,* de occaſione publicandi huius Libri, deque iis, quae eo continentur, quae me Tibi expoſiturum promiſeram, quantum ad vtrumque horum cognoſcendum ſatis eſſe arbitror. Scire nunc fortaſſis voles, quem *Defenſionis* illius *Veterum Iuriſconſultorum,* qui, ni valde fallor, nomen ſuum, ſub literis I. C. P. I. C. A. occul-

occultauit, Auctorem esse putem. Equidem de hoc pro certo adfirmare nihil possum, nec quid praeter coniecturas quasdam, fortassis tamen non omnino improbabiles, adferam inuenio. Ampl. *Bynkershoekius* in fronte Libelli adscripserat, eum a Mornacio *in Obseruationibus ad l. 1. §. 7. D. ad Exhibend. Nicolao Vallae,* eidem, cuius *de Rebus dubiis* Liber est, at ab Elberto Leonino *IV. Emendat. 10.* et *VII. Emendat. 2. Iacobo Cappello* tribui. Mornacii sententiam minus verosimilem facit, primum, stili ipsius diversitas; deinde, plane falsum esse euincit, quod Auctor p. 317. et p. 484. se haec Sedani scripsisse, et absoluisse pridie Cal. Ianuar. Anni MDLXXVI. testatur. At *Nicol. Valla,* quod ex iis, quae *de Gente Cappellorum* Obseruationibus Ludouici, et Iacobi Cappellorum in Vetus Testamentum, praemissa sunt, constat, translato in generum suum Iacobum Cappellum munere Senatoris in Supremo Senatu Rhedonensi, non Sedanum se, sed in villam suam recepit, ibique Anno MDLXVIII. Cal. Septemb. atque adeo totis octo annis antequam hic Liber scriberetur, obiit. Probabilius mihi videtur, quod Leoninus tradidit, Opus esse *Iacobi Cappelli,* eius nimirum (nam plures eodem nomine ex eadem familia fuerunt) quem generum Nicol. Vallae, et in Curia Rhedonensi Senatorem fuisse dixi. Quo vt inclinem impellit me primum, quod Auctor se id Sedani scripsisse, vt dixi, profitetur; Cappellus autem Anno MDLXX. munere suo deiectus Sedanum secessit, atque ibidem A. MDLXXXVI.

 vitam

vitam cum morte commutauit. Deinde etiam adducor ſtili in hoc Scripto, et in *Defenſione Nicol. Vallae aduerſus Franc. Hotomanum,* quam a Iacobo Cappello, Vallae genero, ſcriptam docet Titulus ante memoratae Editionis Vallae *de Rebus dubiis,* ſimilitudine. Eſt enim vtrobique eadem diſputandi ratio, idem filum orationis, et dictio floſculis ac prouerbiis ſparſa, et, quo magis credas vtrumque Opus ab eodem Auctore profectum, eorumdem generum loquendi repetitio: cuiusmodi ſunt v. gr. *manes ab inferis excitare, et compoſitos cineres turbare; cum mortuis non niſi laruas luctari:* et *ſe non poſſe* ἀντινομίας *omnes, quas in medio reliquit Tribonianus, conciliare:* quorum hoc p. 56. dictae *Defenſionis Vallae,* et p. 38. *Defenſionis Iuriſconſultorum;* illa *in Prooemio vtriusque Operis* tantum non iisdem verbis leguntur. Accedit eodem, quod, vt *in Defenſione Vallae p. 56.* ita et *in Defenſione Iuriſconſultorum* p. 21. et 51. Hotomanum, tamquam multa in Iure contra fidem librorum veterum emendantem, reprehendit, et quod cum ibi, p. 54. tum hic, p. 38. 283. 331. et alibi, ſe in Libro ſuo ad leges nonnullas adnotaſſe aliquid ſcribit. Poſtremo et hoc nonnihil me mouet, quod Auctorem ſacris Romanis non fuiſſe addictum ex iis quae hic p. 238. et 254. leguntur, colligere mihi videor. Etſi enim hoc in plures alios, tamen etiam in Iacobum Cappellum conuenit, quem, quod a Pontificiorum in religione placitis deſciuerat, Anno MDLXX. e Senatu Rhedonenſi eiectum fuiſſe ex eodem Scripto *de Gente*

Cap-

Cappellorum ſcimus. Nec refragantur huic coniecturae literae illae ſingulares I. C. P. I. C. A. ſub quibus nomen Auctoris latere mihi perſuadeo. Nam earum duas priores I. C. pro notis nominis *Iacobi Cappelli* accipi poſſe manifeſtum eſt. Tribus ſequentibus P. I. C. autem ſiquis patriam et ſtudium Viri deſignari, et poſtremam A. pro *Auctore* poſitam coniiciat, ſic vt omnes ita exponantur, *Iacobo Cappello, Pariſienſi, Iuriſconſulto, Auctore*, is, etſi hariolari in talibus licet, tamen fortaſſis non plane harioletur. Et tamen, quia haec omnia Leonini ſententiam non omnino certam efficiunt, non auſus fui huic Defenſioni nomen Cappelli praeſcribere; ſed *Defenſoris* potius generalem appellationem ſingulis illius Capitibus praeponendam iudicaui. Idque eo magis mihi faciendum putaui, quod etiam a Menagio *Cap. XXXIX. Amoenit. Iur. Civ.* quo loco de etymologia vocis *Conuicium* agit, hanc *Defenſionem Veterum Iuriſconſultorum* ſine nomine Auctoris memorari video: qui, ſi quid certi de eo cognitum habuiſſet, nomen illius, vt erat harum rerum curioſus, et ad huiusmodi amoenitates libenter digrediebatur, adpoſiturus fuiſſe mihi videtur.

Quid porro de iis, quae hic exhibentur, Scriptis ſentiam, cum ad ſingula fere Capita ſatis oſtenderim, nihil neceſſe eſt hic pluribus repeti. Hoc tamen dicam, Vallam, et ὑπασπιστὴν illius Floridum, ſaepe ea re lapſos eſſe, quod Inſcriptiones Legum vel ignorantes, vel non conſiderantes, et ob id non ſcientes, quo Iuriſconſulti in

definiendis atque interpretandis quibusdam vocabulis respicerent, ea, quae ex illorum sententia ad certos articulos ac species restringi debebant, ita acceperint, ac si hi interpretationes suas nobis pro generalibus quibusdam pronunciatis ac regulis, quae omni argumento, omnibusque aliorum Scriptorum locis conuenirent, obtrudere voluissent. Sed hoc vtcumque ferri posset, nisi compluribus locis manifesta horum Censorum arguendi, reprehendendi, et verba Iurisconsultorum calumniandi libido appareret, ac tanta eorum insolentia esset, vt subinde Iurisconsultos grauissima verborum contumelia destringere, et, tamquam sensus communis expertes, risui sibi ac ludibrio habere non vererentur. Quae profecto singularis et non ferenda arrogantia est hominum, qui cum se vix primis labris Iuris Ciuilis disciplinam attigisse certissimis argumentis demonstrent, Iurisconsultos de rebus, quae ad ipsorum artem pertinent, agentes albis dentibus deridere audeant: quae si alicubi paullo acrius retusa est, nec quisquam alius indignabitur, nec ipsi aegre ferre, si viuerent, possent: quandoquidem, quam ipsi suis dictis ac factis legem aduersus alios sanxerunt, eadem aliis in ipsos vti licere debet.

Defensor autem Iurisconsultorum, etsi, quod facile e genere scribendi appareat, literis humanioribus satis politus, et in Iure Ciuili non leuiter versatus fuit, tamen nonnumquam nimio studio tuendarum partium, et calore disputationis, vt mihi videtur, abreptus a recto tramite aberrat, et quaedam parum veritati consentanea Defensioni

suae

ſuae admiſcet. Quae autem in Iurisconſultorum ſermone, vt non ſatis probatae Latinitatis, aut inuſitata, ab eo notata ſunt, eorum partim iamdudum ita adſerta eſſe, vt dubitari non poſſit, quin eodem iure Ciuitatis Latinae habenda ſint, quo quae optimo, partim non temere reiicienda eſſe, oſtendiſſe me puto. Cuius generis fere ea ſunt, quae quidem in iis, quae nobis ſuperſunt, ſcriptis Auctorum, quibus in his controuerſiis teſtimonii dictio eſt, fortaſſis non reperiuntur; ſed tamen analogia nituntur, et apud eiusdem aetatis Scriptores leguntur; nec non ea, quae ad Ius publicum Imperii illorum temporum pertinent, quae antiquorum teſtimoniis, quibus incognita fuerunt, comprobari non poſſe, nemo non intelligit. Nam ob ſingularia, quae quibusdam locis in Pandectis occurrunt, non eſſe Iurisconſultorum ſermonem adſpernandum, facile largientur, qui ſciunt, probatiſſimis quibusque Scriptoribus ſuos quosdam ac peculiares eſſe dicendi modos, qui vt ad imitandum non proponuntur, ita neque inter ea, quae vitioſa eſſe conſtat, cenſendi ſunt.

Neque tamen, cum multa, quae apud Iureconſultos leguntur, verba ac loquendi genera mihi defendenda ſumſi, hoc ita accipi velim, quaſi in ea opinione ſim, quam in Prooemio diſputationis ſuae aduerſus Vallam proponit Defenſor, Iurisconſultos eruditorum omnium conſenſu nec Ciceroni ipſi in pure latineque ſcribendo cedere. Nam et ipſe in extrema Defenſione hanc ſententiam repudiat, et illo peritiores huius rei Iudices, Sanctius, Scioppius, Borrichius,

et

et Cellarius, ita Iurisconſultis laudem elegantiae et puritatis in ſcribendo tribuunt, vt tamen iis e corruptela ſuae aetatis, qua ſermo Latinus plurimum quantum a natiua ſua indole degenerauerat, adhaeſiſſe aliquid putent. Certe praeter ea, quae merito a Defenſore improbata ſunt, alia quoque e Pandectis, quantum nunc repetita poſt multos annos earum lectione animaduertere potui, colligi poſſe mihi videntur, quae ſi quis vel meliorum ſaeculorum vſu trita fuiſſe, vel ad analogiam, aut exactam linguae Latinae normam congruere, vellet oſtendere, ei ſatis ſuperque ſudandum fore mihi perſuadeo: quamquam nec ea omnia a Iurisconſultis veteribus profecta eſſe, adfirmare velim. Sed ea ego, qui me terminis a Defenſore poſitis circumſcripſeram, mihi non attingenda, et aliorum induſtriae, ſi qui erunt, qui ſuſcipere hunc ſibi laborem volent, relinquenda exiſtimaui.

Haec erant, *Lector*, quae mihi de iis, quae ad huius Libri notitiam pertinent, praefanda videbantur. Tu, ſi quid hic a me, aliisue commode dictum putabis, eo, vt lubet, vtere: errores, qui inerunt, vt certe inerunt, ita, vt eos, qui ſe humanitatis ſtudioſos haberi poſtulant, facere par eſt, corrige. Vale.



INDEX

INDEX CAPITVM

quae e Libro ſexto Elegantiarum Laurentii Vallae huc translata ſunt.

Cap.



OPV-

OPVSCVLA VARIA

DE

LATINITATE

IVRISCONSVLTORVM

VETERVM.



DE

LATINITATE

IVRISCONSVLTORVM VETERVM.

OPVSCVLA VARIORVM.

ANDREAS ALCIATVS LIB. IV. DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.



aurentius Valla, vt maximae vir doctrinae, ita et ſupra vires ſuas audax, nec a Iuriſconſultis quidem temperavit, quo minus illis diem diceret, et de verborum quorundam ſignificatione, ceu Latinae maieſtatis laeſae reos faceret: cuius accuſationis nouem et viginti capita breuiter ego confutanda duxi, cum vt tantam eius arrogantiam neſcio, certe Φιλαυτίαν, aliquatenus retunderem, tum vt hi literatores non eſſe temere a

noſtris recedendum cognoſcerent, et veriora a Iuriſconſultis, etiam in alienis profeſſionibus tradi, quam ipſemet Valla, alioquin Grammaticorum praeſtantiſſimus, in propria arte commentari potuerit.

FRANCISCVS FLORIDVS SABINVS.

Laurentius Valla cum de Latinae linguae elegantia acutiſſime doctiſſimeque ſcripſerit, pro ea, quam ſuſceperat, perſona ita cum Iureconſultis egit, vt cum nullo ſcriptorum genere modeſtius, vir alioqui ad maledicta pronus, vt ſi quiſquam alius. Prius autem quam loca in medium adducam, eiusdem de veteribus Iureconſultis iudicium ſubiungam, ne quis eum hoc ſcriptorum genus odio habuiſſe, ac non veritatis habendae, ſed cavillandi ſtudio carpſiſſe exiſtimet. De quo in prooemio tertii Elegantiarum libri ita ſcribit: [1] *Perlegi proxime quinquaginta Digeſtorum libros ex plerisque Iuriſconſultorum voluminibus excerptos: et relegi cum libenter, tum vero quadam cum admiratione: primum quod neſcias vtrum diligentiane an grauitas, prudentia an aequitas, ſcientia rerum an orationis dignitas praeſtet, et maiori laudi danda eſſe videatur: deinde quod haec ipſa ita in unoquoque illorum omnia ſunt egregia et perfecta, vt vehementer dubites, quem cui praeferendum putes. Cui ſimile quiddam (vt de vltima*

1 *Perlegi*] in contextu Vallae ſecutus ſum Editionem Cantabrigienſem An. 1688. cuius margini adſcriptas variantes aliarum Editionum lectiones, et loca auctorum ibidem notata textui ſubieci, appoſita litera *C.*

ma tantum parte, quae ad nos pertinet, dicam) *in epistolis Ciceronis admirari solebam: quae cum a pluribus scribantur, omnes tamen ab uno eodemque (audatius dixerim) si personas sustuleris, ab uno Cicerone scriptae iudicentur, ita verba ac sententiae, characterque ipse dicendi vbique sui est similis. Quod eo magis in Iurisconsultis est admirandum: quod illi eadem aetate cuncti extiterunt, in eodem quasi ludo ac schola instituti: hi vero inter se etiam seculis distant, licet omnes post Ciceronem: ideoque quibusdam in verbis ab eo differentes, quales omnes* [2] *a Virgilio vsque ad Liuium fuerunt. Nam Seruii Sulpitii ac Mutii Scaeuolae nihil extat, sed* [3] *alterius Mutii recentioris. Et prisci illi quidem Iurisconsulti quales quantique in eloquendo fuerint, iudicare non possumus: quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus versantur, nihil est, mea sententia, quod addi adimiue posse videatur, non tam eloquentiae (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quam Latinitatis atque elegantiae; sine qua caeca omnis doctrina est, et illiberalis, praesertim in Iure ciuili. Vt enim Quintilianus inquit lib. XII. Instit. Orat.*

 cap.

2 *A Virgilio.*] *Omnes vsque a Virgilio a Liuio fuerunt. Ed. Col. C.* Et ita etiam Floridus verba Vallae refert.

3 *Alterius Mutii.*] Floridus legit: *Sed alterius Scaeuolae recentioris:* quam lectionem aliis praeferendam existimo. Loquitur enim de Q. Ceruidio Scaeuola, cuius scriptorum exstant in Pandectis fragmenta, quem e gente Mucia fuisse non scio quibus argumentis demonstrari possit, etsi ita putauit Cuiacius fortassis similitudine cognominis ductus. v. Bertrand. *in Ceruidio Scaeuola.*

cap. 3. [4] *Omne ius aut in verborum interpretatione poſitum eſt, aut in recti prauique diſcrimine. Et quantum momenti in verborum interpretatione ſit, ipſi Iuriſconſultorum libri maxime teſtantur, in hac re praecipue laborantes. Vtinamque integri forent, aut certe iſti non forent, qui in locum illorum etiam Iuſtiniano vetante ſucceſſerunt.* Haec Valla. Quod ſi eosdem alicubi carpſit, non eis ſcilicet ita ſe addixerat, vt ne tranſuerſum quidem digitum ab illis pro ſuo arbitratu diſcedere poſſet. Sed haec quorſum ſpectant? Ipſum etiam Vallam audiamus, vt rectene ab eius morſibus illos Alciatus defenderit, diſcutiamus. Itaque Alciati ad ſingula Laurentii verba reſponſum ſubiicientes, noſtram ſententiam non ſine veterum teſtimoniis proferemus.

DEFENSOR VETERVM IVRISCONSVLTORVM ADVERSVS LAVRENTII VALLAE REPREHENSIONES.

Aeſtate ſuperiori dum pomeridianis horis aeſtum vitarem, incidi forte fortuna in Laurentii Vallae libros Elegantiarum: quorum in extremo
5 cum vidiſſem noſtros Iuris Romani Conſultos paſſim ab eo reprehendi, tanquam linguae Romanae parum peritos, primum grauiter et indigne tuli, dein tantam hominis αὐθάδειαν miratus ſum; poſtremo etiam noſtri Iuris Interpretibus ſubiraſci coepi, quod nemo adhuc ad vindicandam hanc arrogan-

4 *Omne ius.*] Apud Quintil. legitur: ***At quae conſultorum reſponſis explicantur, aut in verborum,*** cet.

rogantis hominis temeritatem calamum in eum ſtrinxerit. Quis enim non indignetur, ab uno Grammatico non ſolum omnes ſui temporis Grammaticos laceſſitos et proſciſſos eſſe, ſed et veteres, quotquot fuerunt, pro nihilo habitos? Seruium dico, Donatum, Priſcianum; a quibus multa didiciſſe ſe, niſi egregie mentiri velit, fateatur oportet. Quid Grammaticos loquor? Sed et quotquot linguam Latinam illuſtrarunt, Macrobium, Agellium, Nonium, Pompeium, Aſconium. Quis non miretur, eo vſque audaciae prouectum hominem, vt *de Notis authorum* librum nominatim ſcripſerit? Vt M. Varonem, virum Romanorum omnium eruditiſſimum, vndecumque doctiſſimum, et linguae Romanae ſcientiſſimum, Ciceronis ipſius et C. Plinii Secundi teſtimonio, duobus capitibus exagitarit? Mitto quod Apuleium rudere ait, Gellium in loquendo ſuperſtitioſum vocat, quem et publicum literarum Cenſorem *εἰρωνικῶς* appellat, quod in ipſum verius cadit. Vnum illud omnem arrogantiam ſuperare videtur, quod ſummos illos viros Iuris Romani Conſultos, quorum 6
ſcientia in verborum interpretatione praecipue poſita eſt, quique praeter genuinam illam et innatam linguae Romanae notitiam, quam cum nutricis lacte ſuxerunt, vſum forenſem et multarum controverſiarum experientiam adiunxerant, non in praui vel aequi diſcrimine (quod omnium eſt gentium commune) ſed in ipſa vocum Romanarum notitia, quam ipſe non niſi aliunde quaeſitam et multa lectione partam habere potuit,

reprehendere inſtituerit: cum tamen eruditorum omnium conſenſu [1] nec Ciceroni ipſi, aut Vergilio quicquam debeant in pure latineque ſcribendo: et [2] ipſe Valla latinitatis et elegantiae gloriam ipſis tribuat, et per quotidianam Digeſtorum lectionem ſemper in honore fuiſſe linguam Romanam, et breui dignitatem ſuam recuperaturam fateatur. Poſtremo quis non iure iraſcatur, quod cum tam multi in illuſtrando, et a barbarie Gothica vindicando, Iure Ciuili egregie huc vſque laborarint, et infinita prope ſcripſerint, nemo tamen extiterit, qui hanc hominis audaciam ex profeſſo repreſſerit? Et quidem ſui temporis interpretibus, quos ipſe merito leguleios potius, quam Iuris peritos appellat, hoc condonemus, quod huic Grammatico de linguae
7 Romanae proprietate differenti, cuius ipſi peritia inſtructi non erant, tunc temporis non reſponderint. Noſtro vero ſeculo, quo Ius hoc Iuſtinianicum ita eſt illuſtratum multorum praeſtantium virorum induſtria, vt nihil addi poſſe videatur, hoc ſane adhuc deeſſe videbatur, vt aliquis e noſtris Scaevolae, Papiniani, Pauli et Vlpiani manes ab hac ignominia vindicaret. Fateor ſane quaedam ſparſim a diuerſis, prout ſeſe obtulit occaſio, fuiſſe defenſa. Sed cum in vnum librum hic literator congeſſerit, quicquid ſibi non ex conſuetudine linguae Romanae ſcriptum aut interpre-

1 *Nec Ciceroni ipſi.*] Hoc parum conuenit cum eo, quod infra in fine defenſionis aduerſus Vallam ſcribit, multa non ſatis probatae latinitatis in Pandectis reperiri:

2 *Ipſe Valla.*] Praefat. *lib. III. Elegant.*

terpretatum a Prudentibus noſtris fuiſſe videbatur, et hic liber in puerorum manibus aſſidue verſetur, ne cum primis literis noſtrorum quoque Iuris authorum contemptum imbibant, quo a Iuris Romani cognitione deterreantur, operae pretium me facturum iudicaui, ſi ſingulis capitibus breuem noſtrorum Conſultorum defenſionem ſubiicerem. Neque vero ſum veritus ne quis mihi vulgatum hoc obiiceret, *cum mortuis non niſi laruas luctari.* Nam cum ille tantorum virorum manes ab inferis excitare, et compoſitos eorum cineres turbare non dubitarit, quis non mihi ignoſcat, non ex profeſſo Vallam exagitanti, ſed ab eius morſibus praeceptores iſtos meos (mutis enim magiſtris plurimum vſus ſum) defendenti?

LAVRENTIVS VALLA LIB. VI. DE ELE- 8
GANTIA LINGVAE LATINAE. CAP. XXXVI.

In Iuſtinianum de Noxae dedere.

Noxae dedere, Iuſtiniani pace, ſiue Triboniani et ſociorum (nam Iuſtinianus nec iura, nec forſitan Latinas literas nouit) eſt *poenae dare,* ſiue *tradere ob noxam,* qua ſignificatur culpa. Ille autem ait *Inſtit. lib. IV. Tit. 8. Noxa eſt ipſum corpus, quod punitur.* Et in eodem loco: *Corpus editur noxae.* Si noxa corpus eſt, quomodo corpus deditur noxae? nunquid corpus deditur corpori, aut corpus ſibi? Quanquam quid haec ora-

tio ad significandum poenam faceret? Est autem haec poena seruorum, quos domini malunt ad poenam tradere, quam praestare maleficium; quod illi admiserunt. [1] Paulus ita diffinit: *Noxales actiones appellantur, quae non ex contractu, sed ex noxa atque maleficio seruorum aduersus nos instituuntur: quarum actionum vis et potestas haec est, vt si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, euitare litis aestimationem.* Vlpianus quoque addit: *vt corpus*
9 *tradatur viuum igni.* Quintilian. in Gladiatore *(Declam. IX.) Alebat deuotum corpus grauior omni fame sagina, et inter dedita noxae mancipia contemptissimus tyro gladiator, vt nouissime perderem calamitatis meae innocentiam, discebam quotidie scelus.* Nam *noxa* etiam *damnum* significat, vt apud Ouid. *(XV. Metam. V.* 334.*)*

Nocte nocent potae, sine noxa luce bibuntur.

Et Sueton. *de Caesar. vita cap. LXXXI. Spurinamque irridens, et vt falsum arguens, quod sine vlla sua noxa Idus Martiae adessent.* De brutis autem improprie dicitur ea *dedi noxae*: vt de capra apud eundem Ouid. *Lib. I. Fastor.* (v. 359.)

Verba fides sequitur: noxae tibi deditus hostis,
Spargitur effuso cornua, Bacche, mero.

Seruius super illud Virgilii (*I. Aen.* v. 41.) *Vnius ob noxam et furias Aiacis Oïlei*, ait, *noxam* pro *noxia*, id est, *culpa*: quasi per se *noxa* non significet *culpam*, quam familiaris eius (vt opinor) Macro-

1 Paulus.] Caius *l.* 1. *D. de Noxal. action.*

Macrobius *(lib. IV. Saturn. cap. 5.)* leuem culpam accipi vult. Atque vt sibi crederemus noxam non culpam esse, sed poenam, ait, *culpam noxiam* dici, quasi *noxiam* saepius, quam *noxam* in hac significatione reperiamus: quam dictionem nusquam reperimus. Quod dixi Iustinianum forsitan nec iura, nec literas Latinas scisse, nemo miretur, tum quia semper in Graecia vixit, tum quia se *Dominum Iustinianum* (vt ex numismate eius apparet) dici voluit, vt quidam alii Caesares fecerunt: quod a viro Romano est alienissimum: et character ipse literarum figurarumque illorum temporum numismatis Gothicum magis, quam Latinum redolet.

ALCIATI APOLOGIA IN LAVR. VALLAM. AD CAP. XXXVI.

Primo Iustiniani sententiam non approbat, *noxam* appellantis ipsum quoque serui corpus quod nocet, *noxiam* vero maleficium, qua in re et Beroaldum sectatorem habuit. Ego apud veteres *noxam* a nocendo dictam inuenio, vnde praeter poenam etiam nocumentum significare. Ouidius: *Sine noxa luce bibuntur.* Merito ergo seruus, qui nocuit, *noxa* dici potest, sicut et ἄτη illa Homerica noxa appellatur. *Noxia* vero ipsa est culpa seu maleficium. Plautus *Bacchid.* (IV. 9. 81.) *Sat sic suspectus sum, cum careo noxia.* M. Manilius *(lib. IV, v. 94)* *Quin etiam infelix virtus, et noxia felix.* Vnde merito Seruius Virgilium *noxam* pro *noxia* dixisse scripsit, *Vnius ob noxam:* quo exemplo et alii Veteres saepius vtuntur.

IDEM *ad l. plebs.* 238. §. *fin. D. de Verb. sign.*

Noxiae appellatione omne delictum continetur.

Noxam dixere antiqui id quod nocet: quapropter culpa, poena, detrimentum, noxa est. Vnde et *lib. XXXIII.* T. (1) Liuius, *noxa exsoluere,* id est, a poena capitalis fraudis liberare, accepit. Seruius quoque: *qui contra legem Aquiliam*

1 *Liuius.*] Non legitur in hoc libro Liuii.

alicui damnum dedit noxa est. At *noxia* solummodo de maleficio ipso dicitur, nec tam generali significatione accipitur, sicut noxa. Cicero *lib. III. de Legib. (cap. 20.) Noxiae poena par esto, vt in suo vitio quisque plectatur, vis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia.* M. Manilius: *Quin etiam infelix virtus, et noxia felix.* Plautus in *Bacch. Sat sic suspectus sum, cum careo noxia.* Quo sensu et in *Mostellaria* et in *Pseudolo* visus est. Terentius quoque in *Phorm.* (I. 448.) *in re incipienda ad defendendam noxiam.* Sed et in *Eun.* et *Hec.* ad eundem modum. Nec *noxam* eos adscripsisse quisquam dixe-
11 rit, cum ratio carminis non consentiret. Quae adducere volui vt palam fieret, quam iniquo iure Iustinianum in Elegantiis suis insectetur Valla, et Seruium Beroaldus, dum adiectiue tantum dici *noxiam* opinantur, contra veterum auctoritatem.

FR. FLORIDI PRO LAVRENTIO VALLA CONTRA ANDREAM ALCIATVM DEFENSIO AD CAP. XXXVI.

Haec omnia tam prosunt Iustiniani sententiae, quam vita functis naeniae. Nec iis respondent, quibus Vallae supra vires suas audacis arrogantiam, aut certe φιλαυτίαν, se repressurum pollicitus est, vt literatores non temere a Iureconsultis esse recedendum cognoscerent, et veriora ab illis etiam in alienis professionibus tradi, quam ipsemet Valla, alioquin Grammaticorum praestantissimus, commentari potuerit. Scire enim ab Alciato velim, ecquis semilatinus scriptor *noxam* vmquam pro eo, qui nocet, acceperit, prout a Triboniano ea vox definita fuit? Scio *noxam* in frequentissimo vsu contra Seruii Macrobiique sententiam pro culpa accipi. Plautus enim in *Casina* (II. 8. 71) sic scribit: *Manifeste teneo in noxa inimicos meos.* Et Terentius in *Eunucho* (V. 2. 13.) (1) *noxam hanc vnam omitte, si aliam admisero vnquam, occidito.* Item in *Heautont.* (II. 3. 57.) *magnum hoc quoque signum est dominam esse extra noxam, cum eius tam negligenter vestiantur internuncii.* Item Liuius *lib. III. (cap. 42.) alia omnis penes milites noxa erat.* Et (V. 47.) *reum haud dubium cunctis eius noxae approbantibus de saxo deiecit.* Et (XXXI. 12.) *indigne passus Senatus non cessari*

1 *Noxam hanc.*] *Noxiam* legitur in omnibus, quas vidi, Terentii Edit. Et ita iam olim Donatus legit. Etiam in loco sequente ex *Heaut.* omnes habent *noxiam*, et, *negliguntur internuntii.*

cessari ab sacrilegiis, et ne Pleminium quidem tam clarum recensque noxae simul ac poenae exemplum homines deterrere. Quo in significatu etiam Ouidius non semel hac voce vsus est, qui *lib. II. de Ponto* (9. 72.) sic ait, *est tamen his grauior noxa fatenda mihi.* Et I. *Metam.* (v. 214.) *Longa mora est, quantum noxae sit vbique repertum.* Vnde et *noxam nocere* erat inj foecialium verbis. Liuius IX. (10.) *Tum vbi in coetum Samnitium, et ad tribunal Pontii ventum est, A. Cornelius Aruina foecialis ita verba fecit: quandoquidem hice homines iniussu Populi Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam* 12 *nocuerunt, ob eam rem, quo Populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo.* Noxam praeterea, vt inquit Valla, damnum, seu nocumentum significare (1) Plautus confirmat in *Milite* (IV. 8. 23.) ita scribens: *Malo ne interueneris quaeso, dum resipiscat, noxam hinc habet.* Cornelius quoque Celsus de pomis loquens *(lib. I. de Medicin. cap. 3.) Ex quibus,* ait, *in nullo tamen minus quam in his noxa est.* Et Liuius II. (59.) *Victus tandem (quandoquidem nihil praeter tempus noxae lucraretur) remissa concione iter in insequentem diem pronunciare cum iussisset, prima luce classico signum profectionis dedit.* Hinc *noxae dedere*, hoc est, damno, vel (vt alii aiunt) poenae dare: quod apud Iureconsultos est frequentissimum. Et *noxales actiones*, quas (vt Paulus inquit) appellamus, *quae non ex contractu, sed ex noxa atque maleficio seruorum aduersus nos instituuntur: quarum actionum vis atque potestas est, vt si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, euitare litis aestimationem,* dando scilicet corpus viuum. Cum ergo *noxam* pro culpa frequenter apud optimos autores inveniri, et pro damno itidem, seu nocumento poni solere intelligamus, *noxam* tamen corpus, quod nocet, significare nusquam nisi apud Iustinianum legimus. Quamobrem et summopere demiror, cur idem absque alio autore afferat Alciatus: praesertim quod quum de verborum significatione vel proprietate loquimur, minime absque veterum testimoniis loqui aequum est, nisi aliam ipsi Latinam linguam comminiscamur. Namque hoc simpliciter proferre, *noxam a nocendo dictam invenio, merito igitur seruus qui nocuit noxa dici potest;* non est aliud, quam Triboniani sententiam nullius testimonio, sed propria tantum autoritate confirmare. A quo non multum abest,

1 *Plautus.*] Hic locus in Edit. Gronou. Plaut. ita scribitur:

PA. *malo, ne interueneris, Quaeso, dum resipiscit.* PV. *capita inter se nimis nexa hice habent.*

In prioris personae verbis Editiones valde variant; in posterioris omnes, quae melioris notae habentur, consentiunt.

abeſt, quod Seruium *noxam* a Virgilio pro *noxiam* poſitam affirmantem eadem probat ratione. Si enim *noxa*, vt vidimus, culpam ſignificat, cur *noxa* pro *noxia* poni debuerit, viderit Alciatus. Iam vero quod Philippus Beroaldus poſtquam Seruium de eadem re manifeſte erraſſe oſtendit, *noxiam* ſaepius adiectiue quam ſubſtantiue poni ſubiungit, et nocentem ſignificare, cuius rei plena ſunt omnia, cum noxii ſontes nuncu-
13 pentur, fallitur ſane. Sexcenta enim hic teſtimonia adducere poſſem, in quibus *noxia* culpam ſignificari videmus. Nec omnia tamen omiſero, et pauca recenſebo. Plautus in *Moſtell.* (V. 2. 47) *Tranioni remitte quaeſo hanc noxiam cauſa mea.* Et *Mercat.* (V. 4. 23.) *Vacuum eſſe iſthac aetate his te decebat noxiis.* Et *Poenul.* (I. 1. 15.) *Sine te verberem item vt tu mihi feciſti ob nullam noxiam.* Et inferius (I. 2. 191) *Verum etiam tibi hanc admittam noxiam vnam Agoraſtocles.* In *Trinum*, quoque. (I. 1. 1.) *ne amicum caſtigare ob meritam malam noxiam eſt facinus.* (1) Terentius *Phorm.* (II. 1. 36.) *hic in noxa eſt, ille ad defendendam cauſſam adeſt.* Et in *Hecyr.* (II. 3. 3.) *Nam ita me Dii bene ament, quod me accuſat nunc vir, ſum extra noxiam.* (2) Caeſar *lib. VI. de B. G (cap. 16.) ſupplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxia ſint comprehenſi, gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrantur.* Non tamen inficias iuerim *noxiam* adiectiue plerumque inueniri, ſed frequentiſſime etiam *noxiam* apud Latinos autores pro culpa accipi, contra Beroaldi ſententiam contendo, qui (vt eſt vbique iactabundus, ac ſuorum operum vnicus admirator) non indiligenter a ſe de *noxa* contra Seruium ſcriptum eſſe teſtatur. Demum vt ad Alciatum reuertamur qua ratione ἄτην, cuius multis in locis, ſed decimo nono Iliados diffuſe Homerus facit mentionem, *noxam* magis, quam *noxiam* aut nocumentum appellet, non explicat. Sed ἄτη, inquit, Homerica *noxa* appellatur: quaſi nobis eandem ἄτην *noxiam*, ſeu nocumentum vocare interdictum ſit.

1 *Terent.*] Omnes fere libros ſcriptos hic habere *noxa* ſcribit Faërnus, et ita vulgo editur.

2 *Caeſar*] Et hic *noxa* eſt in editis.

DEFENSOR AD CAP. XXXVI.

Primum omnium temerarium eſt eum, quem reprehendere velis, ne de nomine quidem noſſe:

vt

vt hic, qui [1] Trebellianum pro Triboniano nominat. De Iustiniano quod sub dubio scribit, eum nec Iura nec Latinas forsan literas nosse, in eo 14
suam ipse inscitiam prodit: cum et Dupondiis nostris siue [2] Iustinianeis nouis notum sit, Iustinianum ne Graecas quidem satis nouisse, tradente Suida, fuisse eum prorsus [3] ἀναλφάβητον. Mirum autem quam id argute colligat ex eo, quod se *Dominum* Iustinianus dici voluit, *quod a viro Romano,* inquit, *alienissimum est.* Quasi vero Domitianus, Traianus, Diocletianus, et deinceps caeteri non idem factitarint: aut literas ideo nescierint, et Romani non fuerint. Definitio vero noxalium actionum, quam ex Paulo recitat, Caii est ex *l. 1. D. de Noxal. action.* in qua definitione *ius ac potestas,* [4] pro *vis ac potestas,* descripsit. Et Vlpiano,

1 *Trebellianum.*] Vitioso exemplari vsus est: nam aliae Editiones Vallae recte habent *Tribonianus.*

2 *Iustinianeis.*] Iustinianos nouos vocat Imperator §. 2. *prooem. Digestor.*

3 Ἀναλφάβητον] In eodem errore versantur Budaeus ad *l. vlt. D. de Aedil. Edict.* Alciatus, aliique, decepti ab editis Suidae libris, in quibus voc. Ἰουστινιανὸς hoc de Iustiniano proditur. Verum Procopius, e quo locum illum descripsit Suidas, de Iustino, Iustiniani auunculo, id tradit p. 28. Ἀνεκδότ. et Vaticani MSS. Suidae pro Ἰουστινιανὸς recte legunt Ἰουστῖνος, teste Alemanno, quem vid. ad Procop. et quae ad Suidam notauit Clar. Kusterus. Iustinianum autem nec scribendi imperitum, nec indoctum fuisse constat ex eodem Procopio, et aliis.

4 *Pro vis ac potestas.*] Hoc reprehensionem non merebatur. Nam cum editiones Vallae varient, et aliae *ius*, aliae *vis* exhibeant, incertum est; quid ille ediderit. Atque etiamsi certo constaret eum hoc loco *ius* scripsisse, tamen ideo nihilo magis reprehendendus foret, ac potius par esset credi eum ita in suo Codice legisse: nam haec vocabula tam in scriptis quam in editis

15 Vlpiano, qui in *l. 1.* §. 14. *D. Si quadrup. pauper. fec. dic.* ſcribit, *noxae dedere eſſe tradere animal viuum*, temere adiecit de ſuo verbum *igni*. Sed ſint haec leuicula, qualia ſcilicet iis, qui ſibi nimis placent, dum fiducia ingenii properant, excidere ſolent: ad ipſam *noxiae* et *noxae* interpretationem veniamus. [5] *Noxiae* verbum nusquam ſe reperiſſe fatetur. En hominem, [6] qui ſe triennio Gloſſas in Digeſta conſcripturum glorietur vtiliores Accurſianis, qui tamen noxiae verbum ſe reperiſſe neget, quod Digeſta legentibus multis in locis obuium eſt. Et vero noxiae verbum antiquiſſimum eſſe verba Leg. XII. Tab. oſtendunt, ex quibus [7] verſus hic repetitur: *ſi quadrupes pauperiem fecerit, animal, quod commiſit noxiam, dato, aut noxae aeſtimationem offerto.* Vnde licet aeſtimare, quam conſiderate noſter hic
16 ſcripſerit, de brutis improprie dici ea *dedi noxae*, in

editis libris non raro inter ſe permutari notum eſt. Vocem *igni*, ſi modo ea in omnibus Editionibus Vallae legitur, magis puto ab eo in libro ſuo inuentam, quam temere adiectam eſſe: quamquam ſi animum aduertiſſet, facile intelligere potuiſſet, eam lectionem ineptam et ridiculam eſſe.

5 *Noxiae verbum nusquam.*] Vapulat hoc nomine Valla etiam Iac. Nic. Loënſi *lib. VI. Epiphyll. cap. 11.* et Sanctio *lib. IV. Mineru. cap. de Ellipſi* v. *culpa*. Alio errore ducitur Giſanius in *Obſeruat. Ling. Lat.* exiſtimans ſolos Poëtas vſos eſſe vocabulo *noxia*, τῷ *i.* metri gratia interpoſito, quem refellit Vir ſummus I. Fr. Gronouius ad *Senec. Troad.* v. 403. De *i.* epenthetico quod dicit Giſanius videtur hauſiſſe e Donato ad *Terent. Phorm.* I. 4. 48. ſed huius quoque ſententiam improbat Vir Clar. Iac. Perizonius ad *Sanct. l. d.*

6 *Qui ſe triennio*] Praefat. *lib. III. Elegant.*

7 *Verſus hic repetitur.*] *l. 1. princ. D. ſi quadr. pauper. fec. dic.* Non puto tamen oſtendi poſſe, haec ipſa Legis XII. Tab. verba fuiſſe.

in eoque [8] Ouidium ipſum reprehendere ſit auſus; cum vel maxime proprie de quadrupedibus id dicatur, et a brutis ad ſeruos et mancipia translatum ſit. Hunc porro verſum L. XII. Tab. exponens Vlpianus in *l. 1. D. ſi quadr. pauper. noxia,* inquit, *eſt ipſum delictum*, et Caius in [9] *l. plebs. 238. in fin. D. de Verb. Sign. noxiae appellatione omne delictum continetur.* Quibus ex locis defendi poteſt Seruius in illud [10] Virgilii,

Vnius ob noxam et furias Aiacis Oïlei,

qui *noxam* ait pro *noxia*, i. e. culpa poſitam eſſe: quemque hic arroganter reprehendit cum et [11] Macrobius ipſe culpam *noxiam* dici teſtetur. Quorum duorum Grammaticorum teſtimonio confirmari poſſe credo, fuiſſe aliquam olim in- 17
ter noxam et noxiam differentiam, aut ſaltem noxiae verbum receptum, quaſi ab ipſis Decemviris

8 *Ouidium.*] *Lib. I. Faſt.* v. 359.

9 *l. Plebs.*] vid. quaedam ad eum leg. et hunc locum pertinentia ap. Anton. Auguſtin. *de Legib. XII. Tab. ʃ. 39. et 40.*

10 *Virgilii.*] I. *Aen.* v. 41. Verba Seruii ſunt: *Noxam, pro noxiam. Et hoc intereſt inter noxam et noxiam, quod noxia culpa eſt, id eſt, peccatum: noxa autem poena.* Idem ſcribunt Corn. Fronto *pag. 2196. Ed. Putſch.* et Schol. Statii in X. *Theb.* v. 581. (*al.* 587.) Beroaldus *Annot. in Seruium p.* 259. Tom. I. Theſ. Crit. Gruteri, notat Seruium qui putauerit, *noxam* non dici pro culpa. At Loënſis *l. d.* eum defendens, *non peccauit*, inquit, *Seruius cum noxiam culpam eſſe pronunciauit.* Hoc ſane verum eſt; ac ne quidem, cum *noxam* poenam eſſe dixit: ſed in eo non video quomodo erroris abſolui poſſit, quod apud poëtam *noxam* pro *noxiam* poni putauit, ac ſi tantum *noxia* notaret culpam, non etiam *noxa.*

11 *Macrobius.*] *Lib. IV. Sat. cap. 5.* Sed *noxam* dicit, non *noxiam.*

viris vſurpatum, fuiſſe. Vt vt ſit, [12] *noxiam* proprie maleficium eſſe ex Vlpiano, Caio, Seruio, Macrobio, Triboniano denique ſatis apparet, Demus tamen homini Grammatico, neque ſatis in Iure verſato, vt Pandectas oſcitantius ipſi legere licuerit: illud quis conceſſerit, vt hic, qui Grammaticos omnes prae ſe deſpuit, et latine loquendi normam omnibus praeſcribit, *noxiae* verbum nuſquam ſe reperiſſe fateatur, quod tam ſaepe apud bonos authores occurrit? Cicero *lib. III. de Legib. cap. 20.* hunc verſum tanquam ex XII. TAB. repetitum inter ſuas leges recenſet: *Noxiae poena par eſto, vt in ſuo vitio quisque plectatur, vis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia.* M. Manilius IV. 94.

Quin etiam infelix virtus, et noxia felix.

Sed quid ego peregrinos locos conſector, cum
apud Plautum et Terentium familiares Gramma-
ticis authores verbum hoc tam ſaepe occurrat, vt
18 mirum ſit ab iſto animaduerſum non fuiſſe?
Apud Plautum quidem in *Bacchidibus*, *Moſtellaria*, et *Pſeudolo*, apud Terentium autem in *Eunucho*, *Phormione* et *Hecyra*: quibus in locis etiam metri ratio vetat, ne noxiae verbum pro noxa

12 *Noxiam proprie maleficium eſſe.*] Defenſor non ſatis diſtincte videtur exſequi diſcrimen et varias ſignificationes *noxae* et *noxiae*, de quibus pluribus egerunt Beroaldus et Loënſis *loc. dict.* Salmas. *de Mod. Vſur. pag. 888.* Menard. ad *Cicer. pro Roſc. Amer. Cap. XXII.* Gronou. ad *Senec. Troad.* v. 403: Sanctius in *Mineru. l. d.* et ibi Clar. Perizon. Summa huc redit: *noxa* eſt et culpa, et damnum, et poena: *noxia*, culpa; et nonnumquam damnum, vitiumue. Loca ſcriptorum, quae hoc diſcrimen oſtendunt, apud eosdem legi poſſunt.

noxa poſitum eſſe quis comminiſcatur. *At enim*, inquit Laurentius, *imperite Tribonianus ſcripſit, noxam eſſe corpus quod punitur, cum idem ipſe dicat, corpus dedi noxae: neque enim corpus deditur corpori, aut corpus ſibi.* Quod etiam a Franc. [13] Hotomano in illum locum Inſtitutionum rideri video, *quaſi falſum et nugatorium, et ab illo animali* (ſic enim loquitur Tribonianum intelligens) *linguae Latinae imperitiſſimo*, confictum. Videamus tamen num ab illorum impetu Tribonianus aliqua ratione defendi poſſit. Primum omnium ſatis conſtat, fuiſſe aliquam inter *noxam* et *noxiam* differentiam, cum Grammatici adnotent noxam pro noxia poni: idemque noſtri confirmant, vt cum dicunt, *noxam ſarcire, in noxam dedere, noxa caput ſequitur,* et ſimilia *l. 1. §. cum arietes. 11. in fin. et §. ſeq. D. ſi quadr. paup. fec. dic.* et *noxae dedere* ſaepe dicatur, *noxiae dedere* non vſquam. *Noxam* autem non ſolum damnum ſignificare, ſed et corpus ipſum quod nocuit, apparet ex illo Edicti 19
Praetorii loco [14] in *l. 1. in fin. princ. D. de His qui dejec. vel effud. ſi ſeruus inſciente domino feciſſe dicetur, in iudicio adiiciam,* AVT NOXAM DEDERE,

13 *Hotomano.*] Tribonianum etiam Loënſis, Sanctius, et Salmas. *l. d.* erroris arguunt.

14 *In l. 1. in fin.*] Idem ex hac lege docent Ant. Auguſtin. *de Legib. XII. Tab. ∫. 39.* et Cuiac. *ad Rubric. Inſtit. de Noxal. actionib.* Addunt alii *l. 20. ∫. 5. ff. de Hered. petit. tamdiu quis habet* NOXAE DEDENDAE *facultatem, quamdiu iudicati conueniatur*, et *l. 6. ∫. 1. ff. de Re iudic. facultatem enim* NOXAE DEDENDAE *ex lege accipit.*

DERE, vel vt alii Codices habent, VT NOXAM DEDERE LICEAT. Quo ex loco colligi dico posse, *noxam dedere*, non minus, quam *noxae dedere*. Et quidem [15] accusandi non generandi casu loquutos esse Decemviros apparet ex *d. l. 1. D. si quadr. paup. fec. dic.* vbi sic Vlpianus: *Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur actio ex Leg. XII. Tab. descendit, quae lex voluit aut dari id quod nocuit, id est, id animal quod noxiam commisit, aut aestimationem noxiae offerre.* Quo etiam pertinet locus ille Plinii *lib. XVIII. cap. 3. Frugem aratro* [16] *quaesitam nocte pauisse ac secuisse puberi XII. Tab. capitale erat, suspensumque Cereri necari iubebant, grauius quam in homicidio conuictum. Impubem Praetoris arbitratu verbera-*
20 *ri,* [17] *noxiamue, duplionemue decerni.* Alioqui non video quomodo impubes *noxia* decerni potuerit, nisi *noxia* non minus quam *noxa* esset corpus ipsum, quod nocuit: sicut enim *noxa* non minus quam *noxia* pro peccato ponitur *l. si a substituto. 45. §. 1. D. de Legat. 1. l. 4. in princ. de Noxal. action. et l. is qui. 32. eod.* vnde illud Festi, *noxa ponitur*

15 *Accusandi.*] Ex hoc loco velle colligere in XII. Tab. scriptum fuisse, *noxam dato*, nihil est aliud quam hariolari. Nec inanibus coniecturis, sed testimoniis idoneorum scriptorum ex antiquitate, probanda fuerat haec significatio vocis *noxa*.

16 *Quaesitam.*] Legitur: *quaesitam furtim noctu pauisse.*

17 *Noxiamue.*] Vulgatae Editiones Plinii exhibent, *noxamue duplinonemue*, in MSS. esse *noxiam*, et *noxiamue* notant ad marginem Plinii, et adfirmat Fulu. Vrsinus in libro *de Legib. Rom.* Neutra lectio cum commodam sententiam habeat. Fuluius et Lipsius legunt, *noxaeue duplionem decerni*: Raeuardus *Cap. XXV. ad Leg. XII. Tab. noxiamue duplione decerni*. Itaque etiam in hoc loco parum praesidii habet Defensor.

ponitur pro peccato aut pro peccati poena; ita et
noxiam perinde atque *noxam* pro corpore ipſo
quod nocuit, poſitum fuiſſe conſentaneum eſt.
Fateor igitur, *dedere noxae,* [18] praeciſam eſſe lo-
cutionem, vt ſubaudiatur, *nomine,* vel *cauſſa,* vel
gratia: eumque loquendi modum vſitatum eſſe
non ſolum aliis Latinitatis authoribus, ſed et 21
Conſultis noſtris, qui cum dicunt, *Damni infecti
promittere, Legatorum ſatisdare, Rei ſeruandae
poſſidere,* ſubaudiunt *gratia,* vel *nomine.* At cum
dicimus *dedere* vel *dare noxam,* non poſſumus
aliter quam Vlpianus ipſe interpretari, id eſt, id
quod nocuit; nempe animal, corpus, ſeruum,
qui deliquit, et noxiam commiſit. Caeterum af-
firmare locum illum Edicti Praetorii in *l. 1. D.
de His qui deiec. vel effud.* corruptum eſſe, et con-
tra Codicum omnium fidem legere, *noxae dedere,*
temerarium iudico: cum, vt dixi, ex Vlpiano ap-
pareat, accuſandi non generandi caſu loquutos
fuiſſe Decemuiros, et Plinius ipſe *noxiam decerni*
dixerit.

18 *Praeciſam.*] Ita etiam Hotom. ad *Inſtit. de Noxal. action.* Cuiac. *ibid. noxae dedere, id eſt, noxae nomine, pro noxa, pro maleficio.* Ant. Auguſtin. *l. d. noxae dedere dicitur, id eſt, vltioni praebere: vel noxae, id eſt, damni cauſa, Graecorum imitatione.* Hoc tamen non placet Salmaſio *de Modo Vſur. pag. 888.* qui ait, praeciſam illam locutionem poſſe admitti, niſi Iuriſconſulti dicerent *in noxam dare,* non ſolum *noxae dare,* et ideo in vtraque phraſi *noxam* nihil aliud eſſe, quam poenam. Mihi nihil videtur obſtare, quo minus varia ſignificatio, quae eſt in voce *noxa,* cum ea vel ſola ponitur, vel aliis verbis adiungitur, etiam in phraſi *dedere noxae* eſſe poſſit. Nam et *ob noxam dedere* Latini dicunt, Liu. *lib. XXI. cap. 30. indignatos deinde, quod quicumque Saguntum obſediſſent, velut ob noxam ſibi dedi poſtularet Pop. Rom.* i. e. ob culpam, maleficium, vel damnum datum.

dixerit. Itaque quamuis ille verſus XII. Tab. ita
vti deſcripſi, ab iis qui Legum illarum fragmenta
collegerunt, recitetur; tamen ſi mihi non minus
quam illis diuinare liceret, libens ita legerem:
*Si quadrupes pauperiem feciſſe, quidue in alieno
depaſtus eſſe dicetur, dominus aut noxam dato, aut
noxae aeſtimationem offerto.* Vt Vlpianus verbi
iam deſueti nouitatem fugerit, et pro *dari noxam*,
ſubiecerit *dari id quod nocuit.* Quamuis autem
Hotomano concederemus locum illum Edicti
Praetorii a Triboniano deprauatum eſſe, neque
aliter vnquam dici licuiſſe, quam *noxae dedere*,
praeciſa locutione: fieri tamen poſſet, vt dedi-
22 titii illi ſerui, i. e. qui noxae dediti fuerant, aut
obnoxii, i. e. noxis non ſoluti, et qui noxias
commiſerant, *noxae* et ipſi vocarentur. Sicut et
apud Plautum caeteroſque Comicos ſeruus ne-
quam ſaepe[19] *crux, maſtigia, ſcelus,* vocatur. Sed
et ſeruus ſic *noxa* vocari potuit, vt noxam ipſius
ſerui, i. e. pretium et aeſtimationem dixit Vlpia-
nus in *l. inde Neratius. 23. §. ſed et ſi. 4. D. ad
Leg. Aquil.* Vtut ſit, non temere eſt, quod
Tribonianus hanc differentiam ſtatuit, vt *noxa*
ſit

19 *Crux.*] Cuiac. ad §. 1. *Inſtit. de Noxal. act. noxa veteribus pro reo ipſo, vt crimen, carcer, metallum.* add. Alciat. et Alber. Gentil. *ad. l.* 238. §. *vlt. D. de V. S.* Douſ. Fil. *ad Propert. Cap. XII.* Vt autem concedatur, noxam ea ratione non abſurde dici pro eo, qui nocuit, tamen exiſtimo rectius facturos fuiſſe eos, qui Inſtitutiones compoſuerunt, ſi eo loco, quo exponendum erat, quid eſſet, *hominem noxae dedere*, de quo in *fin. princ. d. Tit.* egerant, propriam potius huius vocabuli ſignificationem, eamque, quae in phraſi *noxae dedere* locum habere poſſet, quam impropriam et translatam tradidiſſent.

ſit corpus quod nocuit, *noxia* ipſum maleficium. Neque mihi ſit veriſimile tam impudentem futurum, vt homo Graecus Latinae linguae noua iura et ſignificata ſine probabili aliquo veterum teſtimonio obtruderet, maxime cum idem videamus a Theophilo Anteceſſore (qui ſane Triboniano non paulo doctior et accuratior fuit) in ſua *paraphraſi Inſtitutionum* confirmari.

VALLA CAP. XXXVII. 23

In eundem de Teſtamento.

Teſtamentum, idem *Lib. II. Inſtit. Tit. 10.* inquit, *ex eo appellatur, quod teſtatio mentis eſt.* Quae diffinitio quorundam Iuriſconſultorum fuit: quos ſi iuſte A. Gellius *Lib. VI. cap. 12.* coarguit, quanto ego iuſtius hunc arguere poſſum, qui exploſam atque deriſam etymologiam inculcat? Nam cur a *mente* potius dicitur, quam a *mento*, vel *menta*? quia nihil ad hanc ſignificationem *mentum*, *mentaue* facit, inquies. Quid ergo *mens* ad *armentum*, ad *ſalſamentum*, ad *ornamentum*, ad *condimentum*, ad *armamentum*, ad *pauimentum*, ad *caementum*, ad *calceamentum*, ad *veſtimentum*, et huiusmodi infinita? Nec minus inepta videtur mihi haec etymologia, quam illa apud Donatum, apud Seruium, apud Iſidorum: *Oratio dicta eſt quaſi oris ratio.* Quid *aratio* eſt? quid *deuoratio?* quid *trituratio?* quid *operatio?* quid mille huiusmodi? nunquid in his *ratio* eſt? an talia ſunt, qualia caetera a ſupinis profecta, *ſatio*,

potatio, meſſio, lectio? Quid? non etiam a ſupino *ratio* venit, *reor ratum ratio*, ſicut ab *oratum oratio?* eo magis, quod ſecundam ſyllabam bis accipi vult, quaſi dicatur *ori ratio*, et non *oratio*. Non eſt ergo vera etymologia haec: neque a
24 *mente*, neque a *mento*, neque a *menta*: ſed potius haec nomina aſſumunt *tum* ſyllabam, cum exirent antea in *men*, vt *veſtimen*, *calceamen*, *munimen*, *lenimen*, *nutrimen*, *ſpiramen*, *medicamen*, *velamen*: quibus adiecta *tum*, ſit *munimentum*, *medicamentum*, *veſtimentum*, *velamentum*, *calceamentum*: ita *teſtamen*, addita ſyllaba *tum*, fit *teſtamentum*. Quod ſi a *mente* deſcenderet *teſtamentum*, *teſtamentia* diceremus, quemadmodum *dementia* et *amentia*. Nihil magis habet ridiculum haec, de qua loquimur, ſcientia, quam etymologiam, in qua ipſe quoque Varro et luſit et luſus eſt.

ALCIATVS AD CAP. XXXVII.

Iuſtinianum irridet, qui *teſtamentum* dixerit *Inſtit. de Teſtam. ordin. in princ. teſtationem mentis eſſe*, auctoritateque A. Gellii *lib. VI. cap. 12*. nititur: alioqui et *ornamentum*, *veſtimentum*, *pauimentum*, idque genus ſimilia a *mente* deducerentur. Quod argumentum diluit Viglius *lib. II. Inſtitut. ſub Tit. de Teſtam. ordin.* optima ſane ratione, aitque Seruium Sulpitium et Iuſtinianum non etymologiam tradere, ſed tantum ad ſimilem vocem alludere voluiſſe. Quae ſententia plurimis eruditiſſimis viris probata eſt. Reſpondeo, non etymologiam ibi Iuſtinianus adducit, ſed alluſionem, qualem Grammatici paronomaſiam, Rhetores pariſon habent, ſolumque in ea nominis conformitas ſpectatur; quod et Fabium Quintilianum non latuit, cum non ad originem vocis, ſed ad ſoni ſimilitudinem referatur, vt hoc caſu eo melior fuit alluſio, quod veritatem etiam reſpicit: in *teſtamentis* enim mens potiſſimum dominatur.

FLO-

FLORIDVS SABINVS AD CAP. XXXVII. 25

Cum optime reprehenderit Iustinianum Laur. Valla, non tamen ab eius defensione Alciatum deterruit. Sic enim respondet: *Non etymologiam ibi ab Imperatore, sed allusionem adduci, cet.* Haec sane quam facile cordato lectori persuasura sint, Iustinianum non etymologiam, sed allusionem spectasse, ii diiudicent, qui rhetoricos colores vel Imperatori, vel Triboniano in mentem venire potuisse credituri sunt. Mihi quidem videtur, qui *stipulationem* a *stipite* (quod Latinis auribus est prorsus inauditum) deduxerit, non hic oratorium ornatum quaesisse, sed ipsam originem, seu etymologiam spectasse: praesertim quod Iustinianus, (1) abdomini verius quam administrando imperio natus, huiusmodi paronomasias ne per somnium quidem nouit vnquam: Tribonianus autem lucri quam verborum proprietatis studiosior fuit, cui supra quam credi potest intentus, vt summus Poëta testatur, *fixit leges pretio atque refixit*, non patriam, sed se ipsum auro, si emptorem inuenisset, venditurus. Fuerunt qui et Iustinianum post Alciatum tutari conati sint: sed eodem redeunt, ac testamentum ita deducunt, vt Vallae verbis nihil addant. Porro autem quod Varronem in etymologia et lusisse, et lusum fuisse Valla subdidit, ad illa referendum est, quae de eo *lib. I. Noct. Attic. cap. 18.* scribit Gellius, cuius haec sunt verba: (2) *In XIV. Rerum diuinarum libro M. Varro doctissimum tunc ciuitatis hominem L. Laelium errasse ostendit, quod vocabulum Graecum vetus traductum in linguam Rom. pro meraco, et quasi a se primitus Latine fictum esset, resoluit in voces Latinas, ratione etymologica falsa. Verba ipsa super ea re Varronis posuimus: In quo Laelius noster literis ornatissimus memoria nostra errauit* 26 *ali-*

1 *Abdomini.*] Hoc crimine Iustinianum falso accusari existimo. Neque enim, si verum esset, taciturus fuisset Procopius, qui eum in Ἀνεκδότοις describit tamquam monstrum nulla virtute redemtum a vitiis. Is autem gulae ventrique deditum fuisse Iustinianum non modo non commemorat, sed contra *pag. 62.* Ed. Alem. semper cibum potumque intra satietatem sumsisse scribit. Nec Alemannus, qui studiose omnia conquisiuit, quae ad vituperationem huius Principis pertinent, quidquam protulit, quod huic criminationi fidem faciat. De Triboniani auaritia et nundinatione legum est apud Suidam e Procopio *de Bell. Persic.*

2 *In XIV.*] Quaedam aliter leguntur in recentioribus Editionibus.

aliquoties, nam aliquot verborum antiquorum Graecorum, perinde atque eſſent propria noſtra, reddidit cauſſas falſas. Non enim leporem dicimus (vt ait) quod eſt leuipes, ſed quod eſt vocabulum antiquum Graecum, multa enim vetera illorum ignorantur, quod pro iis aliis nunc vocabulis vtuntur: et illorum eſſe plerique ignorent Graecum, quod nunc nominant ἕλληνα: *puteum eſſe, quod vocent* φρέαρ: *leporem, quod* λαγωὸν *dicunt. In quo non modo Laelii ingenium non reprehendo, ſed induſtriam laudo. Succeſſum enim fortuna, experientiam laus ſequitur. Haec Varro in priore libro ſcripſit, de ratione vocabulorum ſcitiſſime, de vſu vtriuſque linguae peritiſſime, de ipſo Laelio clementiſſime. Sed in poſteriore eiusdem libri parte dicit furem ex eo dictum, quod veteres Romani furuum atrum appellauerint, et fures per noctem, quae atra ſit, facilius furentur. Nonne ſic videtur Varro de fure erraſſe, tanquam Laelius de lepore? Nam quod Graecis nunc* κλέπτης *dicitur, antiquiore Graeca Lingua* φῶρ *eſt dictum: hinc per affinitatem literarum, qui* φῶρ *Graece eſt, Latine fur. Sed ea res fugeritne tunc Varronis memoriam, an contra aptius et cohaerentius putarit, furem a furuo, id eſt, nigro appellari, in hac re de viro tam excellentis doctrinae non meum iudicium eſt.* Haec Gellius. Tametſi non deſint, qui *furem* a *ferendo* dictum affirmarint, vt (3) Paulus Iuriſc. exiſtimat.

3 *Paulus.*] *l. 1. princ D. de Furt.* vbi plures adfert huius vocabuli originationes.

DEFENSOR AD CAP. XXXVII.

Hic vero quid habes, Laurenti, in quo Tribonianum reprehendas, quod non ab Agellio ſumpſeris? Libet tamen non tam Tribonianum,
27 quam Seruium Sulpitium, et aduerſus [1] Agellium, et aduerſus te ipſum defendere. An vero cenſes clariſ-

1 *Agellium*] Et tamen, ſi rem ſpectes, idem dicit, quod Gellius: nam nec oſtendere poteſt *teſtamentum* eſſe verbum duplex, quod a Sulpicio traditum recte negant Gellius et Valla, et ipſe fateri cogitur etymologiam illam concinnam magis eſſe, quam veram. Eadem eſt ſententia Cuiacii XI. *Obſeru.* 37. Hotomani, et aliorum doctorum Iuris interpretum.

clariſſimum illum Iureconſultum, cum *teſtamentum* duplex eſſe verbum ſcripſit *a mentis conteſtatione* compoſitum, ignoraſſe *(mentum)* illud productionem eſſe vocabuli et additamentum quoddam, quod nihilo magis a *mente* deductum ſit, quam in *calciamentum* aut *paludamentum* poſtremae ſyllabae? Aut tu putas, Agelli, C. Trebatium, cui [2] Cicero Iuris ciuilis cognitionis palmam tribuit, tam linguae Romanae imperitum fuiſſe, vt *Sacellum* a *Sacro* deminutum eſſe neſciverit, licet ex duobus verbis [3] *ſacri* et *cellae* compoſitum eſſe ſcripſerit, quaſi *ſacram cellam*? [4] Luſerunt ſcilicet in iis ἐτύμοις proponendis, et ingenio ſuo indulſerunt, quod omnibus fere, qui verborum origines conſectantur, permiſſum videmus. Sic enim et [5] M. Varro, Romanorum omnium doctiſſimus, *aedituum* a *tuendis aedibus* deriuat: cum tamen aliis locis (nempe *lib. II. de Lingua Latina*, vel, vt Agellius *lib. XII. cap. 10.* 28
citat, *de Latino ſermone*, et [6] *lib. I. de Re Ruſt.*) *aediti-*

2 *Cicero.*] VII. *Famil.* 5. *et ſeqq.*
3 *Sacri.*] apud Gell. VI. *Noct. Att.* 12.
4 *Luſerunt.*] De etymologiis Iuriſconſultorum vid. Cuiac. loc. d. Mag. *Miſcellan. IV.* 1. Menag. *Amoen. Iur. Ciu. Cap. XXXIX.*
5 *M. Varro.*] *Lib. VI. de Lingua Lat. pag. 68. Ed. Dordr.*
6 *Lib. I. de Re ruſt.*] *Cap. 2.* in princ. Nec tamen Varro, cum *aedituмus*, vel *aeditimus*, dicendum potius cenſet, quam *aedituus*, negat hoc eſſe a *tueor*; ſed de ſcriptura tantum, vel pronunciatione, agit, non de etymo, de quo *lib VI. de Ling. Lat. pag. 68.* ita ſcribit: *a quo* (nimirum: *tuendo* ac tutela) *quidam dicunt illum, qui curat aedeis ſacras, aedituum, non aeditumum. Sed tamen hoc ipſum ab eadem profectum eſt origine.* Varronis etymologiam reiiciunt Anton. Auguſtinus *ad Feſtum v. aedi-*

aeditimum potius quam *aedituum* dicendum censeat, quod alterum ſit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum. Et Vlp. in *l. 2. §. appellata. 2. D. de Reb. cred. appellata eſt,* inquit, *mutui datio ex eo, quod de meo tuum fiat:* cum tamen certum ſit, *tuum,* illud in *mutuo* nihilo magis ad ἔτυμον pertinere, quam *tuus* in *aedituus:* ſed ſi Grammaticorum deriuationem ſpectemus, ſimpliciter dicendum eſſe *aedituum* ab *aedibus* dici, et *mutui* mutuandique verba [7] a *mutando,* quod permutationis quoddam genus
29 contrahatur. Verum tantum abeſt vt reprehendendi ſint, quin laudandos potius arbitror, quod tale quid excogitarint, quo rei ſignificatum non ſolum exprimeretur, ſed et a verbo ipſo quodammodo ductum videretur. Nam et ad memoriam facit haec deductio, quae propoſito ſtatim nomine ſeſe offert, et ad rei ipſius definitionem

v. aedituus, Voſſius *in Etymolog. h. v.* et Clar. Perizonius *ad Sanct. Minerv. Lib. IV. cap. 17.* At probat Vir magnus Ioh. Fr. Gronouius *ad Gell. VII. 1.* eo quod Lucretius *Lib. VI. v. 1273.* pro aedituis *aedituentes* dicit: inde enim apparet hunc quoque exiſtimaſſe, poſteriorem partem compoſiti in hac voce eſſe a *tueor.* Eamdem etiam Paulus *l. 1. §. 1 ff. de Tutel* et Imperator. §. 2. *Inſtit. eod.* ſequuntur. Sed hos quoque, verum alia ratione, reprehendit Vlitius *ad Gratii Cyneget. v. 346.* nam errare eos ait, qui putent tutorem dici a *tuendo,* quaſi defenſorem, et *tueri* aedes idem eſſe, quod defendere, cum in his *tueri* ſit inſpicere, non defendere. Hoc acumen non ſatis capio: nam qui inſpiciendae alicui rei praepoſitus eſt, is vtique plerumque etiam defendere eam debet. De tutore certe hoc negari non poteſt.

7 *A mutando.*] Ita Cuiac. *loc. d.* At Varro *Lib. IV. de Ling. Lat. pag. 42. Si datur, quod reddatur, mutuum: quod Siculi* μοῖτον. Hoc placet Salmaſio *de Vſur. p. 35* et Voſſ. *in Etymolog.*

nem aditum parat. Igitur hae Seruii Sulpitii in *teſtamento,* C. Trebatii in *ſacello,* M. Varronis in *aedituo*, et Vlpiani in *mutuo* non tam ἐτυμολογίαι ſunt, i. e. verbum de verbo, veriloquia, aut notationes ex vi nominis ductae, quam alluſiones ad verbi ἔτυμον, in quo multa ingenioſis hominibus permiſſa debent eſſe, maxime cum ad verbi vim et ſenſum percipiendum conducunt. Has autem ſiue alluſiones, ſiue etymologias, longe aequiore animo feret, quisquis multas alias non paulo alieniores, et, ſi dicere licet, ridiculas legerit apud Quintilianum *lib. I. cap 6.* et ipſum M. Varronem *in libris de Lingua Latina.* Quin etiam locos in quibus eae traduntur diligenter animaduertendos cenſeo. Nam cum Sulpitius *libro de Teſtamentis ſecundo* hanc teſtamenti compoſitionem ſcriptam reliquerit, credibile eſt eum ad docendi rationem inuentum hoc ſuum accommodaſſe: vt quia *teſtimonium* non minus quam *teſtamentum* a *teſtando* deduci poſſet; *teſta-* 30
mentum a *mentis teſtatione* compoſitum eſſe diceret, vt eſſet mentis, i. e. iudicii ac voluntatis teſtatio, ſcilicet de eo, quod quis poſt mortem ſuam de bonis ſuis fieri vellet. Viden, o Valla, quam faciat hoc inuentum ad verbi vim et effectum penitus exprimendum? Vnde confirmatur, quod idem Fabius *loco citato* ſcripſit, *in definitionibus aſſignari etymologiae locum,* et *lib. VII. cap. 3. maximum vſum eius eſſe in approbando refellendoue fine propriorum ac differentium.* Nam definitiones a propriis et differentibus plerumque peti

peti cuiuis eſt cognitum. Rurſus idem Seruius cum Mancini cauſam defenderet, eumque poſtliminio rediſſe probare vellet, in *poſtliminio* nihil eſſe notandum, niſi, *poſt,* dicebat *(liminium)* illud productionem eſſe verbi volebat, neque in *poſtliminio* plus ineſſe aut ad verbi notam facere, quam in *finitimo, legitimo, aeditimo, timum,* aut in *meditullio, tullium;* cauſae ſcilicet ſuae contra Iuris et etymi rationem ſeruiens. Contra vero Scaevola P. Fil. diſputabat, et iunctum eſſe verbum dicebat, vt ſit in eo *poſt,* et *limen,* quod et verius eſt. §. *ſi ab hoſtibus. 5. Inſtit. Quib. mod. ius patr. pot. ſolu.* [8] *l. poſtliminium. 19. §. vlt. D.*
31 *de Captiu. et poſtlim. reu.* M. autem Cicero [9] in Topicis, quo loco hanc Sulpitii et Scaeuolae controuerſiam recitat, acute diſputat, licet verior ſit Scaeuolae notatio, et poſtliminio non redierit Mancinus, tamen ciuem eum Romanum manſiſſe: quia ſcilicet deditus dici non poſſit, qui non fuerit ab hoſtibus receptus. Nam neque deditionem neque donationem ſine acceptione intelligi poſſe. Quod ideo interſerui, quia locum illum [10] Partitionum Ciceronis non ſatis intellexiſſe Valla videtur. Verum vt ad etymologias reuertamur: luſerit ſanę in iis M. Varro, et vicisſim

8 *l. Poſtliminium.*] In hac nihil reperio, quod ad etymologiam huius vocis pertineat.

9 *In Topicis.*] *Cap. VIII.* Cum Scaeuola ſentiunt Scaliger *ad Feſtum v. Poſtliminium*, et Salmas. *ad Ius Att. et Rom. Cap. XXVI.*

10 *Partitionum.*] Hoc quid ſibi velit non intelligo: nam Cicero in *Partitionibus Oratoriis* de poſtliminio non agit. Nec Vallae locum, ad quem hic reſpicit, inuenio.

ſim a quibusdem luſus ſit, non ideo tamen ridiculae, non ineptae dici debent: cum et acumen ingenii oſtendant, et rem ob oculos ponant. Hic vero noſter magno ſane ingenio: *Si a mente,* inquit, *teſtamentum duceretur, teſtamentia potius dicendum eſſet, quemadmodum dementia dicimus et amentia.* Quaſi vero verbi nota idem ſit atque Grammatica deductio aut inflexio. An vero tu [11] M. Tullium ignoraſſe credis, *Fidei*, nomen ſimplex eſſe, non compoſitum? licet ſcripſerit *appellatam eſſe fidem, quia fiat quod dictum eſt.*
Imo illa προφάσει vtitur, *licet alicui durius id vi-* 32
deri poſſit, id ſe tamen eo facere vt Stoicos imitetur, qui ſtudioſe exquirunt vnde verba ducta ſint: neque id expreſſe affirmat, ſed *credamus* inquit. Vnde *lib. II. Offic. cap. 9.* neglecto illo ἐτύμῳ *iuſtis et fidis hominibus ita fidem haberi dicit, ſi nulla ſit in his fraudis iniuriaeque ſuſpicio.* Rurſus: an tu Donatum aut Seruium Grammaticum eius artis, quam profiterentur, tam ignaros fuiſſe cenſes, aut ipſum etiam Iſidorum, vt neſcierint verba haec ita flecti debere, *reor, ratum, ratio: oro, oraui, oratio?* Ideoque ſi Grammaticam tantum inflexionem ſpectemus, nihil ad haec facere, *rationem.* Quid igitur ſibi volunt, cum tradunt *orationem* dictam eſſe quaſi *oris rationem?* Eodem ſane reſpexerunt quo et Paulus noſter, qui in *l. Senatus. 35. §. 1.* [12] *D. de Mortis*

11 *M. Tullium.*] *Lib. I. Offic. cap. 7.*

12 *D. de Mortis.*] In Edd. Gothofredi hic Titulus inſcribitur *de Mortis cauſa donationibus et captionibus,* et legitur in *leg. d. quaſi dono datum, rapta a Graeco.*

tis cauſ. capion. *Donatio*, inquit, *dicta eſt a dono quaſi doni datio, raptum a Graeco, nam hi dicunt* δῶρεν καὶ δωρεῖσθαι. Viden eum in flexione *donum* ſolum ſpectare (quod a *donando* deriuat Labeo *l. inter donum. 194. D. de Verb. Sign.* in ἐτύμῳ ſiue alluſione *doni dationem* ponere? Obrepſit igitur iis, ſicut de Seruio et Trebatio loquitur Agellius, etymologiae ipſius concinnitas, quam licet ille falſam dicat, non tamen con-
33 tumelioſe, vt tu, ineptam et ridiculam appellat, ſed tanquam non inconcinnam admittit. Itaque finem huic tuae reprehenſioni faciam, ſi prius, quod tu de Iſidoro dicis, quem indoctorum omnium arrogantiſſimum vocas, qui cum nihil ſciat, omnia praecipit, id in te torſero, et te doctorum omnium arrogantiſſimum nominauero.

VALLA CAP. XXXVIII.

In Iuriſconſultos de Mulier.

Mulieris appellatione ([1] Caius inquit) *etiam virgo viripotens continetur.* [2] Vlpianus autem quodam loco ita ait: *Quod ſi ego me virginem emere putarem; cum eſſet mulier, emptio non valebit.* Hic *mulierem* appellat, quae virgo non eſt; ille etiam quae virgo eſt. Et Vlpiani quidem locutio recta eſt [3] Ciceronis teſtimonio: qui obiur-

1 *Caius.*] *ff. lib. 50. tit. 16. cap. 13. C.*
2 *Vlpianus.*] *l. 11. §. 1. D. de Contr. empt.*
3 *Ciceronis.*] Quintil. *Lib. VI. cap. 4. C.* In Ed. Obrecht. eſt *cap. 3.* aliae Edd. *cap. 3. et 4.* coniungunt. Apud Quintilianum autem *Popilia* ſcribitur. Boſius *ad Cicer. XII. ad Attic. 32. Publiliae* nomen fuiſſe putat.

obiurgantibus quod ſexagenarius Pompiliam virginem duxiſſet, *cras mulier erit,* inquit. Sed Caii quoque diffinitio locum habet aliquando: vt ſi quis videns decem foeminas, quarum aliqua virgo 34
ſit, aetate tamen, qua mulier eſſe poſſit, dicat, vidi decem mulieres. Quo modo etiam [4] in Euang. dicitur: *Quid mihi et tibi eſt mulier?* Sed ex Graeco ſumptum eſt θῆλυς vel γυνὴ, quo ſignificatur vel *foemina,* vel *mulier.* Idem quoque [5] Vlpianus inquit: *mulierem ita arctam vt mulier fieri non poſſit, ſanam non videri conſtat.* Eandem dixit et mulierem et non mulierem: primum pro ea quae eſt foemina, ſecundum pro corrupta.

4 *In Euang.*] *Ioan. cap. 2. C.*
5 *Vlpianus.*] *l. 14. §. 7. D. de Aedil. Ed.*

ALCIATVS AD CAP. XXXVIII.

Negare videtur *mulieris* appellatione virginem contineri, quod Caius *l. mulieris 13. D. de Verb. ſign.* affirmauerat. At ego idem aio cum ad ſexum haec vox refertur; quandoquidem nec etymologia repugnat, cum (1) Lactantio auctore *a mollitie mulier* dicatur.

1 *Lactantio.*] *Cap. XII. de Opific. Dei*, e Varrone.

FLORIDVS AD CAP. XXXVIII.

Haec Vallae verba ſi vera ſunt, Caii ſententia improbanda erit. Alciatus tamen abſque aliquo autore idem ait: *cum ad ſexum haec vox referatur, quandoquidem nec etymologia repugnat, et Lactantio teſte a mollitie mulier dicitur.* Et (1) alibi eiusdem Caii verba declarans, *mulieris appellatione ita virginem viripotentem contineri cenſet, ſi verba proprie accipiantur: alioquin ex lata interpretatione etiam non viripotentem mulierem* 35
eſſe, nimirum quia muliebris eſt ſexus, nec refragatur etymologia. Et

1 *Alibi.*] *ad l. 13. D. de Verb. ſign.*

Et paulo poſt: *ſane*, inquit, *ſi foeminam empturo venditor dixerit non eſſe mulierem, de corrupta intelligimus: nec enim de ſexu veriſimile eſt tunc eſſe dubitatum. Et M. Cicero cum obiurgaretur, quod virginem ſenex vxorem duxiſſet, Cras, inquit, mulierem reddam.* Quibus in locis cum nullam adducat pro Iureconſulto rationem, niſi quod *a mollitie mulier* dicatur, Vallam nihilominus inſectatur, quem ego ex Ciceronis Plautique verbis recte ſenſiſſe oſtendam, quum ille in (1) *tertia Verrina* ſic ſcribat: *Atque vt eum ſuae libidines flagitioſe facere admonuerant, ſtatim negotium dat illis ſuis comitibus, nequiſſimis turpiſſimisque hominibus, vt videant, et inueſtigent, ecquae virgo ſit aut mulier digna, quamobrem iſte Lampſaci diutius commorāretur.* Quis neſcit, *aut* coniunctionem inter diuerſa ſemper poni ſolere? quod ſi mulier virginem comprehendit, quid opus erat, *aut virginem*, a M. Tullio dici? nonne ſatis erat, *ecquae mulier ſit digna, quamobrem iſte Lampſaci diutius commoraretur?* Et (2) inferius idem Cicero, *Imitatus eſſes*, ait, *illum ipſum C. Voconium, qui lege ſua haereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri. Sanxit in poſterum, qui poſt eos Cenſores cenſus eſſet, ne quis haeredem virginem, neue mulierem faceret.* Quorſum illa verba, *Ne quis haeredem virginem*, cum mulierem eſſet ſubiuncturus, ſi mulieris appellatione virgo etiam continetur? Plautus vero *in Perſa III.* I. 37. ſic:

Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quae praeter ſapiet, quam placet parentibus.
Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala
Quae reticet, ſi quid fieri peruerſe videt.

Cui igitur magis ſit credendum, Ciceronine ac Plauto, an vni Caio, cui etiam aduerſatur Vlpianus, candidi iudices interpretabuntur.

1 *Tertia Verr.*] Siue *lib. I. in Verr. cap. 24.* 2 *Inferius.*] *Cap. 42.* ibid.

DEFENSOR AD CAP. XXXVIII.

Nempe hoc loco Caium et Vlpianum contraria locutos eſſe oſtendere voluiſti: imo vero Vlpianum in *mulieris* ſignificatione ſibi ipſi non
36 conſtare. Nam quod ex Caio profers [1] Vlpiani eſt

1 *Vlpiani.*] Interpretes quidam notant in Vulg. inſcriptionem hanc eſſe, *Gaius lib. 7. ad Edictum Prouinciale;* in Florent. *Idem.* ſcil. Vlpianus, cuius eſt lex praecedens.

eſt in *l. mulieris. 13. D. de Verb. ſign.* Verum hoc reprehenſionem non meretur, ſed commodam recipit interpretationem. Quis enim non videt *mulieris* appellatione generaliter [2] omnes foeminini ſexus perſonas comprehendi *l. argumento.* 25. §. *muliebri.* 9. *D. de Aur. et arg. leg.* et *d. l. mulieris.* Vnde mulieribus legatis etiam virgines continebuntur *l. ſeruis. 81. D. de Legat. 3.* de quo pluribus Tertullianus diſſeruit in tractatu *de Virginibus velandis.* At cum virgini nomen illud opponitur, non alia quam corrupta intelligi poteſt *l. alioquin. 11. D. de Contrah. empt. l. ex empto.* 11. §. *ſi quis virginem.* 5. *D. de Action. empt.* Cic. *Verrina III. negotium dat illis ſuis comitibus, vt videant et inueſtigent, ecquae virgo* 37
ſit aut mulier digna, quamobrem iſte Lampſaci diutius commoretur. Et poſtea: *Qui lege ſua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri.* Vnde etiam conſuetudo inualuit, vel teſte

[3] Ser-

2 *Omnes*] Hac reſponſione ſatis videtur occurri cenſuris Vallae et Floridi, quae procul dubio inanes ſunt: eſt enim certum multa eſſe apud ſcriptores veteres loca, in quibus nomine *mulierum* etiam *virgines* comprehenduntur, vt vel ex hoc vno apud *Cicer. II. de Legib. 12.* patet: *Ei colendae virgines praeſint, vt aduigiletur facilius ad cuſtodiam ignis, et ſentiant mulieres in natura foeminarum omnem caſtitatem pati.* Nec tamen ita tollitur omnis difficultas, quae eſt in verbis Vlpiani in *d. l. 13. de V. S.* Nam ſi ea de ſexu intelligenda ſunt, quaeri poteſt, cur ergo ab appellatione mulierum excludat virgines nondum viripotentes, quae vtique etiam muliebris ſexus ſunt. Verum non tam ad ſexum reſpexit, quam ad alium articulum Iuris; nimirum, vt vult Cuiacius ad *h. l.* ad Edictum, *Si mulier ventris nomine calumniae cauſa in poſſeſſionem miſſa eſſe dicetur.* Alii Interpretes alio referunt.

[3] Seruio *in II. Aeneid.* vt *nuptae mulieres, innuptae virgines* appellarentur, quas et vulgus noſtrum filiarum foeminarumque appellatione diſcernit. Verum id tibi minime nouum, Laurenti, videretur, ſi frequenti Digeſtorum lectioni diutius aſſueuiſſes: obſeruaſſes enim in plerisque Iuris partibus verborum duplicem ſignificationem, generalem vnam, alteram ſpecialem: adeoque generale illud in ſpeciale nominis eiusdem ſubdividi: vt ſi quis mulieres omnes ſubpartiatur in virgines et mulieres. Praeterea quam oſcitanter haec deſcripſeris apparet ex eo, quod Vlpianum ita loquentem inducis: *quod ſi ego me virginem emere putarem, cum eſſet mulier, emptio non valebit.* Cum contra ſcripſerit, *valebit emptio d. l. alioquin.* 11. §. 1. *D. de Contrah. empt.* licet ex empto competat actio ad reſoluendam emptionem, ſi ſciens venditor errare emptorem paſſus ſit *d. l.* 11. §. 5. *D. de Action. empt.* Itemque in
38 eo, quod [4] *Marcum* pro *Martiano* nominaſti authorem *l. munus 214. de Verb. ſign.* Caeterum quod hic Vlpianum notat, *qui mulierem ita arctam, vt mulier fieri non poſſit, ſanam non videri* ſcripſerit, in eo illum [5] excuſare nolo. Idque tanquam

3 *Seruio*] Eſt in XI. *Aen.* 687. Varias vocis *mulier* ſignificationes enumerat Grotius in *Flor. ſpars. ad l.* 13. *de V. S.*

4 *Marcum*] Hoc pertinet ad *cap. ſeq.* vbi in Cantabr. recte editur *Martianus.* In aliis Edd. id typographorum vitium eſſe ex eo potuerat animaduertere, quod in iisdem paulo ante *eod. cap.* recte legitur *Martianus.*

5 *Excuſare nolo*] Hoc tamen non tanti erat, vt propterea deferendum fuerit vadimonium, et quod Defenſori noſtro incom-

tanquam obſcure atque etiam incommode dictum ad eum locum notaueram, antequam in hanc tuam reprehenſionem incidiſſem. Neque ego is ſum, qui noſtrorum errores, ſi quos admiſerunt, mordicus tueri, aut ἀντινομίας omnes, quas imprudens Tribonianus in medio reliquit, conciliare velim. Ne tamen hoc nomine tibi nimis placeas, facile eſt cuiuis non maligno vel nimis tardo interpreti videre, *mulierem* in hoc Vlpiani reſponſo priore quidem loco poni generali illa ſignificatione, pro qualibet foemina, et, vt loquitur Tribonianus, muliebris ſexus perſona: poſteriore vero pro corrupta et vitiata, quae iam virgo non eſt.

VALLA CAP. XXXIX. 39

In eosdem de Munus *et* Donum

Munus ([1] Paulus inquit) *tribus modis dicitur: Vno donum, et inde munera dici dari, mittiue: Altero onus, quod cum remittitur, vacationem militiae munerisque praeſtat, inde immunitatem appellari. Tertio dicitur officium, vnde munera militaria, et quosdam milites munifices vocari.*

incommode, id aliis non ineleganter dictum eſſe videtur. Gothofred. *ad h. l.* Scip. Gentil. I. *Parerg. 16.* et Voſſius V. *Inſtit. Orat. 2.* πλοκὴν eſſe volunt. Grotius *l. d.* in hac locutione duas ſignificationes vocis *mulier* miſtas eſſe ſcribit, eam, qua pro virgine viripotente ſumitur, et qua pro muliere virum paſſa, et ὀξύμωρον eſſe ait, vt in illo Virg. VII. *Aen. 295. num capti potuere capi?* Et apud Cicer. I. *Catil. 8. cum tacent, clamant.*

1 *Paulus*] *l. 18. ff. de Verb. ſign.*

Igitur et municipes dicti quod munera ciuilia capiant. [2] Idem alibi: *municipes intelligendi ſunt et ii, qui in eodem municipio nati ſunt.* [3] Vlpianus: *Municipes quidem proprie appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem vt munera nobiſcum facerent. Sed nunc abuſiue municipes dicimus ſuae cuiuscumque ciuitatis ciues, vtputa Campanos, Puteolanos.* [4] Pomponius ita ait: *Munus publicum eſt officium priuati hominis, ex quo commodum ad ſingulos vniuerſosque ciues, remque eorum imperio magiſtratus extra ordinem peruenit.* [5] Martianus autem ſic: *Munus proprie eſt, quod neceſſario ſubimus lege, more, imperioue eius, qui*
40 *iubendi habet poteſtatem. Dona autem proprie ſunt, quae nulla neceſſitate, iure, officio, ſed ſponte praeſtantur: quae ſi non praeſtantur, nulla reprehenſio eſt: et ſi praeſtentur, plerumque laus ineſt. Sed in ſumma in hoc ventum eſt, vt non quodcunque munus id et donum accipiatur: at quod donum fuerit, id recte munus dicatur?* Quomodo hi Iuriſconſulti inter ſe conueniant, et an aliquid deſit alicui horum, Accurſius cum Bartolo Baldoque conſultet, dumque mihi (vt more ipſorum loquamur) ambo tresue reſpondeant, affirmentque quod Martianus ait, *donum* eſſe *ſpeciem, munus* vero *genus:* idemque contrarium eſſe verbis

2 *Idem*] *l. 228. D. eod.*

3 *Vlpianus*] *l. 1. §. 1. D. ad Municipal.*

4 *Pomponius*] *l. 239. §. 3. D. de Verb. ſign.*

5 *Martianus*] *l. 214. D. eod.*

verbis [6] Vlpiani dicentis: *Inter donum et munus hoc intereſt, quod inter genus et ſpeciem. Nam genus eſſe donum ideo Labeo ait a donando dictum: munus ſpeciem. Nam munus eſſe donum cum cauſa: vtputa natalium, nuptiarum.* Hic meam non interpono ſententiam, ne illos triumuiros doceam contra me reſpondere. Quod ſi me vtique ſequi voluerint, reſpondeant neutrum verum dicere. Nam neque genus neque ſpecies in haec duo nomina cadit. Et *nullum mihi videtur donum ſine cauſa eſſe.*

6 *Vlpiani*] *l. 194. eod.* In Edd. Gothofr. hic et in ſuperioribus quaedam paullo aliter leguntur, quae annotare operae pretium non duxi.

ALCIATVS AD CAP. XXXIX. 41

Aduerſari Martianum Vlpiano ait, quod ille *munus recte dici quodcunque donum ſit:* hic *donum generis nomen, munus ſpeciei* aſſeruerit. Sed difficillima non eſt reſolutio, cum *munus* generaliter acceptum etiam officia et onera comprehendat, tum etiam quamcunque largitionem ſignificet, ſiue cum cauſa, ſiue absque cauſa: at ſi ſpecialiter pro largitione tantum ponatur, tunc largitionem cum cauſa. Nec mirum eſt, eandem vocem et ſpecialiter et generaliter accipi, vt in iurisdictione adoptioneque dicimus.

FLORIDVS AD CAP. XXXIX.

Horum minime quidem difficillimam reſolutionem (nam difficilem propemodum fatetur) cenſet Alciatus, *cum munus generaliter acceptum etiam officia et onera comprehendat, et quamcunque largitionem ſiue cum cauſa, ſiue absque cauſa ſignificet. Nec enim eſt mirum eandem vocem ſpecialiter accipi, vt in iurisdictione adoptioneque dicimus.* Et alio loco ad *l. 194. D. de Verb. ſign.* Vlpiani verba interpretans ſic ait: *Quid inter munus et donum intereſſet non Iuriſconſulti tantum, ſed et Grammatici plerunque dubitauere: aliis opinantibus dona ad Deos pertinere, vt Seruio et Donato; aliis ad homines etiam,*

quibus a potentiore donatur, vt cum pauperibus diuites, Imperator militibus donat, quod Cornelio Frontoni placuit. Sed verior est Iurisconsultorum interpretatio, vt donum latiore significatione accipiatur, quam munus: esse enim munus, quod ex necessitate officii iustaue aliqua causa praestatur: vt cum patrono donatur, qui nuptias contraxerit, vel qui filium sustulerit. Terent. in Phorm. I. 1. 5. nam herilem filium eius duxisse audio vxorem, ei credo munus hoc corraditur. Et rursus ibid. v. 14. *porro autem ferietur alio munere, vbi hera pepererit: porro autem alio, vbi erit puero natalis dies.* Et inferius *ibid. Laurentius tamen Valla etiam cum causa donum dici existimauit, Iurisconsultosque insectatur, quod pugnantia simul scripsisse videantur. Sed hanc ego litem infra dirimam. Quod autem hic dicitur interesse inter haec verba hoc, quod inter genus et speciem, non aliud significat,*
42 *quam sicut latior est generis quam speciei significatio, ita esse latiorem doni notationem quam muneris: nec enim proprie donum genus est. Similiter et alibi scriptum est: plebs a populo differt, quod species a genere: quod videlicet latius populi nomen pertineat §. lex. 4. Instit. de Iure natur.* Alibi quoque ad *l. 214. D. de Verb. sign.* Martiani definitionem enarrans ita inquit: *Illud in praesentia omittendum non est, existimasse Vallam, Martianum hic Vlpiano aduersari l. inter donum. 194. de Verb. sign. quod ille tradit doni significationem latius quam muneris patere: at hic aliter distinguatur, nimirum munus ad necessitatem pertinere, donum sponte dari: rursus in hoc ventum esse, vt omne donum munus dici possit. Sed has obiectiones ipse sic extrico, vt munus, si generaliter accipiatur, cum ad onera officiaue etiam pertinet, verum sit, non quodcunque munus donum esse: sed si pro largitione accipiatur, tunc id significare, quod ex necessitate alicuius officii vel ex causa datur: nisi quod in hoc ex communi loquendi vsu ventum est, vt qualiscunque largitio vel donum munus dici possit. Vlpianus igitur rationem sermonis, Martianus vsum considerat.* Hic ego omnia Alciati loca de reducendis in concordiam Iurisconsultorum scriptis, nisi me aliqua fugerunt, recensui. Quae tamen, quod ad rem faciat, nihil habent, meo iudicio. Cum enim *donum speciem* esse, *munus* vero *genus* scripserit Martianus, Vlpianus autem *genus donum* appellet, *munus speciem*; quomodo vtraque definitio vera esse valeat, non intelligo. Nam friuola est illa ratio, eandem vocem et generaliter et specialiter posse capi, vt in iurisdictione adoptioneque dicimus. Enimuero vt adoptio et genus et species esse valeat, cum adoptionis species sit arrogatio, quisnam sanus arrogationem vt genus considerari posse affirmet, cuius sit species ipsa adoptio? Atqui non eam fuisse Iurisconsultorum sententiam praeclare apparet, cum eorum vterque ita vel *munus* vel *donum* esse dixerit: vt generalius hoc vel

illud

illud habeatur, et vel muneris ſpecies donum vel doni munus dicamus: quorum vtrunque nec ſimul verum eſſe poteſt, nec aliquam habet adoptionis arrogationisque ſimilitudinem: cum praue ſenſurus eſſet, qui vel arrogationem adoptionis genus aſſereret, vt adoptionis ſpeciem arrogationem eſſe ſcimus. Sed quid verbis opus eſt? cum et ipſe fateatur Alciatus, *donum* proprie *genus* non eſſe, contra Labeonem, et ei ſubſcribentem Vlpianum. Similiter alibi ſcriptum eſſe idem Alciatus ſubiungit, plebem differre a populo, vt a genere ſpeciem, quod latius populi nomen pertineat. Illud hic quaeſiuero, cum vere ſit pronunciaturus, qui populum vt genus, plebem vt ſpeciem conſiderari doceat: nonne impudenter aberraturus 43
eſt, qui plebem vt genus, populum vt ſpeciem capi poſſe contendat? non ita iſta conuertuntur, quemadmodum diuerſas Iureconſultorum ſententias conuerti neceſſe eſt, ſi *munus* nunc *donum* ſub ſe quaſi ſpeciem, nunc *donum munus* continere recte dicamus. Neque illud Alciati commentum vllo pacto mihi probatur, *hoc ſignificare ſcilicet intereſſe inter munus et donum, quod inter genus et ſpeciem: quod ſicut latior eſt generis quam ſpeciei ſignificatio, ita latior ſit doni quam muneris notatio.* Simpliciter enim loquuntur Iuriſconſulti, et maxime proprie. Quod et ſentire Alciatum non ambigo, quamuis pro ſuſcepto munere nihil eſſe in legibus contrarium iis oſtendere laborat, qui omnes Iureconſultorum ſententias, vel inter ſe contrarias, vel etiam non admodum veras, pro Sibyllae folio ſunt habituri. Cumque Vlpianus *munus donum cum cauſa* eſſe ſubdiderit: quamuis nullum eſſe donum, cui non aliqua ſubſit cauſa, vere cenſeat Valla, aliqua tamen hic exempla ſubiiciam, in quibus donum non occultam, ſed apertiſſimam habet cauſam. Terentius in *Eunucho* V. 9. 27. *Hoc ſi effeceris, quoduis donum a me praemium optato, id optatum feres.* Liuius *lib.* XXI. ab Vrbe condita *cap.* 23. de Annibale loquens: *Hoc viſu laetus,* inquit, *tripartito Hiberum copias traiecit, praemiſſis qui Gallorum animos, qua traducendus exercitus erat, donis conciliarent, Alpiumque tranſitus ſpecularentur.* Virgilius quoque XII. *Aen.* 768.

Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant
Laurenti Diuo.

Horatius in *Epiſt. II. Ep.* 2. 32. de Luculli militibus loquens.

Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis.

Propertius *lib. II. Eleg.* 13. (al. 16.) v. 3.

Non potuit ſaxo vitam poſuiſſe Cerauno?
Ah Neptune tibi qualia dona darem.

Tibullus *lib. I. Eleg.* 10. (al. 9.) v. 53.

At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis vxor inulta dolis.

Et *lib. II. Eleg.* 4. 21.

At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
Nec iaceam clausam flebilis ante domum.

44 Caesar *lib. VII. de B. G. cap.* 31. *Nec minus quam est pollicitus Vercingetorix, animo laborabat, vt sibi reliquas ciuitates adiungeret, atque earum principes donis pollicitationibusque alliciebat.* Virgilius quoque in I. *Aen.* 647. idem munus donumque promiscue appellat ait enim:

Munera praeterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet.

de quibus inferius v. 695.

Iamque ibat dicto parens et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate. Et v. 679.
Dona ferens pelago et flammis restantia Troiae. Et v. 709.
Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum.

In VI. *Aen.* 142. autem de ramo aureo ait:

Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit.

de quo inferius v. 408.

—— Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam aduertit puppim.

In VIII. *Aen.* quoque Aeneae arma nunc munus nunc donum vocat. v. 608.

At Venus aetherios inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat.

Et paulo post v. 612.

En perfecta mei promissa coniugis arte
Munera.

Ouidius *lib. XI. Metamorphoseos* v. 121. de Mida.

- Tum vero, siue ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.

Quin etiam *donare cum causa*, apud optimos auctores est frequentissimum Catullus *Epigr. I.*

Cui dona lepidum nouum libellum,
Arido modo pumice expolitum,

Corneli?

Corneli? tibi, namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Sallustius *in Iugurthino Cap. LIV. meritos in primis more militiae donat.* Liuius *lib. IV. ab V. C. cap. 16. L Minutius boue aurato extra portam est donatus, ne plebe quidem inuita: quia frumentum Melianum assibus in modios aestimatum plebi diuisit.* Et *lib. V. cap. 47. Luce orta, vocatis classico ad concilium militibus ad tribunos, cum et recte et perperam facto praemium deberetur. Manlius primum ob virtutem laudatus, donatusque non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari.* Et VII. 37. *Milites, qui in praesidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in praesentia singulis bobus binisque tunicis donati.* 45
Et X. 44 *In conspectu duorum exercituum et Carbilius suos pro cuiusque merito laudauit, donauitque: et Papyrius, apud quem multiplex in acie, circa castra, circa vrbem, fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papyrium fratis filium, et quatuor centuriones, manipulumque hastatorum armillis aureisque coronis donauit. Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modo terruerat hostem: iuuenem Papyrium propter nauatam cum equitatu et in praelio operam, et nocte, qua fugam infestam Samnitibus ab Aquilonia clam egressis fecit: centuriones militesque, quia primi portam murumque Aquiloniae ceperant, equites omnes ob insignem multis locis operam corniculis armillisque argenteis donat.* Hinc et *donare munere.* Virgilius *lib. V. Aen.* v. 361.

Hoc iuuenem egregium praestanti munere donat

Horat. IV. *Carm. 8. 11.*

—— —— Carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneri.

Donum itaque *cum causa* dici, ex his optimorum autorum testimoniis, in quibus non aperta tantum, sed apertissima est causa, videmus.

DEFENSOR AD CAP. XXXIX.

Quod attinet ad eam, quam hoc Capite exagitas, contrarietatem inter Paulum [1] in *l. munus* 18. Vlpianum in *l. inter donum.* 194. et Martianum

 in

1 *In l. munus.*] Adiri possunt, qui ad eum Titulum scripserunt: quorum tamen ego, vt, quod res est, dicam, explicationes et conciliationes omnes non magis adsequor, quam multa ex his, quae hic Alciatus et Defensor adferunt.

in *l. munus.* 214. *D. de Verb. ſign.* ſi quis eos locos diligentius conſideret, facile eſt pugnantes illos Conſultos inter ſe conciliare. Nam quod
46 ait Vlpianus, *inter donum et munus hoc intereſſe, quod inter genus et ſpeciem,* perinde eſt ac ſi diceret, latiorem eſſe doni, quam muneris ſignificationem: ſcilicet ſi, vt fecit Labeo, ſolum verbi etymon ſpectes. Nam cum *donum* a *donando* dicatur, quicquid quacunque de cauſa, vel etiam ſine cauſa, donabitur, donum recte nominabitur. Praeterea ſic ſe habet donum ad munus, vt genus ad ſpeciem, ſcilicet quia ad muneris definitionem doni nomen aſſumitur. Nam *munus donum* [2] *cum cauſa* definimus, vtpote quod natalium

2 *Cum cauſa.*] Ita quidem Labeo. Sed apud ſcriptores Latinos haec ſaepe ſine diſcrimine ponuntur, et, quod *munus*, idem etiam *donum* dicitur. Quod etſi ſatis oſtendit Floridus, lubet tamen iis, quae ab eo dicta ſunt, haec addere. Tibull. I. *El. 10.* (al. 9.) v. 11. *Muneribus meus eſt captus puer.* Et paulo poſt, *Ibid. v. 53. At te, qui puerum donis corrumpere es auſus.* Cicer. I. *Tuſcul. 26.* Philoſophiam *donum Deorum* vocat: quam in *lib. de Vniuerſ. in fin. mortalium generi Deorum conceſſu atque munere* datam ait. Ouid. III. *Art. 653. Munera (crede mihi) capiunt hominesque Deosque: Placatur donis Iupiter ipſe datis.* Eodem modo promiſcue *dona* et *munera*, quae coniiciebantur in rogos, quaeque Diis offerebantur, et *dona* ac *munera Cerealia*, quod etiam Floridus attigit, pro frumento, vel pane, dicuntur. Quin etiam *dona cum cauſa*, quae proprie *munera* dici volebat Labeo, nonnumquam *dona* appellantur, vt apud Ciceronem *pro Cluent. Cap. IX. Quae ſe non nuptialibus donis, ſed filiorum funeribus delinitam videret.* Saepe item haec ita coniunguntur, vt diſtingui inter ſeſe videantur. Cicero *pro Cluent. Cap. XXIV. Tantum donis datis, muneribusque profecerat.* Ibid. *Cap. LXVI. Donis, muneribus, collocatione filiae, ſpe hereditatis obſtrinxit.* Plautus *Ciſtellar. I. 1. 94. Inde in amicitiam inſinuauit cum matre et mecum ſimul, Blanditiis, muneribus, donis.* Quae loca iamdudum notauit Victorius

natalium aut nuptiarum, aut Saturnaliorum diebus ab amicis, cognatis, necessariis, seruis denique, dari, mittiue solebat *l. cum plures. 12. §. cum tutor. 3. D. de Admin. tut.* Vnde cum triplex sit muneris significatum, prius illud per donum interpretatus est Paulus. Caeterum proprie ita ab inuicem distinguuntur: *Dona* sunt, quae nulla necessitate iuris aut officii, sed sponte praestantur. Nam vbi necessitas aliqua subest vel legis, vel moris (qui malus tyrannus merito vocatur) vel iuris, aut officii, non potest mera liberalitas videri: cum donari id proprie dicatur, quod nullo cogente iure conceditur *l. donari. 29. de Donation.* *Munera* vero sunt, quae necessario obeuntur lege, more, imperioue eius, qui iubendi habet potestatem. Quo etiam nos verbi origo, si quis eam inuestigare velit, vel nolentes deducet. 47

rius XI. *Var. lect. 22.* Cicer. *pro Arch. Cap. VIII.* de poetis: *Quod quasi Deorum aliquo dono atque munere nobis commendati esse videantur.* Vlpian. *l. 7. §. 3. D. de Oper libert. Iurare autem debet operas, donum, munus praestaturum.* Et sic saepe alibi in libris Pandectarum, vt obseruarunt Brisson. *de Verb. sign.* et Salmas. *ad Lamprid. Alex. Seuer. Cap. XXVI.* Quomodo autem his omnibus in locis *donum* et *munus* proprie distingui debeant, mihi non satis liquet. Et fortassis ea saepe ἐκ παραλλήλου dici verum est: nam discrimen quod vel Labeo, vel Grammatici veteres inter ea statuunt, vbique locum habere non potest. Corradus *lib. III. de Copia Latini sermonis pag. 85.* post expositas varias significationes vocis *munus*, de hac re ita monet: *Inter duo haec, donum et munus, similiaque omnia, vtendum iudicio, recteque videndum, an disparata sint omnino, vel, si inter se quodammodo affecta, vtrum vtrius genus esse videatur, et sitne donum, quod munus non sit, vel munus fortasse nihil commune habeat cum dono, vel sitne idem prorsus donum atque munus.* Haec ille. Sed vellem docuisset, qua ratione id diiudicari accurate posset.

48 cet. *Munus* enim dicitur vel a moenibus oppidi vel ciuitatis, vel [3] a muniendo. Quod igitur a ciuibus ad moenium extructionem refectionemue, aut ad oppidi munitionem confertur, munus primum dictum fuit: vnde etiam triplex illud muneris significatum manauit. Nam iis qui liberaliter ac sponte offerebant, [4] *donum* id erat: qui vero inuiti ac resistentes conferebant, *onus* vocabant. Cum autem essent aliqui operi praepositi, qui operam plerumque gratuitam praestabant, ii quoque cum muneribus illis, id est, officiis praeponerentur, *munus capere* dicebantur. Vnde *municipes* vocati, primum quidem et proprie, *recepti in ciuitatem vt munera nobiscum facerent l. 1. D. ad Municipal.* deinde per communicationem etiam ii, *qui in eodem municipio nati erant l. municipes. 228. D. de Verb. sign.* Nam et ii ad munera vocabantur et munera capiebant: qua significatione dicitur hic est municeps meus, 49 i. e. in eodem mecum municipio natus. Postremo cum municipii, ciuitatis, oppidi, coloniae appel-

3 *A muniendo.*] Varro *lib. IV. de Ling. Lat. pag. 42. Munus, quod mutuo animo qui sunt, dant officii causa. Alterum munus, quod muniendi causa imperatum, a quo etiam municipes, qui vna munus fungi debent, dicti.* Grotius *Flor. spars. ad l. 18. D. de V. S.* deducit a *μονὴ*, *μυνὴ*, hoc est, vt ait, id, in quo versamur quotidie, i. e. cuiusque officium, tam quod ipsam personam alicuius respicit, quam quod alios, puta, amicos. Plura vid. apud Etymologicorum scriptores.

4 *Donum.*] Iul. Caes. Scaliger *de Caus. Ling. Lat. Cap. XXXI. De mutatione consonantium*, ita: *R. in N.* Murus, Munus. *fuit enim* Munus *onus muris reficiendis, vbi primum vnum in locum e vicis conuenissent ad condendum oppidum: inde* Munimenta. *Id oneris cum remittebatur virtutis ergo*, donum *dicebatur.*

appellationes confundi coeptae ſunt, ex quo ſcilicet D. Antonini Conſtitutione omnibus, qui in Orbe Romano eſſent, Ciuitas Romana data eſt, abuſiue *municipes* dicti ſunt ſuae quisque ciuitatis, oppidi, municipii ciues, vt [5] Campani, Puteolani, et caeteri *d. l.* 1. *D. ad Municipal.* De cuius vocabuli diuerſa, et apud ipſos Romanos dubia, ſignificatione vide [6] Feſtum Pompeium et Agellium *lib. XVI. cap.* 13. Caeterum vt ad vocabuli *munus* expoſitionem reuertar, ab hac in munitiones aut moenium extructiones collatione *munera* dici coepta ſunt, et quae Magiſtratus populo gratificandi cauſa edebant munera. Vnde *munus gladiatorum*, et fere omnia ſpectaculorum genera, *munera* dicta ſunt *l. ciuitatibus.* 122. *in princ. de Legat.* 1. *l. Publius.* 36. *in princ. de Condit. et demonſtr.* Et paulatim etiam, quae de more amicis dabantur, aut liberti et ſerui patronis vel dominis offerebant. Ea fere res mobiles aut ſe mouentes erant: vnde *munera dari* 50
mittiue dicuntur. Et [7] minus aliquid quam *dona* ſolent eſſe: vnde inter virum et vxorem *munus* admit-

5 *Campani.*] Veteres ſcriptores longe ante Conſtitutionem Antonini ita locuti ſunt: Cicer. *V. Verr.* 61. *Nam quid ego de P. Gauio Coſano municipe dicam?* Et *cap.* 62. *Clamabat ille miſer, ſe ciuem Romanum, municipem Coſanum.* Liuius VIII. 14. *Municipes Lanuuini.* Idem XXXVIII. 36. *Firmiani Fundanique municipes.*

6 *Feſtum.*] Legenda ſunt, quae ad horum loca commentatur Illuſtris Spanhemius *Exercitat. I. ad Conſtit. Anton.*

7 *Minus.*] Etiam Cuiacius VI. *Obſeru.* 18. et alii Iuriſconſulti hanc differentiam inter *donum* et *munus* inducunt ex *d. l.* 31. quod *dona* ſint *immodica, munera modica:* ſed ſine auctoritate veterum.

admittitur, *donatio* non item, et *munus immodicum donatio* vocatur *l. ſed ſi vir.* 31. §. *ſi vir.* 8. *D. de Donat. int. vir. et ux.* Hinc et ciuem *immunificum* nouo vocabulo dixit Plautus eum, qui nihil quicquam muneris neque priuatim, neque publice, in alios confert, verſibus his elegantiſſimis qui ſunt [8] *in Trinum.*

— — — — *Sed ciui*
Immunifico ſcis quid cantari ſolet, quod habes ne habeas,
Et illud quod nunc non habes, habeas malum, quandoquidem
Nec tibi bene eſſe potes pati, nec alteri. PHIL. *ſcio quidem*
Iſthuc ita ſolere fieri: Verum, gnate mi, is eſt immunis, cui
Nihil eſt, qui munus fungatur ſuum.

Quos ideo adieci, quia ad muneris et immunitatis notitiam plurimum conducunt, et ad ciues potiſſimum haec pertinere oſtendunt. Caeterum
51 cum in Legibus [9] Cincia, Iulia [10] Repetundarum, Iulia [11] Papia, [12] Mandatis Principum, et aliis verba illa *munus donumue*, plerumque vſurpata

8 *In Trinum.*] II. 2. 69. Sed nullam vidi Editionem, in qua non aliter diſtincti eſſent verſus.

9 *Cincia.*] *De donis et muneribus.* Cicer. II. *de Orat.* 71. Liuius XXXIV. 7. Tacitus de hac lege agens *pecuniam* appellat, quae alii *munera*: nam ſcribit *lib. XI. Ann. cap.* 5. ea cautum fuiſſe, *ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumue acciperet.*

10 *Repetund.*] *l. 6. §. 2. D. de Lege Iul. repet.*

11 *Papia.*] *l. 37. princ. D. de Oper. libert.*

12 *Mandatis.*] *l. 6. §. 3. D. de Offic. Proc.*

pata essent, ne, qui fraudem legi facere vellet, non dona se, sed munera accepisse dicerent, paulatim factum est, vt muneris latius quam doni significatio pateret, vsu scilicet inualescente, *quem penes arbitrium est, et vis et norma loquendi*, vt ait Horatius: atque illud est, quod ait [13] Marcianus, *in hoc ventum esse, vt non quodcunque munus id et donum accipiatur, at quod donum fuerit, id munus recte dicatur.* Nam locum [14] corruptum dicere, et negationem transferre contra fidem omnium Codicum, vt quidam voluerunt, nimis audax et licentiae plenum videtur. Caeterum quod ait Vlp. in *d. l. inter donum.* 194. *de Verb. sign. munus esse donum cum caussa*, quasi donum aliquod sine caussa possit esse; sic accipiendum est, extra donandi caussam, i. e. puram meram- 52
que liberalitatem. Nam hoc ipsum, quod donari quis vult, caussa est *l. in summa* 65. §. *id quoque.* 2. *D. de Condict. indeb.* itaque non videtur sine causa promisisse, qui donationis caussa promisit *l. cum donationis.* 34. *Cod. de Transact.* iunct. *l.* 2. §. *circa.* 3. *D. de Doli mali et met. except.* Ad hanc porro *muneris* et *doni* differentiam pertinet

13 *Marcianus.*] Frequentius per *t* hoc nomen scribit et *hoc Cap.* et alibi. Et ita quoque apud Lampridium est in *Alex. Seu. cap. vlt.* quam scripturam etiam Labittum et Bertrandum sequi video. Gothofredi Edd. Pand. modo *Martianum* per *t*, modo *Marcianum* per *c* scribunt. In Indice Pandectarum est Μαρκιανός.

14 *Corruptum.*] Hotomanum tangit. v. notam Gothofredi ad *l.* 214. *de V. S.*

tinet locus egregius Cornelii [15] Frontonis *de Differentiis verborum: Munus*, inquit, *est, quod amicus, vel cliens, vel libertus officii causa mittunt, vel munus gladiatorium. Donum, quod Diis datur: inde vbi dona ponuntur, donarium appellatur. Possunt et illa nihilominus dona dici, quae donant pauperibus diuites vel potentes. Illud quoque donum putandum est, quod militibus donatur in castris.* Atque haec suffectura puto non pertinacibus animis ad Paulum, et Vlpianum, Martianumque intelligendos his locis, et inter se conciliandos.

15 *Frontonis.*] *Pag. 2196. Ed. Putsch.* Grammatici veteres varie de discrimine *doni* et *muneris* tradunt, quorum diuersas sententias legant, qui volunt, apud Donat. in *Terent. Eun. V.* 9. 27. Seruium in *Virgil. II. Aen.* 269. Isidor. IV. *Orig.* 19. Agroet. apud Putsch. *pag.* 2269. et Incert. *Ibid. pag.* 2205.

53 VALLA CAP. XL.

In eosdem de Peculium.

Peculium est ([1] Pomponius inquit) *non id, cuius seruus seorsum a domino rationem habuit, sed quod dominus ipse separauit in substantiam seruo, suum a serui ratione discernens. Peculium* [2] Celso referente [3] Labeo sic diffinit: *quod seruus domini permissu separatum a rationibus dominicis habet, deducto inde, si quid domino debetur.* [4] Idem alio loco: *Paterfamilias peculium habere non*

1 *Pomponius.*] *l. 4. princ. D. de Pecul.*
2 *Celso referente.*] Apud Vlpianum *l. 5. §. 4. D. eod.*
3 *Labeo.*] Tubero, Ed. *Steph. et Colin. C.* Et sic est in *l. d.*
4 *Idem.*] Vlpianus *l. 182. D. de Verb. sign.*

non poteſt, quemadmodum nec ſeruus bona. Ex
his verbis apparet nec dominum habere pecu-
lium poſſe, et ſolum ſeruum habere. Idem
Pomponius et Celſus alibi aiunt, vnde colligi
poſſit, etiam non ſeruum ac dominum poſſe ha-
bere peculium. [5] Pomponius enim ita ſcribit:
*Caſtrenſe peculium eſt, quod a parentibus, vel
cognatis, in militia degenti donatum eſt: vel quod
ipſe filiusfamilias in militia acquiſiuit, quod niſi
militaret, acquiſiturus non fuiſſet. Nam quod
erat ſine militia acquiſiturus, id peculium eius* 54
caſtrenſe non eſt. [6] Celſus autem ſic: *Et audiſſe
ſe ruſticos ſenes ita dicentes, Pecuniam ſine pecu-
lio fragilem eſſe; peculium appellantes, quod prae-
ſidii cauſa ſeponeretur.* A quo non diſſentit
[7] Vlpianus dicens: *Peculium dictum eſt, quaſi
puſilla pecunia, ſiue patrimonium puſillum.* Quid
ergo inter has diffinitiones ſequemur multiplices,
et inter ſe propemodum contrarias? cum prae-
ſertim Feſtus ita ſcribat: *Peculium ſeruorum eſt
a pecore dictum, ſicut pecunia nobilium.* Et [8] Ser-
vius Grammaticus: *Peculium patrimonium (ita
enim*

5 *Pomponius.*] Macer. *l. 11. D. de Caſtr. pecul.* vid. Defens.
6 *Celſus.*] Proculus apud Celſum *l. 79. §. 1. D. de Legat. 3.*
7 *Vlpianus.*] *l. 5. §. 3. D. de Pecul.*
8 *Seruius.*] *Ad Virgil. I. Eclog. v. 33.* In Edd. Fabric. et iis, quae ſe Seruium Danielis expreſſiſſe fatentur, verba Servii ita leguntur: *Peculi autem aut antique dixit, quia omne patrimonium apud antiquos peculium dicebatur, a pecoribus; in quibus eorum conſtabat vniuerſa ſubſtantia: vnde etiam pecunia dicta eſt a peculio. Aut certe et hoc ad morſum temporum pertinet. Nam modo tantum ſerui peculium dicimus: vt inuidioſe patrimonium ſuum dixerit peculium, ac ſi ſeruus eſſet: quia ſe diu apud Mantuam ſeruiſſe memorauit.*

enim maiores dicebant) a pecoribus, in quibus conſtabat vniuerſa eorum ſubſtantia. Vnde etiam pecunia dicta eſt a peculio, quod proprie tantum eſt ſeruorum: et peculium dicimus (licet abuſiue) pro patrimonio. Ipſe vero tanquam arbiter honorarius hanc rem diiudicabo, et quidem breuiter. *Peculium eſt, quidquid labore noſtro partum eſt in quacunque perſona: licet in ſeruis iura velint dominorum accedere conſenſum:* et ita ſenſiſſe Virgilium ſentio in ea parte, quam exponit Seruius

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi:

Et [9] Horatium:

Rem poteris ſeruare tuam, redit vncia, quid ſit?
Semis ad haec animos aerugo, et cura peculi.

Et Ciceronem [10] in Paradoxis: *An eorum ſeruitus dubia eſt, qui cupiditate peculii nullam conditionem recuſant duriſſimae ſeruitutis?* Et illos quoque ruſticos ſenes de quibus Celſus meminit, *Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe*: id eſt, ſine lucro induſtria parto. Nam cur habenti pecuniam maior ſpes praeſidii collocetur in puſillo, quod repoſuit, quam in ipſa pecunia? quum praeſertim peculium pars ſit pecuniae: aut quomodo praeſtare poſſit repoſita illa pecunia, ne caetera dilabantur? Vel *peculium eſt, quicquid proprie alicuius eſt.* A *peculio* fit adiectiuum *peculiaris,* pro re ad peculium pertinente ſiue peculii propria. Sed in vſu iam receptum eſt pro *proprio,*

9 *Horatium.*] *De Art. Poët. C.* v. 329.
10 *In Paradoxis.*] *V. Parad.* 2.

proprio, ſiue *ſpeciali.* Quintilian.[11] *lib. VIII. Quod commune eſt aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: vt Vrbem, Romam accipi-* 56
mus: et venales, nouitios: et Corinthia, aera: quum ſint vrbes aliae quoque, et venalia multa, et tam aurum et argentum, quam aes Corinthium. Idem[12] *in XI. Ambulantem loqui ita demum oportet, ſi in cauſis publicis, in quibus multi ſunt iudices (quod dicimus) quaſi ſingulis inculcare peculiariter velimus.* Et[13] lib. VI. *Paululum impendamus huic quoque peculiaris operae. Peculatus* furtum rerum ad ipſam Rempublicam pertinentium, vel ad prouentus Principis ſpectantium: ſicut ſacrilegium, rerum ſacrarum. Inde *depeculor*, quod quidem ad ſacrilegium etiam transfertur.

11 *Lib. VIII.*] *Cap. 2. C.*
12 *In XI.*] *Cap. 3. C.*
13 *Lib. VI.*] *Cap. 5. C.* (al. c. 4.)

ALCIATVS AD CAP. XL.

Vlpiani ſententiam confutat Valla, *peculium puſillam pecuniam* appellantis, confingitque absque aliquo autore *peculium id eſſe, quod quis induſtria ſua lucratur:* at aliter ex autoribus dicendum eſt, qui *peculium patrimonium teſtatoris* appellant, quia olim cenſus Romanorum in pecore erat, vnde et *pecunia* dicta. Caeterum quoniam diminutiua forma *peculium* profertur, pro *parte cenſus* accipi coeptum eſt, *qualem ſeruis domini concedunt, qualemque filii familias a patre ſeparatim habent.* Addit et Celſus, ex conſuetudine ruſticorum ſenum ſic eam partem patrimonii dici, *quam quis in numerato, et ad caſus repentinos repoſitam habet.* Graeci *theſaurum* dicunt, quod repoſita ſit εἰς αὔριον, id eſt, in craſtinum ſeu futurum tempus fruenda: vnde et θησαυρίζειν reponere eſt.

57 FLORIDVS AD CAP. XL.

In his omnibus ita Vallam reprehendit Alciatus, vt rei difficultatem ne attigerit quidem: de Vlpiani definitione, quae obiter ab illo carpitur, aliquot verba ſcripſerit. Porro quod Valla ex primis Pomponii Celſique definitionibus ait, *nec dominum habere peculium poſſe*, *et ſolum ſeruum habere:* rurſus ex poſterioribus, *poſſe etiam qui non ſerui ſint peculium habere:* cum Pomponius *caſtrenſe peculium* id eſſe dicat, quod a parentibus et cognatis in militia degenti donatur, vel quod ipſe filius in militia acquiſiuit; quaſi leue ac ludicrum omittit Alciatus. Atqui hoc primum erat extricandum. Si enim *peculium ſolis ſeruis* eſt conceſſum, quomodo *caſtrenſe peculium*, id eſt, quod parentes cognatique in militia degenti donant? num ſerui forte apud Romanos militabant? an potius hoc in Republica portentum nunquam, niſi in maximis calamitatibus extremoque prope rerum diſcrimine viſum eſt? Aut ſi recte dixit (1) Celſus *patremfamilias peculium habere non poſſe*, quomodo idem ſenes ruſticos dicentes audiuit, *pecuniam ſine peculio fragilem eſſe?* An de ſenibus ſeruis hic intellexit? nihil opinor minus, nec enim pecuniam ſeruorum recte dicimus: Haec erant in concordiam redigenda, ſi nihil contrarium a Iureconſultis ſcriptum eſſe nobis perſuadere ſtudebat Alciatus. Neque hic defuturos exiſtimo, qui ea vel iure, vel iniuria, non eſſe inuicem aduerſantia oſtendere conentur: quin tamen ipſi inter ſe diſſenſerint Iureconſulti, nullo pacto dici poteſt. Nec ſi Bartoli, aut Baldi ſuper his rebus iudicium ſequemur, minus erunt contraria. Sed hoc eis vtcunque condonabimus, vt ne quid in Iure, quo vel nolentes vti cogimur, diſſonum eſſe credamus. Quod autem idem Valla Vlpiano ita dicenti aduerſatur, *peculium dictum eſſe quaſi puſillam pecuniam*, *ſiue patrimonium puſillum*, ac ipſe aliter illud definit, vt Vallae nomen inuidia careat, minime dubium erit, veriorem eſſe eius, quam Vlpiani definitionem. Illius namque verba omne ac qualecunque peculium complectuntur, huius autem negant eſſe peculium, quod non ſit puſillum, quod apud neminem legi autumo. Quinimo M. Plautus peculium pro ingenti pecunia ponit, quippe qui in *Aſinaria II.*
58 4. 90. ex ſerui perſona ita ſcribit: *Quanquam enim ego ſum ſordidatus, frugi tamen ſum, nec poteſt peculium enumerari.* Nullum videlicet peculio limitem praeſcripſit Plautus Idem in *Trinummo II.* 4. 32. de ſene Philtone ditiſſimo ita loquitur: *Aedepol nae ego iſtum velim meum fieri ſeruum cum ſuo peculio.*

1 *Celſus.*] Vlpianus.

peculio. Horatii quoque locus idem oſtendit, et (2) Labeonis verba *pecuniam ſine peculio fragilem eſſe* dicentis: vbi peculium pro lucro induſtria parto eſt capiendum. Proinde Vallae definitio vera erit, quam immerito absque aliquo illum autore ſibi confinxiſſe cenſet Alciatus, cum ex optimorum autorum teſtimoniis ea commodiſſime deducatur, magisque veritati, quam Vlpiani ſententia congruat. Quod ſi forte Vallae definitio Alciato falſa videbatur, rationibus eam, non ſimplici edicto impugnare debebat, *Peculium* a Poëtis etiam mulieribus tribuitur. Plautus in *Caſina II. 2. 26. Nam peculi probam nihil habere addecet clam viro: et quae habet partum, ei haud commodum eſt, quin viro aut ſubtrahat, aut ſtupro inuenerit. A peculio*, ſubdit Valla, *ſit adiectiuum peculiaris: pro re ad peculium pertinente, ſiue peculii propria: ſed in vſu iam receptum eſt pro proprio, ſiue ſpeciali. Peculatus eſt furtum rerum ad ipſam Remp. vel ad prouentus Principis ſpectantium, ſicut ſacrilegium rerum ſacrarum. Inde depeculor, quod quidam ad ſacrilegium etiam transferunt.* Quamuis autem nullum hic teſtimonium adducat Valla, *peculatus* tamen crimen publicum dicitur. Cicero III. *Verr. cap. 4. Erunt fortaſſe iudices, qui illum eius peculatum vel acerrime iudicandum putent.* Et paulo poſt *cap 5. Emerſerit ex peculatus etiam iudicio.* Et XII. *Philip. cap. 5. Sextertium ſepties millies auertiſſe Antonium pecuniae publicae iudicauiſtis, num fraude poterit carere peculatus? Depeculari* autem etiam priuatos homines dicimus. Cicero VI. *Verr. cap. 17. Non tibi obiicio, quod hominem digniſſimum tuis moribus, Apollonium Niconis Fil. Drepanitanum, qui nunc Aulus Clodius vocatur, omni argento optime facto ſpoliaſti ac depeculatus es.* Laudem etiam quis et honorem depeculari per translationem dicitur. M. Cicero in *Ead. Orat. cap 36. Cur pro iſto, qui laudem et honorem familiae veſtrae depeculatus eſt, pugnas? Peculatum* (3) Paulus et Labeo *pecuniae publicae aut ſacrae furtum* eſſe definiunt, *non ab eo factum, cuius periculo fuit: et ideo aedituum in iis, quae ſibi tradita ſunt, peculatum non admittere.* (4) Iidem etiam ſcribunt, *non pecuniam publicam ſolum, ſed etiam priuatam crimen* 59
peculatus facere: vt ſi quis quod fiſco debetur, ſimulans ſe fiſci creditorem, acceperit, quamuis priuatam abſtulerit pecuniam. Is autem qui pecuniam traiiciendam accepit, vel quilibet alius, ad cuius periculum pecunia pertinet, non dicitur peculatum admittere.

1 *Labeonis.*] Proculi referente Celſo in *l. 79. §. 1. D. de Legat. 3.*

3 *Paulus.*] Paulus e Labeone *l. 9. §. 2. D. ad Leg. Iul. pecul.*

4 *Iidem.*] *d. l. 9. §. 3. et 4.*

DEFENSOR AD CAP. XL.

Hic ſe Laurentius tanquam honorarium arbitrum ſtatuit in controuerſia bonorum authorum de peculii ſignificatione diiudicanda: audacter ſane, ne dicam arroganter. Quid quod nouam, [1] inauditam, a nullo vſurpatam ſignificationem nobis obtrudit? *Peculium eſt*, inquit, *quicquid labore noſtro partum eſt: vel, quod proprie alicuius eſt.* Vnde vero nobis hanc tuam *peculii* definitionem comprobabis? aut quid profers, vt tibi in eo aſſentiamur? Nam neque Vergilius, nec Horatius, neque Cicero in locis a te citatis in eo ſignificato vſurpant, ſed ſimpliciter pro patrimonio. Aut quid cauſſae fuit, cur a Grammaticis tuis recederes? e quibus [2] Seruius veriſſime, vt mihi quidem videtur, *peculium a maio-*
60 *ribus pro patrimonio vſurpatum eſſe* dixit, *ductum a pecoribus, in quibus conſtabat vniuerſa eorum ſubſtantia.* Notam autem verbi Vlpianus demonſtrauit in *l. depoſiti. 5. §. 3. D. de Pecul. Peculium* dictum eſſe *quaſi pecuniam puſillam, aut patrimonium puſillum.* Et [3] Celſus cum ruſticorum ſenum

1 *Inauditam.*] Non ſunt captanda verba Vallae, quem ſua definitione peculii nihil aliud voluiſſe deſignare, quam cuiusque patrimonium, intelligi poteſt e teſtimoniis ſcriptorum, quibus vtitur.

2 *Seruius*] *Ad Virgil. I. Ecl. 33.* Idem confirmant Varro *lib. IV. de Ling. Lat. pag. 25.* Columell. *praefat. lib. VI. de Re Ruſt.* et Plutarch. in *Publicol. pag. 157.* Ed. Steph.

3 *Celſus.*] E Proculo *l. 79. §. 1. D. de Legat. 3.* Varias huius dicti expoſitiones adferunt Viri docti. v. Forner. *ad l. 182. D. de V. S.* Raeuard. *lib. V. Varior. cap. 17.* et Viros Clar. I. F. Gronou. *Antexeg. III. §. 64. de Centeſim. et Vnc. Vſur.* et P. Burmau. *ad Petron. Cap. LXXV.*

senum prouerbium exponit, *Pecuniam sine pecu-
lio fragilem esse*, ostendit peculium esse pecuniam
ex pecorum foetu fructuue redactam, et prae-
sidii caussa repositam, vt scilicet in tempore suc-
currat dilapsa forte pecunia. Nam *pecunia* apud
eum est signata vel numerata pecunia, quae mer-
cis vel negotiationis caussa in vsu quotidiano est,
et hinc inde commutatur: licet latiore significa-
to res omnes et corpora contineat *l. pecuniae 178.
D. de Verb. sign. Peculium* autem idem Celsus
accipit pro eo, quod praesidii caussa repositum
est. Quod rusticorum prouerbium non satis
percepisse videtur Laurentius. Caeterum ipsa
verbi, *peculium*, inflexio satis ostendit [4] diminu-
tiuum esse, quod et Vlpianus confirmat. At,
quae vis est πλεονεξίας, cum quisque maioribus 61
inhiaret, nec vnquam quod adesset satis esse du-
ceret, aut etiam ne suas opes ostentare velle vi-
derentur, successu temporis factum est, vt ampla

4 *Diminutiuum.*] Id non magis ostendit inflexio in hac voce, quam in iis, quae exeunt in *ilium* et *olium*, vt, *consilium*, *domicilium*, *Capitolium*, quae, aeque ac peculium, inter denominatiua recte retulit Vossius II. *de Analog. 30.* Vlpianus autem cum *peculium pusillam pecuniam* definit, non sentit, opinor, de vocabuli illius deriuatione vel formatione; sed ita loquitur, quod peculia seruorum filiorumuefamil. saepe non valde magna essent, praesertim cum primum his a dominis vel Patribus concedebantur: quamobrem et *curta peculia* dicit Ouid. II. *Amor. 2. 39.* Nam etsi etiam amplorum peculiorum exempla sunt, de quibus Torrentius *ad Sueton. Othon. Cap. V.* tamen Iurisconsultus respiciens et ad originem eorum, et ad id, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον esse solebat, recte *peculium pusillam pecuniam* esse dicit. Vnde etiam patresfamilias *plerique patrimonium suum* ὑποκοριστικῶς *peculium dicebant*, vt ait idem Vlpianus *l. 16. pr. ff. ad Senatusc. Trebell.*

quoque patrimonia *peculia* vocarent Romani: quo Cicero et Horatius *in citatis locis* respexerunt. Atque haec quidem sit *peculii* in usu communi et extra forensem operam significatio. At [5] in Iure Ciuili *peculium* a bonis et patrimonio distin-

5 *In Iure Ciuili.*] Quae Valla et Floridus Iurisconsultis hoc capite obiiciunt, ea omnia plane leuia sunt ac nugatoria. Aiunt *eos contraria scribere, qui vno loco tradant solos seruos peculium habere, et patremfamil. peculium habere non posse, ac rursum alio castrense peculium filiorumfamil. et peculium patrumfamil. memorent:* ac mox, tamquam arbitri honorarii scilicet inter eas, quas sibi ipsi fingunt controuersias, pronunciant, ex his *eos, qui solis seruis peculium tribuant, quique patresfamil. peculium habere negent, errare.* At ego primum aio falsum esse, quod dicunt, Iurisconsultos *solis seruis* peculium tribuere: neque enim quisquam eorum vel his locis, quae Censores adferunt, vel vllo alio loco hoc scripsit; et aliter illos sensisse vel e solo Titulo Digestorum *de Peculio*, sub quo frequens de *peculio filiorumfamil.* mentio est, constat: de quo si forte volunt etiam in definitione peculii seruilis aliquid dicendum fuisse, ne responsione quidem digni sunt. Deinde etiamsi Iurisconsulti, dixissent *solos seruos* habere peculium, tamen non recte ad eos impugnandos adferrent *peculium castrense.* Nam si nullum aliud esset filiorumfamil. peculium, recte Iureconsulti potuissent dicere *solos seruos* habere peculium: quoniam, cum *in peculio castrensi filiusfamil. pro patrefamil. habeatur l. 2. D. de Senatusconf. Macedon.* hoc nomine actio de peculio, de qua in locis a reprehensoribus prolatis agitur, in patrem dari non potest. Quod autem denique scribunt *Vlpianum errasse, qui patremfamil. peculium habere non posse* dixerit, in eo inscitiam suam praecipue produnt, ac ne elementa quidem legitimae scientiae sibi satis fuisse cognita ostendunt. Nam nec Vlpianus *l. d.* nec alii Iureconsulti de peculio agentes eam significationem huius vocabuli, qua id pro vniuerso cuiuscumque patrimonio sumitur, considerant; sed respiciunt ad Edictum Praetoris *de negotio gesto cum eo, qui in alterius potestate esset l. 1. §. 2. D. de Pecul.* id est, cum filiofamilias, vel seruo: e quorum contractu, si peculium habeant a patre dominoue concessum, in patrem dominumue etiam ignorantes actio datur, quatenus in peculio est. Vnde cuilibet manifestum est Vlpianum, nisi ea dicere vellet, quae naturae rei, de qua agebatur repugnarent, aliter statuere non potuisse, quam *patremfamil. peculium habere non posse.*

diſtinguitur, vt paterfamilias et liber proprie pe- 62
culium habere non dicatur, ſicut nec ſeruus bona *l. paterfamilias 182. D. de Verb. ſign.* Quo etiam Feſtus reſpexit, cum ait *peculium* eſſe *ſeruorum, ſicut pecuniam nobilium.* Quod igitur ſeruus vel filiusfam. domini vel patris permiſſu ſeparatum a rationibus dominicis vel paternis habet, *peculium* vocatur, quaſi proprium eius patrimonium *l. 4. et 5. D. de Pecul.* Vbi tu Labeonem pro Tuberone nominas, ſicut et Pomponium pro Macro in peculii caſtrenſis definitione *l. caſtrenſe 11. D. de. Pecul. caſtr.* Id porro *peculium* in ſeruorum quidem perſona vniusmodi eſt: at in filiorumfamilias quadruplex: profectitium, ad- 63
ventitium, caſtrenſe, et quaſi caſtrenſe. Neque vero eſt, quod mireris vnius vocabuli tam multiplicem eſſe ſignificationem pro rerum, temporum, locorum etiam diuerſitate. Nam ipſius etiam *pecuniae* varia eſt acceptio: vt interdum pecuniam numeratam, interdum corpora omnia, interdum iura etiam comprehendat *l. pecunia 178. et 222. D. de Verb. ſignif.*

VALLA CAP. XLI.

In eosdem de Fundus, Ager, Villa, Praedium.

[1] *Fundus* [2] Vlpianus ita finit: *Locus eſt non fundus, ſed portio fundi aliqua. Fundus autem aliquid integrum eſt: plerunque fundum ſine villa accipi-*

1 *Fundus.*] Ita eſt cum in aliis Edd. tum in Cantabr. quod etſi vitioſum eſſe apparet, tamen mutare non volui, cum variis modis a Valla ſcribi potuerit.

2 *Vlpianus.*] *l. 60. princ. D. de Verb. ſign.*

accipimus. Idem [3] alibi: *Ager eſt locus, qui ſine villa eſt.* [4] Modeſtinus vero ſic: *Quaeſtio eſt fundus a poſſeſſione, vel agro, vel praedio quid diſtet? Fundus eſt omne quidquid ſolo continetur. Ager eſt ſpecies fundi, qui ad vſum hominis* [5] *com-*
64 *paratur. Poſſeſſio ab agro iuris proprietate diſtat. Quidquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus. Poſſeſſio ergo vſus eſt: ager proprietas loci eſt: [* [6] *praedium vtriusque rei ſupra ſcriptae generale nomen eſt.] Nam et ager et poſſeſſio huius appellationis ſpecies ſunt.* [7] Florentinus: *Fundi appellatione omne aedificium, et omnis ager continetur. Sed in vſu vrbana aedificia aedes, ruſtica villae dicuntur. Locus vero ſine aedificio in vrbe area, in rure autem ager appellatur: idemque ager cum aedificio fundus dicitur.* Ecce diuerſae Iuriſconſultorum ſententiae, cum in aliis, tum in hoc, quod Vlpianus ait, *plerumque fundum eſſe ſine villa,* id eſt, ſine aedificio: Florentinus autem, *agrum cum aedificio eſſe fundum.* Modeſtinus obſcure exponit, *agrumque* diffiniens cum neutro aliorum concordat: ſed ridicule a *poſſeſſione* diſtinguit, ne dicam imperite, loquens de *poſſeſſione,* quando ſignificat *qualitatem,* non quando ſignificat *ſubſtantiam:* perinde ac ſi quis dicat, de virtutibus ac vitiis loquens.

3 *Alibi.*] *l. 27. princ. D. eod.*
4 *Modeſtinus.*] Iabolenus *l. 115. D. eod.* vid. not. *ad Defens.*
5 *Comparatur.*] *Paratur* Ed. Col. Steph. et Gryph. C.
6 *Praedium.*] *Deeſt haec clauſula* in Ed. Col. et Gryph. C. Non deeſt in *d. l. 115.*
7 *Florentinus.*] *l. 211. D. eod.*

loquens: *Prauum et malum ſic differunt*: *Prauum*
id eſt, quod non recta ratione et via fit. Praua
enim appellantur, quae non ſunt recta, vt lignum
prauum. Malum vero genus pomi eſt. Quid hoc
foret dicto ineptius, vbi de *qualitatibus et actio-*
nibus agitur, digredi ad *ſubſtantiam*, quae ad 65
rem non pertineat? ita hic cum de *fundo*, de
agro, de *praedio*, de *poſſeſſione* diſputat, non
de ea ſignificatione *poſſeſſionis* loquitur, qua *pro-*
prietas intelligitur, ſed qua *actio poſſidendi*, ſiue
qualitas. Quod ſi ita eſt, quid affinius habet
poſſeſſio ad *fundum*, *agrum*, *praedium*, quam ad
nauem, *equum*, *veſtem*? Harum namque rerum
ita poſſeſſio eſt vt illarum: ſed non de huius-
modi poſſeſſione loquendum erat, quae praeſer-
tim, vt ipſe ait, non eſt ſpecies praedii, vel
fundi. *Praedium* enim, *funduue proprietas eſt*:
quorum vtrumlibet, ſi generale nomen eſt ad
poſſeſſionem, profecto *non vſus*, *ſed proprietas*
dicenda Modeſtino *poſſeſſio* fuit. Sed quid fa-
cias? ipſe aliter *poſſeſſionem* diffinit. Quod
ſi quis dubitet an *poſſeſſio proprietas* ſit, accipiat
praeter ipſorum Iuriſconſultorum etiam Cicero-
nis et Quintiliani teſtimonia: quorum alter *in*
Paradoxis VI. 3. ita ſcribit: *Etenim ſi iſti callidi*
aeſtimatores prata et areas magni aeſtimant, quod
ei generi poſſeſſionum minime noceri poteſt. Non
de *vſu* videlicet locutus eſt Cicero, cui certe no-
ceri poteſt, ſed de *proprietate*. Alter [8] in VI.
de Orat. Inſtit. *Patris eius dialogos dedit legen-*
dos,

8 *In VI.*] *Cap. 4. C.* (al. *cap. 3.*)

dos, quorum cum in Priuernati vnus, alter in
Albano, tertius in Tyburti ſermonem habitum com-
66 *plecteretur: requirebat vbi eſſent hae poſſeſſiones.*
Omnes autem illas Brutus vendiderat. Nemo
interrogat, vbi eſt *vſus praediorum*, ſed vbi eſt
proprietas. Nemoque *vſum* vendit, ſed *proprie-*
tatem aut *vſu fructum*. De *praedio* autem [9] Vlpia-
nus ita ſcribit: *Praedia vrbana omnia aedificia*
accipimus, non ſolum ea, quae ſunt in oppidis,
ſed etiam ſi forte ſtabula ſunt, vel alia meritoria
in villis, et in vicis, vel ſi praetoria voluptati
tantum deſeruientia: quia vrbanum praedium non
locus facit, ſed materia. Proinde hortos quoque
ſi qui ſunt in aedificiis conſtituti, dicendum eſt in
vrbanorum appellatione contineri. Plane ſi pluri-
mi horti in reditu ſunt, vinearii forte, vel etiam
olitorii, magis haec non ſunt vrbana. Etiam de
praedio, ſicut de *fundo*, Iuriſconſultorum con-
trouerſia eſt. Nec mirum, quum nemo non
habeat ſuam de rebus quibusque verbisque ſen-
tentiam. Sed de poſterioribus, qui ex operibus
illorum excerpſerunt, miror, quod haec in-
diſcuſſa reliquerunt. Id vt ego, quod ad me
attinet, faciam, ita ſentio: *Agrum continere fun-*
dum, non contineri a fundo: nihilque prohibet eum
cum villa eſſe. Erant in agris ſenatores, et vixerunt
multi nobiliſſimi philoſophi in agris, nimirum
non ſine villa et habitatione. Diſſertque *ager* ab
aruo, quod *aruum ſementi datur.* [10] Salluſtius:
Quia

9 *Vlpianus*] *l. 198. D. de V. S.*
10 *Salluſtius*] *In Iugurth. C. Cap. XC.*

Quia Numidae pabulo pecoris magis, quam aruo ſtudent. [11] Quintilian. *Pauper et diues in agro vicini erant iunctis hortulis.* Et mox: *Sed ex omni parte diuitis circumiectus ager vix tenuem ad greſſus meos ſemitam dabat. Quid agimus inquam? Vndique vallo diuitiarum clauſi ſumus. Hinc hortuli locupletis, hinc arua, inde vineta, hinc ſaltus. Fundus* (vt dixi) *minus quiddam eſt,* ſingula enim proprie prata, ſingulae vineae, ſinguli horti, ſingula oliueta, pomaria, ſalicta, arbuſta, paſcua, nemora, loca aucupatoria, venatoria, piſcatoria, ſiue villam atque aedificium, ſiue piſcinam atque aluearia, ſiue viuaria habeant, ſinguli *fundi* ſunt, et hoc quidem in agro. In vrbe autem, ſiue oppido, ſiue vico, ſiue caſtello tantummodo *praedium* eſt, quidquid tale eſt, qualia haec quae enumeraui. Namque eadem in agro etiam praedia ſunt. *Fundus* enim ſpecies praedii eſt. Itaque *fundus eſt poſſeſſio ruſtica. Praedium et ruſtica et vrbana duntaxat poſſeſſio,* qualem deſcripſi. Nam videtur *poſſeſſio* etiam ſignificare tabernas, hoſpitia, horrea in vrbe. Cicero [12] in Philippicis: *poſſeſſiones notabat et vrbanas et ruſticas:* puta, non tantum praedia, ſed et caetera, quae *immobilia* vulgo appellantur.

67

Addamus ad haec aliquid de *hoc fundum*, quod 68
an a *fundo fundas*, an potius *fundo* a *fundum*, ſiue a *fundus* veniat ambigi poteſt. Quidam *fundus*

11 *Quintil.*] *Declam. XIII. C.*

12 *In Philippicis.*] *Philipp. V. cap. 7.*

dus a *funda* dici volunt. [13] Cicero in quodam ioculari libello:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Ni lapis exciderit, qua caua funda patet.

Nisi haec sententia sit, tam paruum illum fuisse fundum, vt funda prehendi, et in morem lapidis iaci posset. *Fundum* igitur *est ima pars rei,* proprie *aliquid liquoris intra se continens, aut ad continendum facta,* vt dolium, vt nauis, vt alueus, vel fluminis, vel lacus, vel stagni, vel maris. Nam *fundum turris,* vt quidam scripserunt, ipse non dicerem. *Fundamentum* (vt omnibus liquet) aliud est quam fundum: et tamen *fundare* magis ad fundamentum, quam ad fundum pertinet. *Fundamus* enim *domum,* non nauem, aut dolium: vt [14] Virgil.

Ille vrbem Argyripam patriae cognomine gentis,
Victor Gargani fundabat Iapygis aruis.

69 Nam *fundamentare* non reperitur, nec *fundare* quidem est sane frequens, nisi per translationem. Quintilianus [15] in *Gladiatore: Hoc fundatam paternis auitisque opibus domum exhaurit.* Est enim frequentius *iacere fundamenta,* etiam per translationem, vt Idem [16] *libro XII. Nam inde et contemptus operis innascitur, et fundamenta iaciuntur impudentiae, et (quod est vbique*

13 *Cicero.*] Apud Quintil. *lib. VIII. cap. 6. C.*
14 *Virgil.*] *Aen. XI. C.* v. 246. Sed secundo versu legitur *condebat*, non *fundabat*, quod et Floridus iam annotauit.
15 *In Gladiatore.*] *Declam. IX. C.*
16 *Libro XII.*] *Cap. 6. C.*

que perniciosiſſimum) praeuenit vires fiducia. Et [17] Cicero: *In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis.* Sine translatione Sueton. de *vita* [18] *Caii*: *In area Capitolina nouae domus fundamenta iecit.* Caeterum hoc differunt *fundare*, et *fundamenta iacere*, quod *fundare*, eſt validis fundamentis fulcire: *fundamenta iacere*, quaſi qualiacunque fundamenta facere, et quodammodo dare rei principium. Neque vero, ſicut reperitur *fundus* et *fundum*, ita reperitur *punctus* et *punctum*. Errantque Philoſophi cum *punctus* et *linea* dicunt. Nam de *punctum*, quod eſt breuiſſimum tempus, nulla lis eſt, vt Terent. [19] *in Phorm. Tum temporis mihi punctum ad hanc rem eſt.* Pro eo autem ſenſu in quem vtuntur Philoſophi, Cic. [20] *pro Plancio: Nam quod queſtus es, plures te teſtes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris.* Quidam *momen-* 70
tum pro eodem ſignificato accipiunt, cuius eſt punctum; tamen aliter eſt. Breue enim tempus ſignificatur per illud, per hoc vero breuiſſimum. [21] Horat.

Quid enim? concurritur: horae
Momento.

ALCI-

17 *Cicero.*] *Philip. I. C. cap.* 1.
18 *Caii.*] *Cap. XXII. C.*
19 *In Phorm.*] *Act. I. ſc. 4. C. vers.* 7.
20 *Pro Plancio.*] *Cap. XXII.*
21 *Horat.*] *Serm. lib. I. Sat.* 1. *C. vers.* 7.

ALCIATVS AD CAP. XLI.

In Modestinum inuehitur, qui *possessionem* dixerit *ab agro iuris proprietate distare*, ridiculumque et imperitum eum asserit, qui *substantiam* rei definire volens de *qualitate* dissseruerit. At ego, Valla, respondeo, quod alii obiicis vitium, id tibi est, qui nescis veteres *possessionem* appellasse *fundum per vsucapionem acquisitum*, quo casu non iure dominii in eius vsu defendimur, sed autoritate legis: atque ita *in Lege XII. Tab.* accipi Festus quoque Pompeius autor est. Vnde apparet, non *qualitatem*, sed *substantiam* a Modestino diffiniri.

FLORIDVS AD CAP. XLI.

Idem Alciatus ipsum quoque Modestini responsum (1) enarrans: *Possessio*, inquit, *is est fundus, qui non iure, seu mancipatione nobis comparatus est, sed vsu et praescriptione quaesitus. vt etiam Festus scribit: et ideo eius proprietas ad nos non pertinet. Sed et si pertinere non possit, vt quia res sacra, possideri tamen potest, possessioque dicitur.* Et paulo post: *Tradidit autem Modestinus hanc differentiam Legem XII. Tabularum interpre-*
71 *tans, quo iure duplex tantummodo alienationis species erat, quae per nexum, et quae per cessionem fiebat l. vn. Cod. de Vsucap. transform. vt M. Cicero* (2) *in Topicis declarat. Per vsucapionem vero proprietas non acquirebatur, licet iuris autoritate possessor defenderetur. Hinc* (3) *eodem in opere Tullius vsucapionem autoritatem appellat ex Lege XII. Tabul. Autoritas*, inquit, *vsus fundi biennium est, sit ergo et aedium. Idem Officior. lib. I. cap. 12. ex eadem lege: Aduersus hostem aeterna autoritas. In Lege quoque Attinia, cuius A. Gellius lib. XVII. cap. meminit, dicebatur: Quod subreptum erit, eius rei aeterna autoritas esto: id est, aeternum tempus antequam vsucapiatur. Venuleius autoritatem ius esse interpretatur, quo autor, i. e. dominus, rem suam vendicare potest: vnde amitti, inquit, autoritatem, id est, actionem pro euictione placet l. fin. D. de Euiction. Et ita accipiendum hoc responsum ipse arbitror: quo sensu ridiculus ipse Valla erit, qui cum vulgari interpretationi Vir alioqui non vulgaris adhaesisset, Iurisconsultum nostrum increpat, musca plane, quod dicitur, elephantum. Illud non negauerim in posteriore Iuris disciplina hanc differentiam non fuisse obseruatam, cuius rei nos etiam Accursius admonet.* Et subdit: *Colligi hinc potest diffinitio possessionis, vt sit vsus rei a proprietate, vel iure separatus.*

1 *Enarrans.*] *Ad l. 115. D. de Verb. sign.*

2 *In Topicis*] *Cap. V.*

3 *Eodem.*] *Cap. IV.*

ratus. Hinc vsucapio, i. e. acquisitio quae per vsum, hoc est, possessionem fit. Non possum non summopere laudare Alciati consilium, quod ex omnibus, quae in medium adducit Valla, vnicum tantum caput defendat. Nam quod dissenserint inter se Vlpianus ac Florentinus, cum ille *fundum plerumque sine villa*, hic vero *agrum cum aedificio fundum esse scripserit*, nihili fecit: tum quod cum neutro eorum concordat Modestinus, atque aliter quam ille *agrum* definierit, quasi nugae sint, breuitatis, vt opinor, studio praetermittit. Verum quo pacto non *qualitatem*, sed *substantiam* a Modestino definiri ostendat, non video. Vt enim veteres *fundum per vsucapionem acquisitum possessionem* appellarint, quo casu non iure dominii in eius vsu, sed legis autoritate defendamur, per *possessionis* tamen vocabulum non *substantiam*, sed *qualitatem* designabant, cum possessionis vox tam agro, fundo, praedioque, quam equo, vesti, et naui, vt recte sentit Valla, conuenire possit. *Possessionem* autem *substantiam* significare, praeter loca, quae a Valla in medium adducta sunt, ostendit *in Paradox. VI. 1.* Cicero. Inquit enim: *Ergo hoc proposito nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, vt ex eo tueri sex legiones, et magna equitum ac peditum auxilia possis.* Ridiculum esset, si non ii hic agri comprehenderentur, quorum ad nos pertinet proprietas: sed illi 72 tantum, quos vsuceperimus. (4) Paulus quoque Iureconsultus *in lib. de Verb. signif.* sic ait: *Interdum proprietatem verbum possessionis significat, sicut in eo, qui possessiones legasset, responsum est.* Illud quoque addit Alciatus, *ridiculum fuisse Vallam, qui Iureconsultum increpet, musca plane, quod dicitur, elephantum.* Non negarim summum virum fuisse Modestinum, sed Latinae linguae peritiam in illo non minorem, quam in hoc fuisse, pro certo habeo. Nec asserere dubitabo, plus profuisse Latinae linguae Vallam, quam Iuris Ciuilis scientiae Modestinum. Proinde non musca elephantum maximam bestiam prouocauit, sed summus a maximo viro dissentit: alioqui cum muscam, vbi in faciem inuolat, facile abigamus, ita musca est Valla, vt cum eo non admodum libenter congrediatur Alciatus, illius, quandoque rei difficultatem attingit, rationibus nihil aliud quam Iureconsultorum maiestatem opponens. Recte hic omnia Valla. Nec enim *agri* appellatione et domum, et alia habitationi necessaria contineri dubitandum est. Terentius *in Eunucho V. 6. 1.*

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri, neque vrbis odium me vnquam percipit:
Vbi satietas coepit fieri, commuto locum.

Quod

4 *Paulus,*] *l. 78. D. de V. S.*

Quod autem *ager fundum*, iuxta Vallae ſententiam, *contineat*, idem Terentius oſtendit *in Heautontimorumeno*, I. 1. II. cum ait:

Agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii maioris nemo habet.

Et mox *Ibid. vers. 15.*

Nunquam tam mane egredior, neque tam veſperi
Domum reuertor, quin te in fundo conſpicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre.

Neque tamen, ſi ager plerunque plus quam fundus continet, idcirco ſingula prata, ſingulae vineae, ſinguli horti, ſingula pomaria, ſingula ſalicta, ſinguli ſemper erunt fundi: cum fundus non vnicum tantum, ſed et multa prata aliquando contineat. Hinc Varro *lib. I. de Re Ruſt. cap. 21. Si prata ſunt in fundo, neque pecus dominus habeat, danda opera, vt pabulo vendito alienum pecus in ſuo fundo paſcat, et ſtabulet.* Et paulo poſt *Ibid. cap. 22.* quaſi fundi modum velit definire, ſic ait: *Quae naſci in fundo ac fieri a domeſticis poterunt, eorum ne quid ematur, iſta fere ſunt quae ex viminibus, et materia ruſtica fiunt: vt corbes, fiſcinae, tribula, mallei et raſtelli. Sic quae fiunt de cannabi, lino, iunco, palma, ſcirpo: vt funes,*
73 *reſtes, tegetes.* Significat etiam *ager* alicuius *vrbis territorium*, et omnia, quae in eo ſunt complectitur, vt cum agrum Campanum aut Larinatem dicimus Cicero. *pro Aulo Cecinna cap. IV. Huic Ceſenniae fundum in agro Tarquinienſi vendit temporibus illis difficillimis ſolutionis.* Capitur et quandoque pro eo *in quo aliquid agere* poſſis, vt a Varrone deducitur, licet ei refragetur Quintilianus *lib. I. Inſt. Or. cap. 6.* Cicero *Epiſtol. ad Atticum lib. XII. Ep. 27. Villula ſordida, et valde puſilla, (5) nihil agri ad vllam rem, loci ſatis, nihil ad eam rem quam quaero. Aruum* porro quamuis id proprie ſignificet, *quod ſementi datur*, a Poëtis tamen in latiſſima ſignificatione ponitur. Virgilius *lib. III. Aen. vers. 496.*

Arua neque Auſoniae ſemper cedentia retro
Quaerenda.

Idem in *Georgicis*, *lib. IV. vers. 518.*

Aruaque Riphaeis nunquam viduata pruinis.

Addamus, ſubdit Valla, *ad haec aliquid ad hoc fundum: quod an a fundo fundas, an potius fundo a fundum, ſiue a fundus veniat,*

5 *Nihil agri.*] Etſi non eſt, quod quiſquam de hac ſignificatione vocis ager magnopere cum Florido contendat, tamen hic locus propter varietatem lectionis eum ad hanc probandam non iuuat.

veniat, (6) *ambigi potest*. Sciendum est porro *fundare* per translationem non esse, vt inquit Valla, frequentissimum, sed apud Poëtas tamen et Oratores nonnunquam inueniri. Cicero *in Paradox. l. 3. Quaero enim a vobis, num vllam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc Rempublicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt? Pro Domo* vero *sua ad Pontifices Cap. XXXVI.* ne *fundatissimam* quidem familiam abhorruit: *Defleui*, inquit, *coniugis miserae diffidium, liberorum charissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissimae familiae ruinas.* Ouidius *lib. IV. de Ponto El. III. vers. 5.* remotiori translatione vsus est, quum ait:

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Idem et *opes bene fundatas*, Ciceronem credo imitatus, appellat *lib. XIV. Metamorph. vers. 583.*

Cum bene fundatis opibus crescentis Iuli,
Tempestiuus erat coelo Tirynthius heros.

Virgilius *vrbem legibus fundare* vsurpauit: de Numa enim *in* 74
VI. Aen. vers. 811. ita canit:

Nosco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundabit.

Fundare etiam proprie positum apud Maronem saepe invenitur, licet in versibus, quos ex XI. *Aen.* citauit Valla non *fundabat*, sed *condebat*, legatur: quo in loco nec Vallam reprehendo, quippe in deprauata incidit exemplaria. Virgilius *lib. IV. Aen. vers. 260.*

Aeneam fundantem arces, et tecta nouantem
Conspicit.

Et *lib. V. vers. 759.*

Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae.

Et *lib. VII. vers. 409.*

Quam dicitur vrbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis.

Et *eod. lib. vers. 678.*

Nec Praenestinae fundator defuit vrbis
Caeculus.

6 *Ambigi potest.*] Quae dehinc sequuntur apud Vallam vsque ad verba: *Neque vero sicut reperitur fundus et fundum*: ea omnia iisdem verbis a Florido huc transscripta erant, quae non existimaui hic repetenda.

In VIII. vers. 478. quoque:

Nec procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Vrbis Agillinae sedes.

Idem *fundamenta locare* in eodem significatu vsus est, ait enim *lib. I. Aen. vers. 427.*

Hic alta theatris
Fundamenta locant alii.

Et *lib. IV. vers. 265.*

Tu nunc Carthaginis altae
Fundamenta locas.

Atqui et *fundamenta facere* apud Catonem est frequentissimum cuius *de Re Rust. Cap. XV.* haec sunt verba: *Si sesquipedalem parietem dominus voluerit, fundamenta faciat.* Et paulo inferius *Cap. XVIII. Inter parietes arbores vbi statues, fundamenta bona facito. Fundamen* quoque apud Poëtas plerunque legitur. Virgilius *lib. IV. Georgic. vers. 161.*

Prima fauis ponunt fundamina.

Ouidius *lib. V. Metamorph. vers. 361.*

Ambibat Siculae cautus fundamina terrae.

Fundamentare, quod sciam, apud bonos autores non est in vsu. *Fundare* autem *nauem*, quamuis aliter censeat Valla, aliquando apud Poëtas obseruatur. Plautus in *Milite III. 3. 41.*

Nam mi patrone haec cogitato: vbi probus est architectus,
75 *Bene liniatam si semel carinam collocarit,*
Facile esse nauem facere, vbi fundata et constituta est.
Nam hic carina satis et fundata et constituta est.

Alio modo *lib. VI. Aen. vers. 3.* scripsit Virgilius.

Tum dente tenaci
Anchora fundabat naues.

Quid mirum est, si *nauem fundare* dicimus, cum etiam *aedificare* per translationem apud optimos autores sit in vsu? Cicero in *Bruto Cap. LIII. At vero, vt contra Crassus ab adolescente delicato, qui in littore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem aedificare nauem concupiuisset, exorsus est*, et quae sequuntur. Caesar *tertio Commentario de Bello Gallico cap. 9. Quibus de rebus Caesar a Crasso certior factus, quod ille aberat longius, naues interim longas aedificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum, remiges ex prouincia institui, nautas gubernatoresque comparari iubet.* Et in V. *cap. 1. Legatis imperat, quos legionibus praefecerat, vt quam plurimas possent hyeme naues aedificandas, veteresque reficiendas curarent.*

DEFEN-

DEFENSOR AD CAP. XLI.

Hoc Capite Valla Iurifconfultos in *Agri, Fundi, Loci, Villae, Praedii, Poffeffionis, Arui* denique [1] expofitione reprehendere conatur, atque etiam Florentinum Vlpiano contrarium 76 oftendere. Cui vt facilius refpondeam, fingulorum horum verborum notationes diligenter excutiendas cenfeo. Hoc enim facto quisquis eius reprehenfiones poftea legerit, eas per fe diluet. *Ager* igitur, vt Varro [2] *lib. IV. de Ling. Lat.* voluit, *dictus eft ab agendo*: *In quam terram* fcilicet *quid agebant, vel vnde quid agebant fructus cauffa.* Quam etymologiam licet M. Fabius *lib. I. cap. 6.* reprehendat, quod a Graeco ductum fit vocabulum ἀγρὸς, vnde fit ἄγροικος, agreftis: videamus tamen, ne Graecum illud ἀπὸ τοῦ ἄγειν

1 *Expofitione.*] Non in horum omnium expofitione Iurifconfultos reprehendit Valla: nam *loci* fignificationem plane praeterit; *arui* autem, de quo nec Iurifconfulti quidquam dicunt, vix vno verbo attingit. Praecipua capita reprehenfionis Vallae haec funt. Primum, diffentire inter fe Vlpianum et Florentinum, quorum ille *fundum locum fine villa*, hic *agrum cum aedificio effe dicat*: deinde, ridicule Modeftinum, vel Iabolenum potius, loqui de *poffeffione* tamquam de *actione poffidendi*, fiue *qualitate*, quam confiderare debuerit vt *fubftantiam*: tum, non recte ab Vlpiano et Florentino *agrum* definiri *locum fine villa*, quod ex aliorum fcriptorum teftimoniis conftet etiam *villam agro contineri*: poftremo, inter Iurifconfultos etiam controuerfiam effe de *praedio*. His ita refpondet Defenfor, vt fimul adferat explicationes legum, quas vel contrarias inter fe effe, vel ridiculas putabat Valla: in quibus exponendis an vbique rem acu tetigerit, non eft meum iudicare.

2 *Lib. IV.*] *pag. 10.* Sic quoque Donatus ad hoc *Terentii Adelph. III. 4. 38. iamdudum aliquid ruri agere arbitror: Agere,* inquit, *proprie dixit: nam ab agendo ager dictus eft, quod in eo multo agenda funt.*

ἄγειν καὶ ἄγεσθαι (quod eſt *ducere, vehere,* ſicut et noſtrum *agere*) deductum videri poſſit. Vt vt ſit, conſuetudo obtinuit, vt *ager* [3] proprie diceretur, *in quo quid fructuum cauſſa ageretur,*
77 id eſt, terra coleretur. Quo pertinet Iaboleni definitio: *Agrum eſſe ſpeciem fundi ad hominis vſum comparati l. quaeſtio 115 D. de Verb. ſign.* quodque tam Vlpianus quam Florentinus *agrum locum ſine villa, vel ſine aedificio* deſcripſerunt *in l. ager. 27. et l fundi. 211. D. eod.* quia videlicet non in villis et aedificiis ruſticis, ſed apertis campis terra coleretur. Vnde [4] *ager Campanus, Puteo-*

3 *Proprie.*] *Ager* frequentiſſime quidem denotat *agrum aruum*, ſiue frumentarium, vt vel phraſis, *agrum arare*, docet; ſed tamen etiam de aliis partibus fundi, ſiue agri, in quibus *quid agitur fructuum cauſa*, dicitur. Iſidorus *lib. XVI. cap. 13. Omnis ager, vt Varro docet, quadrifariam diuiditur, aut enim aruus eſt ager, id eſt, ſationalis: aut conſitus, id eſt aptus arboribus: aut paſcuus, qui herbis tantum et animalibus vacat: aut florens, quod ſunt horti apibus congruentes et floribus.* Atque hac ſignificatione ab Vlpiano et Florentino *agrum* definiri *locum ſine villa*, ſi quis, quod Defenſori placet, Vallae reſpondeat, non habebit, quod reponat. Nam quemadmodum, vt ille de alia huius vocis ſignificatione agens ait, nihil prohibet agrum eſſe cum villa; ita, ſi hac ſignificatione accipias, nec quidquam obeſt, quo minus idem ſit ſine villa. Nec tamen adfirmauerim ita exponendas eſſe *dd. ll.* cum alio fere ab Interpretibus videam referri verba Iuriſconſultorum: ſed ad refutandum Vallam, qui ſibi non de apicibus Iuris reſponderi, ſed ſignificationes vocum ex aliis ſcriptoribus oſtendi poſtulat, haec, quae dicta ſunt, ſufficere arbitror.

4 *Ager Campanus.*] Hoc non bene adfert, vt oſtendat *agrum* dici *locum ſine villa*: nam *ager Campanus, Puteolanus,* cet. eſt, quod *territorium* dicitur, vt recte dicit Floridus, quo multi *agri*, ſiue *fundi* ſingulorum continentur. De quo eſt locus Ciceron. III. *Agrar.* 2. *Sed ita latum eſt, vt melior tui ſoceri fundus Irpinus ſit, ſiue ager Irpinus (totum enim poſſidet) quam meus paternus auitusque fundus Arpinas.* Eſt praeterea

ager

Puteolanus, Nolanus, ſunt aperta ſpatia et plani- 78
cies illae, terrae colendae idoneae. Et quanquam *in agro*, vel *in agris eſſe* dicatur, pro *ruri eſſe*, et opponatur ei, quod eſt *eſſe in vrbe:* tamen ſciendum eſt hanc appellationem a maiori parte ductam eſſe, et propria locutione *agrum eſſe locum ſine aedificio, qui fructuum cauſſa colatur. Fundus* vel a *fundo, fundis*, (*quod multa quotannis fundat, et ſit pecuniae pecudumque fundamentum* [5] ex Varrone et Seruio) vel a *fundum*

 potius

ager ſaepe idem quod *fundus*, in quo ſunt villae, arua, paſcua, olineta, vineta, ſiluae, arundineta, et ſimilia. Varro *lib. IV. de Ling. Lat. pag.* 11. *Ager, quod videbatur pecudum ac pecuniae eſſe fundamentum, fundus dictus.* Horatius *lib. I. Epiſt.* 16. 1.

Ne perconteris fundus meus, optime Quinti,
Aruo paſcat herum, an baccis opulentet oliuae,
Pomiſue, et pratis, an amicta vitibus vlmo.

quem hic *fundum*, mox *agrum* vocat *vers.* 4.

Scribetur tibi forma loquaciter, et ſitus agri.

Sic et Quintilian. *Declam. XIII.* Terent. *Heautont. I.* 1. *vers.* 2. 11. 16. 94. contra quam ſentit Floridus, et Rei Ruſticae ſcriptores multis locis promiſcue *agrum* et *fundum* dicunt. Vnde intelligi poteſt, falſum eſſe, quod hic dictat Laurentius, *fundum minus quiddam eſſe, quam agrum, et agro contineri:* quem non de territorio loqui, qua ratione ſententiam illius tuetur Brechaeus *ad. l.* 115. *D. de V. S.* ex eo apparet, quod eam confirmat teſtimonio Quintiliani e *Declam. XIII.* vbi de agro pauperis ac diuitis, non de territorio ſermo eſt. Quod autem idem Valla porro ſcribit, *ſingula prata, ſingulas vineas*, et quae ſunt plura huiusmodi in agro, *eſſe ſingulos fundos*, hoc quoque parum verum eſſe, etiam ipſe Floridus, etſi praefatus hic omnia recte dici a Valla, agnoſcere cogitur. Et ſane melius hoc de *agro*, quam de *fundo*, dixiſſet: neque enim fundi tam varia eſt, quam agri, ſignificatio; nec quemadmodum *agrum aruum, paſcuum, conſitum*, ſic etiam *fundum* his adiectis dicimus.

5 *Ex Varrone.*] *lib. IV. de Ling. Lat. pag.* 11. Seruii locus eſt *in II. Georgic.* 468. alias etymologias vid. apud eos, qui de his ſcripſerunt.

potius dicitur, quaſi quod fundo, i. e. imo cohaereat. Hinc Iabolenus *fundum* finiit, *quicquid ſolo tenetur d. l. quaeſtio.* Et antiquitus *fundus* locum ruſticum ſignificabat, in quo et ager eſſet,
79 et villa: vt integrum aliquid eſſet colendae terrae deſtinatum: et quia ſatis idonee terra coli non poſſet, niſi et ager eſſet qui coleretur, et villa, in quam coloni, ſerui, fructus, et inſtrumenta ruſtica reciperentur, *fundus* ex vtroque conſtaret *l. ſi fundum. 81. § qui fundum. 3. D. de Legat. 1. l. ſi cui. 9. D. de Seruitut. l. quis ſit fugitiuus. 17. §. idem Caelius. 8. D. de Aedil. Edict.* Eoque pertinet, quod Florentinus in *d. l. fundi. 211. in fin. de V. S.* ait, *agrum cum aedificio fundum* dici, et in *princ. d. l. fundi. fundi appellatione omne aedificium et omnem agrum contineri:* quod [6] non diuiſe, ſed coniuncte accipiendum eſt. Idque etiam confirmatur ex *d. l. locus 60. D. de V. S.* vbi dicitur *fundus eſſe integrum aliquid:* idque conſtare ex agro et villa ſubindicat, cum locum, quem fundo opponit, ſine villa intelligi dicit. Huc pertinet quod *villa fundi acceſſio* dicitur *l. fundi 8. D. Quib. mod. vſusfr. amitt.* Et *pars fundi l. ſi ita teſtamento. 15. D. de Inſtr. et inſtrum. leg.* Confirmatur praeterea ex hoc Feſti loco in verbo *ſaltus: Saltus,* inquit, *eſt vbi ſyluae et paſtiones ſunt, quarum cauſſa caſae quoque, et ſi qua particula in eo ſaltu paſtorum aut cuſtodum cauſſa aratur, ea res non peremit nomen ſaltui: non*

6 *Non diuiſe.*] Aliter *h. l.* et plerasque alias, de quibus hic agit, exponunt Interpretes ad *Titul. de V. S.*

non magis quam fundi, qui in agro culto et eius caussa habet aedificium, si qua particula in eo ha- 80
bet syluam. Hinc nobiles illi Romanorum *fundi, Tusculanus, Cumanus, Priuernas,* non solum magnis latifundiis, sed et magnificis aedificiis, quae Praetoria vocabant, decorati. Sed cum fundi in familiis ercifcundis varie diuiderentur, atque etiam subdiuiderentur, aut ex destinatione patrisfam. vel culturae commoditate maiores minoresue constituerentur, vt in *l. Caius. 86. in fin. D. de Legat. 2.* factum est, vt *fundus etiam minima terrae portio* intelligi possit: modo integrum aliquid sit, non ab alio dependens, aut alteri accedens: eoque ventum paulatim, vt sicuti domus, ita et fundi indefinita, i. e. sine nomine, vel adiecto, stipulatio nulla prorsus iudicaretur: quia sicut tam parua domus dari posset, vt ad habitandum inutilis esset *l. si. quis. 6. §. plane.* 1. *D. Commun. praed.* ita fundi stipulator vel glebam praestando liberaretur: quia, vt dixi, quaelibet portio fundi fundus nominari potest, si hoc constituerimus: vt *hic,* et in *l. plane 34. §. vlt. l. quod in rerum 24. §. si quis. 2. D. de Legat. 1.* Hinc iocus ille Ciceronis in Varronem, cum ille (vt in etymis verborum etiam aliunde conquirendis nimius erat) *fundum* a *funda* deduxisset, quia scilicet tam exiguus fundus dari posset, vt etiam funda contineretur, in quem Cicero lusit lepidissimis his versibus:

Fundum Varro vocat, quem possis mittere funda: 81
Ni lapis exciderit, qua caua funda patet.

Locus a *locando* dicitur, et *eſt, in quo quid locari poteſt:* Vel, vt ait [7] Varro, *locus eſt, vbi quid collocatum eſſe poteſt, vbi quicquam conſiſtit.* Proprie autem pertinet *loci* appellatio ad *κατηγορίαν πρός τι*, vt ſit *locus* reſpectu *locati.* Quo pertinet, quod ait Vlpianus in *d. l. locus. Fundum quidem ſuos fines habere, locum vero latere poſſe quatenus determinetur, vel definiatur,* pro magnitudine ſcilicet, vel paruitate rei locatae. Senſim enim ad rem ruſticam *loci* appellatio reſtricta eſt, vt pro *agro* acciperetur. Vnde Plinius *lib. XVIII. cap. 3. Locupletes* a veteribus dictos teſtis eſt, quaſi *loci, hoc eſt, agri plenos.* Hinc etiam apparet, quid a fundo differat. Nam *fundus* eſt aliquid integrum: *locus* autem eſt portio aliqua fundi: cum reſpectu fundi quod integrum quid eſt, locus pars eius intelligatur *l. locus 26. D. de Adquir. poſſeſſ.* Idque manifeſtius apparet in ſeruitutibus ruſticorum praediorum conſtituendis, *vt per illum locum ire, agere, aquam ducere liceat l. 2. D. de Seruit. ruſt. praed.* aut etiam in [8] In-
82 terdicto, *ne quid in loco publico*, ad quod referri debere *d. l. locus*, apparet ex inſcriptione. Praeterea ſi fundum alteri adiunxerit, et acceſſionis loco cedere voluerit paterfamilias, tum qui fundus erat, locus, i. e. portio fundi efficietur. Rurſus vel modicus locus fundus effici poterit, *ſi eum fundi animo habuerimus,* vt inquit Vlp. *in d. l. locus.* Iam quod ad conciliandum Vlpianum cum

7 *Varro.*] *Lib. IV. de Ling. Lat. pag. 8.*
8 *Interdicto.*] Cuiac. refert ad Interdictum. *Vnde vi.*

cum Florentino pertinet: primum ſciendum eſt in [9] Tuſco Codice et aliis probatioribus legi in *d. l. locus. 60. de V. S. Plaerumque ſine villa locum accipimus, non fundum.* Et ſane res ita eſt, *locum* ſaepius pro *agro* vel *agri parte* poni: vt ex *d. l.* Plinii *lib. XVIII. cap. 3.* apparet, itemque ex *l. ſi fundus. 16. §. ſi res. 2. D. de Pignorib.* vbi *locum* a *vineis* diſtinguit. Deinde etiam ſi de fundo ſenſerit Vlpianus, tamen cum *(plaerumque)* dicat, ſeſe ipſe indicat non tam ad verbi originem aut proprietatem, quam ad vulgi conſuetudinem reſpexiſſe: vt Florentinus verbi notam et propriam ſignificationem ſequutus merito dixerit, *fundi appellationem omne aedificium omnemque agrum continere d. l. fundi.* 211. *de V. S.* Sed cum fundi in multas particulas commodioris culturae gratia ſcinderentur, quarum quaelibet ex deſtinatione patrisfamilias fundus dici poſſet, vt 83
dixi, factum eſt, vt vulgi conſuetudine *fundus* etiam *pro loco ſine villa*, i. e. agro acciperetur. Atque ita conciliandum cum Vlpiano Florentinum iudico: licet neque Alciatus ad illos locos, neque quisquam Interpretum (quem viderim) hanc contrarietatem conciliet, aut obtrectanti Vallae ſatisfaciat. Sed ſcilicet Vallae ignoſcendum eſt, ſi, cum Digeſtorum libros primis tantum labiis guſtaſſet, in iisque legendis verba tantum, non ſenſum ſectaretur, Prudentium ſententiam

9 *Tuſco.*] Ita etiam eſt in Edd. Gothofr. nec aliter laudant, qui ſcripſerunt *ad Titulum de V. S.* quos quidem viderim. Et hoc ſatis erat aduerſus primam reprehenſionem Vallae:

tentiam non ſit aſſecutus. *Villa*, eodem [10] Varrone authore, eſt domus ruſtica a *vehendo* dicta, quod in eam fructus aruorum vehantur, quaſi *vehilla:* cuius tres ſpecies *vrbanae, ruſticae* et *fructuariae* tradit Columella *lib. I. cap. 6.* Vnde illuſtrari poteſt *l. videamus. 11. §. vlt. D.* [11] *Locati.* vbi de villa vrbana loquitur. Sed et Idem M. [12] Varro *praedii* etymon *lib. IV. de Ling. Lat.* his verbis tradit, *Praedia, item vt praedes, a praeſtando dicta ſunt, quod ea pignori data publicentur, ni mancupes fidem praeſtent. Praedis* vero
84 notam Idem [13] *lib. V.* reddit: *Praes dicitur, qui a magiſtratu interrogatus in publicum vt praeſtet, a quo et cum reſpondet, dicitur Praes.* Vnde *Praedes* initio dictos mancipum, i. e. [14] publicanorum pro vectigalibus fideiuſſores: ſicut et *compraedes, qui eiusdem rei populo ſponſores fiebant,* authore Feſto *lib. III.* Paulatim vero, vt [15] Aſconius ſcribit, *praedes* dici coepti ſunt *ſatisdatores locupletes pro re, de qua apud iudicem lis eſt.* A qua fideiuſſorum praeſtandorum moleſtia quia poſſeſſores immobilium Praetoria iurisdictione exime-

10 *Varrone.*] *Lib. I. de Re Ruſt. cap. 2.* et *lib. IV. de Ling. Lat. pag. 11.*

11 *Locati*] vid. ibi Budaeum.

12 *Varro.*] *Lib. IV. de Ling. Lat. pag. 11.* In Edd. Scaligeri et Gothofr. hic locus aliter legitur, in cuius lectione conſtituenda non conuenit inter doctos. v. Hotoman. *ad Aſcon. in I. Verr.* Salmaſ. *de Mod. Vſur. pag. 735.* Turneb. *in Aduerſar.*

13 *Lib. V.*] *Pag. 59.* De hoc quoque Salmas. *l. d.*

14 *Publicanorum.*] Immo omnium, qui aliquid publice praebendum, faciendum, praeſtandumue conduxerant: non enim ad ſolos fideiuſſores publicanorum reſtringitur. V. Feſt,

15 *Aſconius.*] *In I. Verr. cap 45.* Is tamen *paulatim* illud, quod Defenſor noſter addit, non habet.

eximebantur *l. sciendum. pen. D. Qui satisd. cog.* et quia immobilia quoties praes, i. e. fideiussor deerat, pignori dabantur, vt vendi possent, ni pacta seruaremus, factum est, vt quaecunque *immobilia praedia* dicta sint. Caeterum quod addit hic Valla, *etiam de praedio, sicut de fundo, inter Iurisconsultos* [16] *controuersiam esse,* sane quid blateret nescit. Nulla enim inter eos hac de re controuersia est, sed generaliter *praedia* pro *immobilibus* ponuntur: et rustica ab vrbanis non loco, sed materia, separantur *l. vrbana 198. D. de V. S.* Vnde rusticorum vel vrbanorum praediorum seruitutes a loco dominante deno- 85
minantur, vt *licere altius tollere, et officere praetorio vicini, vel cloacam habere per vicini domum,* inter rusticorum praediorum seruitutes recenseantur, cum praedio rustico debentur *l. 2. D. de Seruitut. rustic. praedior.* Et vice versa vt *ire, agere per aream vicini in domum meam* liceat, sit vrbana seruitus. *l. seruitutes. 20. §. si domo. 2. D. de Seruit. vrb. praed.* Restat *Possessionis* verbum, de qua quia Laurentius Modestinum ([17] Iabolenum dicere voluit, est enim *d. l. quaestio.* author Iabolenus, non Modestinus) imperite loquutum ostendere conatur, hunc eius insultum reprimendum putaui. *Possessio,* vt ex Labeone tradit

16 *Controuersiam.*] Haec est quarta accusatio Vallae, quae, cum nihil ad eam probandam adferat, ita satis repellitur.

17 *Iabolenum.*] Potuit etiam in Vallae et aliorum Codicibus haec lex Modestino inscribi: nam praeter Vallam, etiam Ianus Iunianus Maius *in libro de Priscorum Proprietate Sermonum*, et Alciatus, et Floridus Modestinum illius auctorem faciunt.

dit [18] Paulus, dicta eſt *a ſedibus, quaſi poſitio,* vel potius *pedis ſeſſio,* quo videlicet pes figeretur, et veſtigium inſiſteret. Et, vt apparet, referri debet ad actum, vel *qualitatem.* Sed paulatim ad *ſubſtantiae* praedicamentum traductum eſt, cum hoc nomine ſignare vellent *immobilia,* quae poſſiderentur: ita tamen vt non proprietatem, ſed ſolum vſum attenderent. At cum proprietatem
86 loci denotare volebant, agri nomine vtebantur. Atque id eſt, [19] quod voluit Iabolenus his verbis: *Poſſeſſio ab agro iuris proprietate diſtat. Quicquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus. Poſſeſſio ergo vſus, ager proprietas loci eſt.* Pendet autem hoc ab vſu vulgi et loquendi conſuetudine, quam quis melius, quam Iabolenus ipſe noſſe potuit? Neque vero,

quae

18 *Paulus.*] *l. 1. princ. D. de Adquir. vel am. poſſeſſ.* In Edd. Gothofr. legitur *a pedibus.* v. de hac voce Grot. *in Flor. Spars. ad d. Tit.* Menag. *Cap. XXXIX. Amoen. Iur.* et Etymologicorum auctores.

19 *Quod voluit Iabolenus.*] Diſputatio Defenſoris, qua conatur diluere ſecundam accuſationem Vallae, mihi ſatis obſcura videtur. Cuiacius, Fornerius, et alii *ad l. 115. D. de Verb. ſignif.* item Briſſonius *lib. IV. Select. Antiquit. cap. 1.* ſcribunt, a Iauoleno *poſſeſſionem* appellari praedium, cuius poſſeſſio tantum et vſus ad aliquem pertinet, proprietas pertinere non poteſt; cuiusmodi ſunt v. g. praedia tributaria et ſtipendiaria, quorum proprietas erat Populi Rom. vſus eorum, quibus ea fruenda data erant. vid. plura ap. Briſſon. qui hoc cum aliunde, tum ex his verbis Feſti confirmat: *Poſſeſſiones appellantur agri late patentes publici priuatique; quia non mancipatione, ſed vſu tenebantur.* Haec conſideraſſe Vallam et Floridum, et quaeſiuiſſe, vbi vocabulum *poſſeſſio* ipſum *corpus* rei *ſine proprietate* notare poſſet, ſatius fuerat, quam proterua petulantia, quod Valla facit, Iuriſconſultum omnibus deridendum propinare.

quae ex aduerſo citas, M. Ciceronis et Quintiliani teſtimonia aliam huius vocis ſignificationem oſtendunt, neque *poſſeſſionem* vice *proprietatis* vſurpant, quod ridiculum eſſet, cum velut adverſa opponantur *poſſeſſio* et *proprietas:* ſed *poſſeſſionis* verbum accipiunt pro *re immobili*, eamque tanquam poſſeſſam conſiderant, non tanquam propriam. Eſt igitur ridiculus ipſe Laurentius, cum in illis [20] Ciceronis et Fabii locis 87
poſſeſſionem proprietatem interpretauit. Neque enim proprietas vt eſt qualitas, venditur aut aeſtimatur, ſed res ipſa, vel ius in re. Rurſus cum Modeſtini, vel Iaboleni potius, verba ſic accipit, quaſi ille *poſſeſſionem* pro *actione poſſidendi*, vel *qualitate* acceperit, ſenſum eius ſe non eſſe aſſecutum oſtendit. Nam de *corpore* ſe loqui ſatis indicat his verbis: *Quicquid enim apprehendimus.* Sed cum ait: *Poſſeſſio ergo vſus, ager proprietas loci eſt,* per poſſeſſionem rem poſſeſſam intelligit, ſed quatenus ea vtimur: ſicut per agrum rem quae noſtri dominii eſt, et in qua proprietas noſtra eſt: quaſi diceret, *Verbo poſſeſſionis vſus, agri vero vocabulo proprietas demonſtratur.* Diſcat

20 *Ciceronis.*] Praeter hos etiam plerique alii probati ſcriptores hac voce pro *rebus immobilibus*, vt ait Defenſor, vtuntur, ſed frequentius *poſſeſſiones* plur. numquam *poſſeſſionem* dicunt. ſic *poſſeſſiones Epiroticae*, *Italicae*, *Africanae*, *vrbanae*, apud Corn. Nep. *in vita Attici.* Quod autem Noſter porro ait, *poſſeſſiones* apud Ciceronem et Quintilianum eadem ſignificatione debere accipi, qua *poſſeſſionem* dicit Iabolenus, id mihi non magnopere probatur, et magis puto *poſſeſſiones* ab iis, et aliis ſcriptoribus, dici praedia, quorum non vſum ſolum, verum etiam proprietatem quis habet: quae Vallae ſententia eſt.

Diſcat ergo Laurentius Prudentium verba melius expendere, et in eorum lectione diutius immorari. Caeterum *Aruum* ab *arando* dictum eſſe notius eſt, quam vt notari debeat, neque de eo nunc vlla nobis eſt controuerſia. Quod ſi, vt
88 fuit reprehendendi cupidus Laurentius, ita in eo reprehendendo diutius immorari liberet, multos eius errores in ipſa eius profeſſione, i. e. Romani ſermonis proprietate, et linguae Latinae notitia, colligere quis poſſet. Verum eum [21] ad Mancinellum remitto, qui hoc quidem loco probat C. Plinii et [22] Nonii Marcelli teſtimonio *punctum* etiam in genere maſculino Latinis dici, quod negauit Laurentius.

21 *Ad Mancinellum.*] Is librum ſub titulo *Limae Vallenſis* conſcripſit, in quo Vallae errores notati erant. De huius ſcriptis haud ſane benignum eſt iudicium Floridi Sabini, cum in hoc libello, quo Vallam defendit, tum *lib. II. Subciſiu. lect. cap. 20.* et *21.* cui quantum tribuendum ſit, ſcire poterunt, qui Mancinelli ſcripta viderunt.

22 *Nonii.*] In Nonio hoc nondum reperire potui. Plinii locus eſt *lib. XXIX. H. N. cap. 6. Oculis punctu erutis aiunt viſum reuerti.* Eſt etiam apud Apul. *lib. VII. Met. pag. 196.* Ed. Elmenh. *Spinas punctu venenato viriosſas*, et in Phaedr. *lib. V. fab. 3. Punctum volucris paruulae*, eadem inflexione hanc vocem poni putat Gudius. *Punctus*, de prima figura artis Geometricae dicit Iſidor. *lib. III. cap. 12.*

VALLA CAP. XLII.

In eosdem de Noualis.

Noualis, inquit [1] Paulus, *eſt terra proſciſſa, quae anno ceſſat, quae a Graecis ὁ καὶ ἡ νεός, καὶ τὸ νέωμα, vocatur.* In quo authoritatem Var-

1 *Paulus.*] Gaius *l. 30. §. 2. D. de Verb. ſign. V. ad Defens.*

[2] Varronis ſecutus videatur, dicentis: *Ager reſtibilis, qui reſtituitur ac reſeritur quotannis: contra, qui intermittitur a nouando noualis ager:* 89
Et [3] Plin. qui ait: *Nouale eſt, quod alternis annis ſeritur.* Idem quoque ſentire videtur Feſtus Pompeius, qui dicit: *Noualis ager nouae relictus ſementi.* Sunt qui volunt *noualem* eſſe aruum tunc primum ad ſementem proſciſſum, quorum eſt Seruius, qui [4] inquit: *Dicimus et has nouales, et haec noualia. Proprie nouales tunc primum arua proſciſſa.* Quod ita ſenſiſſe [5] Virgil. palam eſt in illo verſu: *Impius haec tam culta noualia miles habebit?* Ineptum erat deplorare agrum a barbaris poſſideri, quod non eſſet reſtibilis, ſed quod anno interquieuiſſet. Deplorabat igitur *agrum, in quo inſtruendo magnopere laboraſſet, et nouitate ipſa praeter caeteros vberiorem,* datum iri in manus alienas, et barbaras, et impias. Quod etiam et ſentit, et declarat *in Milite Mariano* [6] Quintilianus: *Mox ingentibus lacertis humum fodere, ſegnem futuris noualibus eruere ſylvam.* Hieronymus etiam definit in hunc ſenſum, dicens: *Nouale eſt ager nunc primum proſciſſus.* Sed Virgil. in ſenſum priorem accipit, cum inquit:

Alter-

2 *Varronis.*] *Lib. IV. de Ling. Lat. C. pag. 11.*
3 *Plin.*] *Lib. XVIII. cap. 19. C.*
4 *Inquit.*] In illud *Virg. Georg. I. Alternis idem tonſas. C. vers. 71.*
5 *Virgilium.*] *Eclog. I. C. vers. 71.*
6 *Quintilianus.*] *Declam. III.*

90 *Alternis idem tonsas cessare nouales,*
Et segnem patiere situ durescere campum.

Ideoque [7] Seruius alibi ait: *Noualia, id est, noua terra, quae per singulos annos renouatur per semina.*

7 *Seruius.*] In illud *Eclog. I. Impius haec tam culta.* C.

ALCIATVS AD CAP. XLII.

In *nouali* visus est a Paulo dissentire, dum *terram proscissam esse, quae anno cesset*, Paulus ait: Valla etiam *nouale* dici, *aruum nuper et cum magna cura ad culturam redactum.* Sed et id, opinor, non negasset Paulus.

FLORIDVS AD CAP. XLII.

De *nouali* nihil dicam. Quum enim Paulus *noualem*, *terram proscissam, quae anno cesset*, esse definiuisset: Valla autem *noualem* esse *aruum nunc primum ad sementem proscissum* addiderit: quod et Seruius sensit, et Virgilius in illo carmine: *Impius haec tam culta noualia miles habebit?* vt forte reprehendi non possit Iureconsultus, laudari tamen debet Valla, quod aliud eius vocis significatum ostenderit: nisi forte ille Pauli verbis nihil debebat addere.

91
DEFENSOR AD CAP. XLII.

Quid igitur hic habes [1] quod reprehendas, Laurenti? cum hanc eandem verbi *Noualis*, significationem confirment Varro, Plinius *lib. XVIII. cap.*

1 *Quod reprehendas.*] Non tam reprehendit Iurisconsultum Valla, quam ad significationem vocabuli *noualis*, quam ille adfert, aliam addit, quod ei licuisse, Florido non difficulter largior: tametsi ea, vt recte ostendit Defensor, Iurisconsultis ignota non fuit. Quoniam tamen hunc librum *de Notis Auctorum* inscripsit Valla, viderit ipse cum Defensoribus suis quomodo in eo *hoc Caput* locum suum tueri possit.

cap. 19. Festus Pompeius, et [2] Seruius, vel te ipso proferente. An te credidisti Consultos nostros docere posse, quae propria sit et genuina Latinae vocis significatio? cum eorum sit haec aliis interpretari, et in eo plurimum versentur ac desudent, vt Legem, Edictorum, contractuum, et testamentorum verba nobis exponant, vtque inter τὸ ῥητὸν καὶ τὴν διάνοιαν diiudicent. Aut quasi hi, quos tu citas, authores melius nouerint, quid sit *nouale*, vel *noualis*, et quot modis hoc verbum accipi debeat, quam Paulus aut Vlpianus, vel Alfenus aut Callistratus. At vt scias vtramque significationem non fuisse Iureconsul- 92
tis ignotam, aut inusitatam, Callistratus in *l. vlt. D. de Termin. mot.* ait poena plectendos esse, *qui ex sylua nouale, aut ex arbore arbustum* finium obscurandorum caussa fecerint. *Nouale* igitur, siue *noualis terra* (ne te generis diuersitate tutum putes) [3] vtrumque significat apud bonos et graues Latinitatis authores, et *terram nunc primum proscissam*, vt cum ex sylua nouale fit, a *nouo* videlicet, quasi noua terra, nouus ager: et *agrum, qui alternis seritur, alternis cessat*, a *nouando*, quasi nouandarum virium gratia cultura eius intermittatur, vt in loco Vergilii a te citato, et *in*

F 2 *libro*

2 *Seruius.*] *In I. Ecl. vers. 71.* quem locum in extremo *cap. 2.* laudat Valla. Ceterum versum hunc Virgilii longe aliter, ac Valla, exponit, et Seruii ad eum interpretationem reiicit Salmasius *ad Solin. pag. 514.* Ed. Vltrai. vbi et plura de significatione huius vocis legi possunt.

3 *Vtrumque.*] Vid. de vtroque hoc genere noualis Cuiac. Bud. et alios *ad. d. l. 30. de V. S.* add. Salmas. *l. d. pag. 510.* et *seqq.*

libro variorum authorum [4] *de Limitibus* ſcriptum eſt: *Noualis ager eſt primum proſciſſus, ſiue qui alternis annis vacat, nouandarum ſibi virium cauſſa.* Ceterum [5] *nouellum*, et [6] *nouelletum* longe aliam
93 habet apud Conſultos ſignificationem. Accipitur enim pro loco nouellis arboribus conſito, vt *oliuetum*, *quercetum*, *palmetum l. vtiles. 39. D. de Petit. haered. l. 8. D. de Fund. dot.* quod ab iis, qui Commentarios *de Verbis Iuris* conſcripſerunt, praetermiſſum, aut aliam in partem acceptum eſſe miror. Porro, quod in hoc Pauli loco *l. ſylua. 30. §. noualis. 2. D. de Verb. ſign.* verba Graeca immutaris, et pro [7] *νεακὶν* vel [8] *νεατὸν* ſubſtitueris *ὁ καὶ ἡ νεὸς καὶ τὸ νέωμα*, id non tam audaciae tuae, quam ſeculi, quo vixiſti, infelicitati tribuo.

VAL-

4 *De Limitibus.*] *Pag. 293.* Ed. Goes.

5 *Nouellum.*] *l. 8. D. de Fund. dot. Vir in fundo dotali vxoris rogatus oliuetum ſucciderat hoc, vt nouellum reponeret*, id eſt, nouellum oliuetum, vt Alber. Gentilis exponit *ad l. 30. de V. S.*

6 *Nouelletum.*] *l. 39. D. de Hered. petit. l. 6. D. de Impenſ. in res dot.* Vtroque loco dicuntur vtiles impenſae eſſe, quae factae ſunt in *nouelleta.* Torrent. *ad Sueton. Domit. Cap. VII.* et Brod. X. *Miſcellan. 15.* ſcribunt, *nouelletum* eſſe vineam recens inſtitutam, quemadmodum apud Sueton. *l. d. nouellare* eſt, nouas vineas pangere, et *renouellare veteres vineas*, eas factis ſulcis ſternere, apud Columell. *lib. de Arborib. cap. 6.* Idem ſentiunt Alber. Gent. *l. d.* et Broekhuſ. *ad Tibull. II. El. 2. 22.*

7 *Νεακὶν.*] Gothofr. *νέακιν*, e Florent. pro quo Cuiac. ad *h. l.* *νέασιν* legit e Baſilicis, nec non Salmaſ. *l. d.* et Voſſ. *Etymolog.* qui librarios C Graecum pro K accepiſſe dicunt.

8 *Νεατὸν*] Bud. *νέατον*, ex antiquo exemplari. Idem cum Alciato et Valla hanc legem Paulo tribuit, Cuiac. et Gothofr. Gaio. Pro *terra proſciſſa*, quod e vulgat. adfert Valla, in Florent. eſt *terra praeciſa*: de qua lectione vid. quae diſputant Interpretes *ad h. l.*

VALLA CAP. XLIII.

In eosdem de Liber *et* Volumen.

Si cui, [1] Vlpianus inquit, *centum libri sunt legati, centum volumina ei dabimus, non centum, quae quis ingenio suo metitus sit*, [2] *quo magis ad* 94
libri scripturam sufficerent: vt puta cum haberet Homerum totum in vno volumine, non quadraginta octo libros computabimus, sed [3] *vniuersum Homeri volumen pro libro accipiendum est.* Vlpianus Homeri opus nunc *vnum librum*, nunc *quadraginta octo libros* nominat. Nec tamen ait *librum* duo significare, ipsum opus et certam operis partem. Praeterea opus siue opera Homeri *librum* appellat, et *volumen*, quorum vtrumque inauditum est. Virgilii *Aeneis* non *liber* est, sed *duodecim libri. Georgica* non sunt item *liber*, sed *libri quatuor. Bucolica vnus liber* est, idemque *vnum volumen. Georgica quatuor volumina. Aeneis duodecim.* [4] Ouidius:

Sunt mihi mutatae ter quinque volumina formae.

Sed quid exemplis agimus, cum nusquam plura afferri possint? At Vlpianus putat etiamsi omnia opera Didymi, quo nemo plura scripsit, in vnum codicem conglutinarentur, vnum tantum debere

 volu-

1 *Vlpianus.*] *l. 52. §. 1. D. de Legat. 3.*

2 *Quo magis.*] *Quae ad libri.* Ed. Col. Steph. Gryph. C. In Gothofr. Edd. *cui ad libri.*

3 *Vniuersum.*] *Hoc vnum, Homeri*, Eaed. C. Gothofr. *vnum Homeri*, ablato articulo, *hoc.*

4 *Ouidius.*] *Lib. I. Trist. El. 1. C. vers. 117.*

volumen appellari, quod nemo nec posset euolvere, nec ferre vellet. Est enim *volumen* vel a *volo*, quod in libris *voluntas* apparet, vel (quod
95 magis sequerer) a *voluo:* quod *voluitur*, quales libros hodie Hebraei quosdam habent, qualesque in Veteri et Nouo Testamento lectitamus fuisse. Et Romani, qui in *libris arborum*, i. e. corticibus, scribebant, quod *libellos* illos, quos ferrent commodius complicabant, *volumina* forte appellauerunt. Itaque volumina libellis similiora fuere quam libris. Quod ex eo quoque loco apparet, vbi [5] Plinius de libris auunculi loquens ait: *Libri tres in sex volumina propter amplitudinem diuisi:* quasi dicat, in *sex minores libros*, vt sint *volumina* aliquanto *minora*, quam *libri*. Quod etymologia quoque nonnihil probat, vt ostendi. Vnde adhuc durat verbum, *euoluere libros*, pro eo quod est aperire libros lectitandi gratia, quasi rem [6] complicatam explicare: quemadmodum *reuelare* est rem velatam detegere: nisi dicamus *euolui libros* propter numerum paginarum. Accipitur autem nunc *euoluere libros*, siue autores, pro eo quod est *lectitare*. [7] Nec inficias eo *libros* accipi pro *codicibus*, et in singulari *librum*, pro *quolibet magno codice*, etiamsi is contineat Iliada et Odysseam: vt, *tenet rex manu librum:* et is sit Homerus: non tamen recte dicas, *tenet librum Homeri*.

ALCIA-

5 *Plinius.*] *Lib. III. Ep. 5.* C.

6 *Complicatam.*] *Complicitam*, Ed. Col. Steph. et Colin. C.

7 *Nec inficias.*] Desiderantur caetera in Ed. Col. et Gryph. C.

ALCIATVS AD CAP. XLIII. 96

Librum interpretatur *partem operis*, vt puta duodecim sunt libri Aeneidos: *volumen* vero *minus* esse *libro* ex Plinii autoritate, qui: *Tres*, inquit, *libri sunt*, *in sex volumina propter amplitudinem diuisi*. Et ideo Vlpiani sententiam confutat, qui: *Si cui centum*, inquit, *libri legati sunt*, *centum volumina ei dabimus*, *non centum*, *quae quis ingenio suo metitus est*, vt Homeri XLVIII. Sed sciendum est, non de significatione verbi agere Vlpianum, sed de mente defuncti: quam nemo est tam a naturali ratione abhorrens, qui probaturus non sit talem esse, qualem Vlpianus credidit. Quod si in modo loquendi eum Valla reprobat, recte Iureconsultum loquutum assero, et quid sibi vellet nesciuisse Vallam: siquidem solebant veteres in *pugillaribus* scribere, quos inuolutos, et duobus inclusos vmbilicis manu gestabant: vnde et *enchiridia* Graecis dicuntur, nobis a *pugno pugillares*, et ab *inuolutione volumina*. Fiebant autem non secundum librorum distinctionem, sed secundum gestantis commoditatem, quod satis Plinius ipse ostendit. Cum igitur Vlpianus non de diuisione librorum ab autore facta legatum illud ex mente testatoris intelligeret, sed ex diuisione, quam testator in concinnando, vnicoque corpori conglutinando fecerat, dixit XLVIII. *libros*, i. e. *vnum Homeri volumen*, pro *libro* accipiendos, nimirum *voluminis* voce metaphoricos vsus, vt sicut vnum corpus in *pugillaribus*, etiam non obseruata autoris in libros diuisione, *volumen* dicitur, ita in *codicibus* cum asserculis tabulisue concinnatis vnum corpus etiam *volumen* dicatur, cum nec etymologia repugnet, vnica enim *inuolutione* constat. Quod si probatur (1) Virgilii (2) Valeriique Maximi loquutio, qui *volumen* in cauda serpentis dixerunt, quanto magis probandus est Iureconsulti sermo propter maiorem rei affinitatem longe clarior? cum et Cicero *librum* pro *corpore* accepisse videatur, *Epist. ad Quint. Fratr.* (3) *lib. II. Sed vtros eius habueris libros (duo enim sunt corpora) an vtrosque, nescio.*

1 *Virgilii.*] *Lib. II. Aen. vers. 208.* et alibi.

2 *Valeriique.*] *Lib. I. cap. 8. ext. 19.*

3 *Lib. II.*] *Ep. 12.* (al. 13.)

FLORIDVS AD CAP. XLIII. 97

Primum quidem quod non de verbi significatione, sed de mente testatoris egisse Vlpianum comminiscitur Alciatus, non fuerit fortasse vsquequaque improbandum. Quod autem eum recte locutum esse, et quid sibi vellet nesciuisse Vallam

 asserit,

aſſerit, longe, tanti viri pace dixero, ipſe fallitur. Vt enim a *voluendo volumen* dicatur (quod quum Vallam docet, poma Alcinoo, Triptolemo autem fruges donat) nonne hac voce in eo ſignificatu vti debemus, in quo a bonis autoribus ſemper poſita inuenitur? Erat hic locus, ſi recte Vlpianum loqui cenſet Alciatus, vbi ſcriptorum magis teſtimoniis, quam vel propria, vel Iurecconſulti maieſtate inniteretur. Atqui *volumina*, inquit, *non ſecundum librorum diſtinctionem, ſed ſecundum geſtantis commoditatem fieri ſolebant.* Quin potius, ſi hoc modo conſiderentur *volumina*, non commoditas, ſed incommoditas inde maxima proueniet: vtputa cum Homeri poëmata in duas partes ſint diuiſa, ſi quis *volumen*, quod geſtanti ſit commodum, ex iis facere velit, non *vnicum*, ſed ex *ſingulis* fere *libris ſingula* faciet *volumina*, vel potius ex quouis libro, quum pro parte operis ſumitur, vel duo, vel tria, ſi videbitur. Hoc tamen de Moſi Pentateucho non dicerem, quo etiam Hebraei hodie *vno* in *volumine* ſcripto, quamuis *quinque* conſtet *libris*, ita vtuntur, vt ſeparatim illi publice non habeantur, nimirum ex antiquo Dei Optimi Maximi praecepto. Quid quod magna volumina non ferme vacant confuſione? Dicendum eſt ergo, *volumen* non eius magnitudinis, vt duo Homeri opera comprehendat, ſed exiguum, ſicut a Latinis obſeruatum videmus, Nam M. Cicero *ad Atticum* ſcribens *lib. XI. Ep. 10. volumen orationis* appellat: *Quumque ex eo*, inquit, *de me percontaretur, eum ſibi ita dixiſſe narrabat, ſe mihi eſſe inimiciſſimum, volumenque ſibi oſtendiſſe orationis, quam apud Caeſarem contra me eſſet habiturus.* Eadem ratione et Ouidius Metamorphoſin *ter quinque volumina* vocauit. Caeterum quod ſubdit Alciatus Virgilii Valeriique Maximi, qui *volumen* in cauda ſerpentis dixerunt, exemplo Vlpianum eſſe latine locutum: non eſt aliud, quam translationum quantumvis remotarum facultatem Poëtis adimere, a quorum licentia
98 Valerium Maximum non excludo. Nec tamen horum quiſpiam *volumen* in eo ſignificatu poſuit, in quo Vlpianus, cum *libri* vox non *totum opus*, ſed *partem* comprehendat: quemadmodum et Homeri Iliada *quatuor et viginti libros*, non Homeri *librum* appellamus. Cicero *lib. I. Familiarium Ep. 9. Scripſi*, inquit, *etiam Ariſtotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in diſputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles, quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem.* Non *librum* de Oratore, ſed *tres libros* vocat Cicero. Idem *ad Q. Fratrem lib. III. Ep. 5. Sermo autem in nouem et dies et libros diſtributus de optimo ſtatu ciuitatis, et de optimo ciue.* Alii itidem autores ſua ſcripta in *libros* diuiſerunt. Propertius *lib. IV. El. 1. vers. 63. Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris.* Denique quod M. Tullii *ad Q. Fratrem*

Fratrem ſcribentis teſtimonio *librum* pro *toto opere* aliquando capi Alciatus oſtendere laborat, decipitur ſane. Ciceronis enim locus contra Iurecconſultum commodiſſime retorquetur, ait enim: *Calliſthenis quidem vulgatum et notum negocium, quemadmodum Graeci aliquot locuti ſunt. Secutus ille capitalis, creber, acutus, breuis, pene puſillus Thucydides. Sed vtros eius habueris libros (duo enim ſunt corpora) an vtrosque, neſcio.* Non *librum* vocauit Thucydidis opera M. Tullius, ſed *libros*, quandoquidem ſi librum ea appellaſſet, ita ſcripſiſſet: *Sed vtrum eius habueris librum, an vtrumque, neſcio.* Quod nemo vel prima Grammaticorum rudimenta tenens ignorat. Ita *Ciceronis*, aut *Liuii libros* recte dicimus, *Liuii*, aut *Ciceronis* librum, niſi vnicus ille eſſet, non item. Abſolute certe *librum* (prout vltimo loco ſentit Valla) pro *quolibet magno codice* etiamſi Iliada, Odyſſeamque contineat, ſic Latine dicemus, vt autoris nomen ſupprimamus. *Librum* namque *Homeri* ſi vel Odyſſeam, vel Iliada, vel vtrumque opus contineat, praue dicturi, non tamen errabimus, ſi regem aut alium quempiam *librum manu tenere* dixerimus, isque ſit aut Ouidii Metamorphoſis, aut Virgilii Aeneis. Sicque in IV. *Verrin. cap. 35.* ſcripſit Cicero: *Erat Steſichori poëtae ſtatua ſenilis, incurua, cum libro, ſummo, vt putant, artificio facta.* Et Horatius *lib. I. Epiſt. 2. vers. 35.*

— — — Et ni
Poſces ante diem librum cum lumine.

Et Iuuenalis *Sat. III. vers. 41.*

— — — Librum
Si malus eſt nequeo laudare.

Varro *lib. I. de Re Ruſt. cap. 1.* Magonis Carthaginenſis de eadem re opus *duodetriginta libros* appellat: *Hos*, inquit, *nobilitate Mago Carthaginenſis praeteriit Poenica lingua, quod res* 99 *diſperſas comprehendit libris duodetriginta.* At Plinius *lib. XVIII. N. H. cap. 3.* idem opus *duodetriginta volumina* vocat. Eos enim recenſens, qui *de Agricultura* ſcripſerunt, ſic ait: *Duces Xenophon, et Poenus etiam Mago, cui quidem tantum honorem ſenatus noſter habuit Carthagine capta, vt cum regulis Africae bibliothecas donaret, vnius eius duodetriginta volumina cenſeret in Latinam linguam transferenda.* Quid mirum, cum Varro *eodem loco* absque aliquo diſcrimine *libros* et *volumina* appellet? *Quos Caſſius Dionyſius Vticenſis*, ait, *vertit libris viginti Graeca lingua, et Sextilio Praetori miſit, in quae volumina de Graecis libris eorum, quos dixi, adiecit non pauca.* Flauius tamen Vopiſcus ſatis indocte Cornelii Taciti Hiſtoriam Auguſtam *librum* appellat *in Taciti* Imperatoris *vita cap. X.* haec ſcribens: *Cornelium Tacitum ſcriptorem Hiſtoriae Auguſtae, quod paren-*

tem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit: et ne lectorum incuria deperiret, librum per singulos annos decies scribi publicitus in eius archiuis iussit, et in bibliothecis poni. Sed idem (1) in Probi vita magis se de rerum gestarum veritate, quam Latinae linguae proprietate sollicitum fuisse affirmat. An igitur sciuerit quid sibi vellet Laurentius Valla, aliis iudicandum relinquo. Iureconsultum certe parum Latine locutum pro certo habeo, nisi aliis mecum vel rationibus, vel veterum testimoniis agatur.

1 *In Probi vita.*] Videtur respicere ad ea, quae leguntur *Cap. I. Neque ego nunc facultatem eloquentiamque polliceor, sed res gestas, quas perire non patior*, et quae in eamdem sententiam dicit *Cap. II. Illud tantum contestatum volo, me et rem scripsisse, quam si quis voluerit honestius, eloquio celsiore demonstret.* Scimus Vopiscum non numerari inter optimos linguae Latinae auctores. Nec tamen debebat Floridus pro *eloquentia*, quam ille sibi deesse scribit, substituere *proprietatem linguae Latinae.* Nam potest etiam, qui eloquens non est, proprietatem sermonis in loquendo seruare. Sed hoc facit, caussae suae seruiens scilicet.

100 DEFENSOR AD CAP. XLIII.

Sed nec hoc mirari debes, Vlpianum opus Homeri [1] nunc *vnum librum*, nunc *quadraginta*

1 *Nunc vnum librum.*] Quae hic de voluntate testatoris dicuntur, non magnopere aduersantur Censoribus Iurisconsulti. Nam hi de vsu linguae Latinae, non de voluntate testatoris disputant, et non latine loqui Vlpianum contendunt, qui opus Homeri nunc *vnum librum* (dabimus hoc illis, etsi Iurisconsultus non *librum*, sed *volumen Homeri* dicit) nunc XLVIII. *libros* nominet, quique idem opus et *librum*, et *volumen* appellet: quorum vtrumque consuetudini Latine loquentium repugnare putant, et sibi prolatis aliorum scriptorum testimoniis probari postulant. Quod quoniam Defensori praetermittendum visum fuit, existimaui mihi auctoritates quasdam veterum in medium proferendas, quae Vlpianum latine locutum esse, quod illi negant, euincant. Ac primum quidem opus in plures libros diuisum recte *librum* et *libros* dici, docet Cicero *lib. XIII. ad Attic. ep. 32. Dicaearchi περὶ ψυχῆς vtrosque velim mittas, et καταβάσεως. τριπολιτικὸν*

non

ginta octo libros nominare in *l. librorum. 52. §. 1. D. de*

non inuenio, tris eos libros maxime nunc vellem. Dicaearchus duos ſermones περὶ ψυχῆς conſcripſerat, vtrumque libris tribus, vt ad eum locum Ciceronis oſtendunt docti, diſtinctum, eiusdemque opus περὶ τῆς εἰς Τροφωνίȣ καταβάσεως duos minimum habebat, nam primum laudat Athenaeus *lib. XIV. cap. 11.* τριπολιτικὸς autem, quam Orationem fuiſſe cenſet Meurſ. *in Biblioth. Graec.* vno abſoluebatur: quae omnia opera cum *tres libros* vocat Cicero, apertum eſt eum vnumquodque eorum *vnum librum* appellaſſe: quemadmodum *eod. lib. Ep. 33.* ſcribens *Dicaearchi librum accepi, et* καταβάσεως *exſpecto*, opus περὶ ψυχῆς *librum* dicit, vt quidem Corrad. Manut. et Lamb. putant, quorum etiam primus *ad. d. ep. 32.* Vlpianum eodem 101
modo, quo Ciceronem locutum notat. Rurſus Cicero *lib. XV. ad Attic. ep. 27. Librum tibi celeriter mittam de gloria*, et XVI. 6. *De gloria librum ad te miſi:* et II. *de Offic. 9. Nunc dicamus de gloria: quamquam ea quoque de re duo ſunt noſtri libri:* quos poſtremo loco *duos libros*, eos, ſi Manutium et Corradum ſequimur, prioribus *librum* nominat. Sed aduerſus hoc fortaſſis eſt, quod regeri poſſit. Clarior in eam ſententiam eſt locus A. Gellii *lib. III. Noct. Att. cap. 17. Timon amarulentus librum maledicentiſſimum conſcripſit, qui* Σίλλος (*vel* Σίλλοι potius, vt cenſent Menag. *ad Diog. Laërt. Philol. lib. VIII. 85.*) *inſcribitur.* At hic *liber* Timonis in *tres libros* tributus erat, vt conſtat e Laërtio *in Timone*, Suida v. Τίμων Φλιάσιος, et Athenaeo. Sic et Columella *vnum opus* modo *librum*, modo *duo volumina*, ſiue *libros* (nam in opere in plures partes diuiſo haec eadem ſunt, etiam Valla et Florido concedentibus) vocat, *lib. I. de Re Ruſt. cap. 1. Duo volumina ſimilium praeceptorum de vineis Iulius Graecinus poſteritati tradenda curauit*, et *lib. IV. cap. 3. Idem Graecinus declarat eo libro, quem de vineis ſcripſit.* Et qui Ciceroni I. *de Diuinat. 3* ſunt *duo libri* Chryſippi de Diuinatione, hi *libri* nomine veniunt apud *Lactant. I. Diuin. Inſtit. 6. Chryſippus in eo libro, quem de diuinatione compoſuit.* Ac denique ipſi aduerſarii fatentur *codicem* quantumuis *magnum*, etiamſi Iliadaet Odyſſeam contineat, recte dici *librum.* Nam quod iidem ad extremum hoc adferunt, etſi opus Homeri recte dicatur *liber*, tamen non Latine locuturum, qui addito nomine auctoris *librum Homeri* dicat, id, mea quidem ſententia, perquam leue eſt. Nam ſi Cicero ſine vitio dixit, *mittere* et *accipere librum Dicaearchi*, non poteſt vlla probabilis ratio dari, cur non aeque liceat Latine dicere, *tenere manu librum Homeri:* nam

103 *D. de Legat. 5.* Nam cum *quadraginta octo libros* dicit,

nam et Dicaearchi liber itidem in plures libros, vt dixi, diuisus erat, haud secus atque opus Homeri. Iam vero opus in plures partes librosue tributum et *librum*, et *volumen* appellari, quod secundo loco reprehendunt, ne hoc quidem adeo inauditum est, atque illi putant. Nam si hoc de omnibus in vniuersum, atque adeo cuiuscunque magnitudinis operibus intelligunt, falli eos e Cornelio Nepote ostendi potest, qui *Opus* suum *de Vitis Excellentium Imperatorum*, cuius vtique plures sunt partes, sine discrimine *librum* et *volumen* appellat *in Praefat* his verbis: *Sed plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, vt ea explicem quae exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro Vitas Excellentium Imperatorum.* Sin autem hoc volunt, *magnum* aliquod *opus*, v. g. Homeri, etiamsi recte *liber* dicatur, tamen non recte *volumen* vocari; quae sententia eorum esse videtur, eo quod *volumina* exigua esse, et minora, quam libros, scribunt; etiam in eo parum recte sentiunt. Sane quidem credibile est, quod disputat Salmas. *Cap. X. de Modo Vsur. p. 412.* eos, qui magna opera scribebant, saepe quot partes ac sectiones eorum destinabant, in totidem quoque *volumina*, siue *libros* ea descripsisse, vnde frequenter eiusdem operis singulae partes *libri* et *volumina* sine discrimine vocantur, vt in Varronis et Plinii locis a Florido laudatis: neque tamen ideo verum est, *opus magnum*, cuius plures erant partes, libriue, *volumen* dictum non fuisse, aut in *vno volumine* scribi non potuisse. Hoc intelligi potest e Plinio *lib. III. H. N. cap. 5. Theophrastus Circeiorum insulae mensuram posuit stadia octoginta in eo volumine, quod scripsit Nicodoro Atheniensium Magistratui.* Nam *volumen* illud Theophrasti est *Opus de Historia Plantarum* in decem libros dispertitum, cuius *lib. V. cap 9.* ea, quae hic refert Plinius, leguntur. Idem probat locus Suetonii *de Illustr. Grammat. Cap. II. Vt C. Octauius Lampadio Naeuii Punicum bellum: quod vnico volumine et continenti scriptura expositum diuisit in septem libros:* quo loco Iurisconsultum aduersus Vallam recte defendit Scip. Gentilis II. *Parerg. 15.* Neque enim integrum opus Naeuii ex eo tempore, quo in *septem libros* diuisum fuit, *vnico volumine* contineri posse desiit, vel *voluminis* appellationem ea re amisisse dici potest. Idemque Scipio *ibidem* obseruat, etiam a Macrobio *lib. I. in Somn. Scip. cap. 1. decem libros* Platonis de Republica *volumen* vocari, et a Santra apud Nonium v. *septemfariam*, *vnum volumen septemfariam diuisum* dici. Nec tam incredibile videri debet reprehensori-

dicit, ex [2] ipſius Homeri ſenſu loquitur, qui ita opus ſuum ingenio ſuo metitus eſt, et ex vulgari hominum ſermone, qui hanc authoris partitionem ſequuntur. At cum *vnum librum* debere intelligi dicit, [3] ad mentem et voluntatem teſtatoris reſpexit, qui cum *centum libros* legat, non ad hanc authorum partitionem ſe refert, ſed centum ex iis, quos apud ſe, vel in bibliotheca habet, intelligit, compactos ſcilicet in vnum: vt in legato centum librorum *libri* pro *voluminibus* habeantur. Itaque non tibi reprehendendus, ſed laudandus potius fuit Vlpianus, qui tam ingenioſe mentem teſtatoris, quae vnica in legatis dominatur, ex legati genere et vſu loquendi detexerit. Simulque illud obſeruandum, veteres [4] in *libris*, i. e.

henſoribus Iuriſconſulti *totum opus* Homeri in *vno volumine* potuiſſe ſcribi, cum Cicero, Plinio *lib. VII. cap. 21.* et Solino *Cap. VI.* referentibus, tradiderit. *Iliada Homeri omnem ita ſubtiliter in membranis fuiſſe ſcriptam, vt teſta nucis clauderetur*, et Cedrenus ac Zonaras narrent, *in bibliotheca Conſtantinopolitana fuiſſe draconis inteſtinum* CXX. *pedum, in quo Ilias et Odyſſea aureis literis ſcriptae fuerint, vna cum hiſtoria rerum ab heroibus geſtarum:* quae ex his Scriptoribus *lib. II. Bibl. Graec. cap. 6. n. 17.* retulit Clar. Fabricius.

2 *Ipſius Homeri.*] Hoc non ſatis caute dicit Defenſor: nam diuiſionem carminum Homericorum a Grammaticis Homero poſterioribus profectam eſſe, tradunt alii. vid. Caſaub. *ad Sueton. de Illuſt. Grammat. Cap. II.* et quae *Bibl. Graec. lib. II. cap. 2. n. 9.* et *ſeqq.* ſcribit modo laudatus Clar. Fabricius.

3 *Ad mentem.*] De ſententia Vlpiani, quam hic exponere conatur, conſulendi ſunt etiam alii Iuriſconſulti, et Salmaſ. *de Mod. Vſur. Cap. X.*

4 *In libris.*] vid. Plin. XIII. *H. N. 11.* Atque hinc etiam *libros* dici ſcribit Seruius *in XI. Aen. 554.* aliique Grammatici. Sed hos ineptire, et *librum* pro *cortice arboris* diuerſae eſſe cum ſignificationis, tum originis, a *libro*, qui βιβλίον eſt, ait Salmaſ. *l. d. pag. 406.*

i. e. *corticibus arborum*, ingenii ſui monumenta deſcripſiſſe. Vnde et *delibrare* arbores dicitur, quaſi *decorticare*. Quodque *vno libro*, i. e. *cor-*
104 *tice* deſcribi poterat, *librum* vocaſſe, vt vnus liber eſſet, quod ad vnius libri, i. e. corticis ſcripturam ſufficeret: quo reſpiciebant authores, et ex ingenio ſuo metiebantur, vt inquit Vlpianus, cum opera ſua in libros diuiderent. Hinc illa, quae frequenter occurrunt, *ne libri menſuram excederet*, et ſimilia. Hi *libri* et *volumina* dicta ſunt, a *voluendo*, ſcilicet quod cortices illi in ſe volverentur, et ſimul inuoluerentur: quo reſpexit Ouidius, cum ait:

> *Sunt mihi mutatae ter quinque volumina formae.*

Sed cum moleſtum eſſet tot ſeparatim libros habere, inuenta eſt ratio eorum conglutinandorum, qui *Codices* appellati ſunt, quaſi *Caudices*. De cuius vocabuli origine et nota malo Senecae authoritatem, quam meam coniecturam proferre. Is igitur in libro ſingulari *de Breuitate Vitae cap. XIII.* ita inquit: *Hoc quoque quaerentibus remittamus, quis Romanis primus permiſit nauem conſcendere. Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipſum appellatus, quia plurium tabularum contextus Caudex apud antiquos vocabatur. Vnde publicae tabulae Codices dicuntur, et naues nunc quoque, quae ex antiqua conſuetudine per Tyberim commeatus ſubuehunt, Caudicariae vocantur.*

ˢ Pro-

[5] Procedente tempore cum illa librorum reuolutio atque inuolutio taediosa videretur, coepti sunt libri in chartis vel membranis describi. Hae chartae consuebantur, consutae malleabantur, malleatae conglutinabantur, conglutinatae operiebantur [6] cedro, vel [7] purpura, opertae ornabantur [8] coronide, vel vmbilico: non aliter, credo, quam nostro seculo fieri videmus, vt ex hoc Vlpiani loco in *d. l. librum. 52 D. de Legat. 3.* et aliis authoribus colligere licet. Martial. *lib. V. Ep. 6.* 105

Quae

5 *Procedente tempore.*] Confuse exponit de *codicibus* et *voluminibus*. Chartae plures, siue, vt nunc dicimus, folia, per oras extremas inter se conglutinatae, ac deinde in formam cylindri conuolutae, *volumina* dicebantur: *codices* autem, tabulae plures e quacumque materia, in qua scribi posset, aliae aliis superimpositae, non ad aliarum oras adtextae. v. de his pluribus agentem Salmas. *l. d. pag. 404. ad Vopisci Firmum Cap. III.* et *Epist. XCI.*

6 *Cedro.*] Hoc de integumentis librorum videtur accipere, de quibus mihi non constat. cedria inungi solitas fuisse chartas aduersus cariem ac tineas notum est e Plin. XIII. *H. N. 13.* Vitruu. II. 9. Seru. *ad VII. Aen. 178.* add. Casaub. *ad Pers. I. 42.*

7 *Purpura.*] Martial. III. 2. *Et te purpura delicata velet.* Lucian. de *Merced. cond. pag. 478.* Ed. Amst. ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίστοις τούτοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῖ μὲν οἱ ὀμφαλοὶ, πορφυρᾶ δ' ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα. add. eumd. *ad Indoct. pag. 387.* vbi διφθέρας περιβάλλειν libris dicit. Sed hoc Viri doctissimi de membrana purpurea, quae capiti voluminis, non codicis, adglutinabatur, et plerumque indicem aureis literis ostentabat, videntur accipere. vid. Voss. *ad Catull. pag. 52.* Graeu. *ad Lucian. loc. poster.* et Broekhus. *ad Tibull. III. El. 1. 9.*

8 *Coronide.*] Quam dicat *coronidem*, quae chartis opertis librorum imponeretur, non intelligo: notam fuisse, quae in fine librorum adpingeretur, tradunt plerique. vid. Erasm. et alios, in prouerb. *ad coronidem vsque*, et, *coronidem imponere*. *Vmbilicos* quoque sine dubio male tribuit codicibus, qui voluminum sunt, vt docuerunt Paul. Manut. *ad Cicer. III. Famil. Ep. 7.* Ald. *Quaesit. per Epist. II. 1.* Voss. *ad Catull. l. d.*

106 *Quae cedro decorata purpuraque*
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Et *lib. X. Ep. 1.*

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber, legito pauca, libellus ero.
Terque quaterque mihi finitur carmine paruo
Pagina, facta tibi quam cupis esse breuem.

Et *lib. I. Ep. 46.*

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis.

Item *in Epistola lib. IX. Epigramma, quod extra ordinem paginarnm est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus.* Quibus ex locis etiam colligere est chartas diuisas fuisse. Rursus *lib. II. Ep. 1.*

Tercentena quidem poteras epigrammata ferre,
Sed quis te ferret, perlegeretque liber?
At nunc succincti quae sint bona disce libelli:
Hoc primum est, breuior quod mihi charta perit.
107 *Deinde, quod haec vna peragit librarius hora.*
Et quae sequuutur.

Et *lib. XII. Ep. 5.*

Longior vndecimi nobis decimique libelli
Arctatus labor est, et breue rasit opus.

Alio item loco, cum de epigrammatum breuitate loqueretur:

Quid prodest breuitas, dic mihi, si liber est?

Cui

Cui obiectioni idem ipſe reſpondet ac ſatisfacit loco iam citato *lib. X. Ep. 1.* et rurſus *lib. XIV. Ep. 1.*

Quouiſcunque loco potes hunc finire libellum:
Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.

Quos locos ideo aſcripſi, quia ad illam quoque librorum menſuram, et ex authorum ingenio partitionem intelligendam faciunt. Caeterum, vt ad rem redeam, hac librariorum opera plures authorum libri in vnum veluti corpus redigebantur, quod et ipſum non alio quam *libri* nomine vocabatur, vt hic Homeri *ῥαψῳδία*, quae [9] XLVIII. *libris* conſtat, pro *vno* tamen 108
libro habetur. Vnde Cicero *ad Q. Fratrem*, [10] libros 7. corpora interpretatur vitandae illius ambigui-

9 *XLVIII. libris.*] Haud ſcio an probari poſſit, vtrumque corpus Homeri coniunctum vnam *rhapſodiam* vocari. Singulos libros, ſiue *τμήματα* vtriusque carminis, *rhapſodias* dici, nemini ignotum eſt. Sed et ſeparatim vtrumque corpus recte *rhapſodiam* appellari, ita vt alterum *rhapſodia Iliadis*, alterum *rhapſodia Odyſſeae* dicatur, videtur oſtendi poſſe e Plutarch. *Apophthegm.* et Aelian. XIII. *Var. Hiſt. 38.* vbi Alcibiades a ludimagiſtro *ῥαψῳδίαν Ἰλιάδος* petiiſſe dicitur, quam Idem Plut. *in Alcib.* *βιβλίον Ὁμηρικὸν* vocat. Idque etiam colligi poteſt ex Euſtathio *ad princip. Il. I.* vid. Clar. Perizon *ad Aelian. l. d.*

10 *Libros 7.*] Hoc a typographis corruptum puto, pro *libro 2.* vel, *ad Q. Fratrem 2. libros corpora*, cet. Locus eſt *lib. II. ad Q. Fratr. Ep. 13.* al. 12. vbi ſermo eſt de Philiſti Hiſtoria Sicula quae in duas *συντάξεις* diuiſa erat, quarum prior ſeptem libros complectebatur, poſterior quatuor, vt pluribus exponit Voſſius *de Hiſtoric. Graec. I. 6.* Has *συντάξεις* Cicero vocat *corpora*, vt Graeci *σώματα* et *σωμάτια*.

Flori-

ambiguitatis gratia his verbis: *Sed vtros habueris libros (duo enim ſunt corpora) an vtroſque, neſcio.* Itaque nil mirum eſt ſi is, qui *centum*
109 *libros* legat ita compactos et ornatos intelligat, ex communi ſcilicet vſu loquendi: vt non ſolum omnia Didymi, ſed et Auguſtini opera, ſi in vnum corpus conſuta et conglutinata reperirentur, pro *vno libro* eligi a legatario poſſent, ſi quos voluiſſet teſtator adieciſſet. Ex hoc praeterea Vlpiani loco *d. l. librorum. 52. de Legat. 3.* animaduertere poſſumus, non ſolum in libris, chartis, membranis, ſed et in philyra, vel tilia ſcribi ſolitum fuiſſe, vt ingenioſe obſeruauit et expoſuit Alex. ab Alexandro *lib. II. Genial. Dier. cap. 30.* Sed et [11] corio libros compactos operiri

Floridus locum Ciceronis non recte de Thucydide accipit: qua in re ei corrupta lectio, *ſecutus*, pro *Siculus*, fraudi fuiſſe poteſt. Sed tamen non ferenda eſt ipſius negligentia, qui praecedentia non inſpexerit, in quibus Cicero diſerte Philiſtum memorat, et comparationem inter eum et Thucydidem inſtituit. Ne dicam eum vel ex hoc, quod Cicero dicit, hiſtoriam illius, de quo ibi agit, in duo corpora diuiſam eſſe, animaduertere potuiſſe, id non eſſe de Thucydide accipiendum; quippe de cuius opere hoc nemo antiquorum prodiderit. Ceterum quemadmodum hic locus ad defendendum Iuriſconſultum nihil facit, ita neque ad impugnandum illum valet. Nec verum puto, quod ait Floridus, ſi Cicero alterutrum horum corporum *librum* appellare voluiſſet, ei ſcribendum fuiſſe: *Sed vtrum eius habueris librum, an vtrumque, neſcio.* In his enim vocabulis pluralis etiam ponitur pro ſingulari. Horat. I. *Epiſt. 15. 22. Tractus vter plures lepores, vter educet apros: Vtra magis piſces et echinos aequora celent.* Terent. *Heaut. II. 4. 14. Hoc beneficio vtrique ab vtriſque vero deuincimini.*

11 *Corio.*] Vlpian. *d. l. 52. princ. de Leg. 3.* non de integumentis librorum e corio, verum de ſcriptura in corio agit, de qua etiam eſt in *l. 1. pr. D. de Bonor. poſſeſſ. ſec. tab.*

riri et ornari, vti nunc quoque fit. Nec non [12] *codices* per translationem dici non ſolum ex libris compactos, ſed et *chartaceos*, *eboreos*, vel alterius materiae: *codicillos* autem, i. e. minores codices, quos memoriae ſubſidii gratia ferebant veteres, fere ceratos fuiſſe, vt facilius lituram paterentur. Quod verbum ad ſubſidiarium teſtamentum translatum eſt: vt maiores cerae iuſtum teſtamentum eſſent; minores minusque ſolennes, codicilli. Quorum omnium notitiam nos Vlpiano potiſſimum debere, literae 110
literatique, ſi verum dicere volent, fatebuntur.

12 *Codices.*] De *codicibus* et *codicillis* multis egit Salmaſ. *de Mod. Vſur. Cap. X.* de *codicibus eboreis* Idem *ad Vopiſci Tacitum Cap. VIII.* et, quem ibi refellit, Scaliger *adu. Guilandinum in Opuſc. Scalig. pag. 18.*

VALLA AD CAP. XLIV.

In eosdem de Probrum, *et* Opprobrium, Exprobrare, Imputare, *et* Reputare.

Probrum et opprobrium, [1] Vlpianus inquit, *idem eſt. Probra quaedam natura turpia ſunt, quaedam ciuiliter, et quaſi more ciuitatis improba: vtputa furtum, adulterium, natura turpe eſt. Enimuero tutelae damnari, hoc non natura probrum eſt, ſed more ciuitatis. Nec enim natura probrum eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum incurrere.* Vlpianus *probrum* accipit pro *infamia* tantum, qualis eſt ex furto, vel male geſta tutela, non pro *flagitio*, quod principale

1 *Vlpianus.*] *l. 42. D. de Verb. ſign.*

ſignificatum eſt. Nam *probrum* idem eſt, quod *dedecus,* quod duo ſignificat. Vnum, quod eſt *crimen,* vt Quintilian. ſtatim in principio *Declamationis* [2] *in Milite Mariano* inquit: *Satis dedecoris atque flagitii caſtra ceperunt.* Alterum, quod eſt *ignominia* atque *infamia*, quod notum eſt. Similiter accipitur probrum pro crimine,
111 vt Idem [3] lib. I. *Iam ſi minor in eligendis cuſtodum et praeceptorum moribus fuit cura, pudet dicere, in quae probra nefandi homines iſto caedendi iure abutantur.* Pro ignominia Liu. [4] lib. II. *His freti occurſant portis, ingerunt probra, aegre abſtinent, quin caſtra oppugnent.* Quae duo nomina tanquam ſimilia eodem loco Cicero coniunxit [5] *in Catone Maiore: Mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa et tam perdita libido, quae cum probro priuato coniungeret imperii dedecus.* Praeterea ne ſimile quidem eſt ſane *probrum opprobrio.* Non enim Latine dixiſſet Cicero: *Quae cum opprobrio priuato coniungeret imperii dedecus:* quemadmodum [6] *in Salluſtium* dixit: *Itaque timens, ne facinora eius clam vobis eſſent, cum omnibus matribusfamilias veſtris opprobrio eſſet, confeſſus eſt vobis audientibus adulterium.* Eſt autem *opprobrium* aliquando *facto*, ſed frequentius

2 *In Milite.*] *Declam. III.*
3 *Lib. I.*] *Cap. 4. C.* eſt *cap. 3.* in al.
4 *Lib. II.*] *Cap. 45.*
5 *In Catone.*] *Cap XII.*
6 *In Salluſtium.*] *Cap. VI.*

tius *verbo.* [7] Nam Sallustius, vt vult Cicero, vel ex eo, quod foeminis, quibuscum habuisse vsum se erat notum, vel quod ipse illis vulgo impudicitiam obiiciebat, opprobrio erat. [8] Horatius:

Sic teneros animos aliena opprobria saepe 112
Absterrent vitiis.

[9] Quintilian. *Modo maledictis opprobriisque vulgi, modo crebra riualium contentione pulsatus, abigi tamen compescique non posset.* *Opprobriis* dixit, quasi *exprobationibus*, atque *conuiciis*. Et [10] alibi: *Solebat indignatio vestra conuicia nostra ferre non posse, et matronalis indignatio dicere videbatur: non parcis erga me marite verbis: nullam habet nostri tuus sermo reuerentiam: facile prorumpis in opprobria: facile quodlibet obiicis.* Pro eodem fere posuit *opprobria* et *conuicia.* Nec inficias eo, nonnunquam hoc modo accipi *probrum*, vt Liuii proximum exemplum, et Ciceronis [11] *ad Atticum: Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum.* Sed de hoc significato Vlpianus non intellexit. A *probro* vnum verbum componitur, quod est *exprobro*, quod significat, tum *qualemcunque*

7 *Nam Sallustius.*] Haec si ita a Valla scripta sunt, obscure sane scripta sunt. In Gruter. Edit. est, *cum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset.*
8 *Horatius*] *Lib. I. Serm. Sat. 4. C. vers. 128.*
9 *Quintilian.*] *Declam. XV. C.*
10 *Alibi.*] *Declam. XIX. C.*
11 *Ad Atticum.*] *Lib. XI. Ep. 9. C.*

culpam [12] *impropero*, vt apud Ouidium [13] *lib. XIII. Metamorph.*

Scit

12 *Impropero.*] Hanc vocem Lexica quaedam laudant e Plauto *in Trucul III. 4. 28.* vbi teſte Lambino Editiones olim vulgatae habebant *improperas*, pro eo, quod nunc in omnibus legitur, *etiam vim opprobras.* Nec vllum praeterea illius auctorem laudari inuenio. Quo magis miror Voſſium *in Etymolog.* voc. *probrum* ſcribere, *probrum* etiam poſſe deduci *ex properium, a properando. Videlicet qua ratione Latini dicunt improperare vitium, pro obiicere, impingere. Ingratitudo* quoque antiquiorem Firmico auctorem non habet, vt monuit Cellar *in Antibarb. et Cur. Poſter.* Itaque non erat hominis Grammatici, qui paullo poſt dubitans an *imputo* ſit apud Ciceronem, curioſus videri vult in explorandis auctoritatibus vocabulorum Latinorum, tam ſecure vti his, quae vel nullius, vel non ſatis probatae auctoritatis ſunt. Fugerat me, cum praeter olim vulgatas Editiones Plauti nullum me auctorem verbi *impropero* inueniſſe ſcribebam, locus Petronii, quem tamen et ipſum mihi enotaueram, *Satyr. Cap. XXXVIII.* vbi e Fragmento Traguriano haec leguntur: *Quid ille, qui libertini loco iacet? quam bene ſe habuit? non impropero illi.* Nec ideo tamen, quamdiu alia teſtimonia prolata non erunt, a ſententia diſcedo, *impropero* vocem nullius, aut abſcurae auctoritatis eſſe. Non quod mihi adhuc liqueat Petronium ad Antoninorum, aut Conſtantini M. tempora reiiciendum eſſe, quod Viris quibusdam Doctiſſimis viſum fuit: ſed quod pleraque omnia, quae in illo Fragmento leguntur, longe infra reliquam elegantiam, ac nitorem ſtyli Petroniani ſunt, et ſoloeciſmis, ac barbariſmis ſcatent, vt quo libertinorum, ruſticorum, mercenariorum, aliorumque id genus de infima fece plebis hominum ſermones referantur: quos a Petronio certo iudicio in ſcenam inductos recte cenſere Clar. Burmannum exiſtimo. Et quamuis omnia, quae ibi ſunt, elegantiſſima, et ad exactam Latinitatis regulam formata eſſent, tamen Valla, et Voſſius, qui hoc Fragmentum non viderant, auctoritate illius in hac voce probanda niſi fuiſſe dici non poſſent. Nam Gloſſas Veteres hic non moror, quas multis bonis non pauca e ſordibus cadentis, et prolapſae iam Latinitatis, ac ſemibarbara admiſta habere conſtat. Quod autem Lambinus notat vulgatos libros Plauti *Rud. l. d.* habere *improperas*, id non de omnibus accipiendum eſt: nam iam tum, cum Lambinus ea ſcribebat, in Camerar. ed. erat *vim opprobras.* At in Gryph. vt notat Scheffer. *ad Petron. l. d.* legebatur *improperas.*

13 *Lib. XIII.*] *vers. 68.*

Scit bene Tydides, qui nomine saepe vocatum 113
Corripuit, trepidoque fugam exprobrauit amico:

Tum *ingratitudinis*, vt Terent. [14] *in Andr.*
Nam isthaec commemoratio quasi exprobatio est
immemoris beneficii. Sed pro hoc significato
frequenter nos vitii alieni nomen apponimus,
frequenter etiam nomen nostri meriti. Cicer.
[15] *de Amicitia: Quorum plerique aut queruntur*
semper aliquid, aut etiam exprobant, eoque magis,
si habere se putant, quod officiose, et amice, et
cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odio-
sum sane genus hominum officia exprobantium.
Exprobrare ergo beneficia sua, est immemorem
beneficii accepti inculpare. *Imputare* vero fre-
quenter ad significationem exprobantis accedit,
sed citra reprehensionem: quod an [16] apud Ci-
ceronem sit, nescio. In posterioribus vero cre- 114
berrimum est, vt [17] Quintilian: *Neque ego gra-*
uissimum patrem suprema sua iuueni iactasse cre-
diderim, quod haeredem filium scriberet, non est
res, quae imputetur. Et [18] alibi: *Imputa nobis*
propitios ventos, et secundum mare, et ciuitatis
opulentae liberalitatem, quae tantum frumenti
vendidit, quantum duobus populis satis esset.

 Imputare

14 *In Andr.*] *Act. I. Sc. 1. C. vers. 16.*
15 *De Amicitia.*] *Cap. XX.*
16 *Apud Ciceronem.*] Est tamen Catonis, et Ouidii, aliorumque e medio aeuo. vid. Borrich. *Cogitat. de Lingua Latin. pag. 290. Cellar. Cur. Poster.*
17 *Quintilian.*] *Declam. I. C.*
18 *Alibi.*] *Declam. XII. C.*

Imputare nonnunquam pro *computare* reperitur, vt [19] Caius: *Qua ratione placuit legata, quae legatarii non capiunt, cum apud haeredes subsederint, haereditario iure apud eos remanere intelligi, et omni quadranti imputanda.* [20] Mutianus: *In quartam Falcidiam, quam per legem Falcidiam haeres habere debet, imputantur res, quas iure haereditario capit, non quas iure legati, aut fideicommissi, vel implendae conditionis causa accipit. Nam hae in quartam non imputantur. Sed in fideicommissaria haereditate restituenda, siue legatum datum est haeredi, siue percipere, siue deducere, vel retinere iussus est, in quartam id ei imputatur.* *Reputare* quoque in idem significatum. [21] Vlpianus: *Praeterea si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo impu-*
115 *tare eum posse: sed est verius, non nisi perquam egenti dedit, imputare eum oportere.* [22] Deinde: *Sed et si seruis cibaria praestiterit, vel libertis scilicet rei pupilli necessariis, dicendum est, reputaturum. Idemque est et si liberis hominibus: si tamen ratio praestandi iusta intercedat. Item sumptus litis tutor reputabit, et viatica, si ex officio necesse habuit aliquo excurere, vel proficisci.*

ALCI-

19 *Caius.*] *l. 76. princ. D. ad Leg. Falcid.*

20 *Mutianus.*] Aliae Edd. Vallae *Maecianus.* Est Marciani e *lib. 13. Institutionum in l. 91. D. eod.*

21 *Vlpianus.*] *l. 1. §. 4. D. de Tutel. et ration. distr.*

22 *Deinde.*] *l. 1. §. 8. et 9. eod.*

ALCIATVS AD CAP. XLIV.

Probrum et opprobrium, Vlpianus, *idem eſt*, inquit: Valla, *probrum* ipſum dedecus eſſe, *opprobrium* dedecoris exprobrationem: non tamen negat et apud Ciceronem *ad Atticum*, et apud Liuium, *probrum* etiam pro ipſa dedecoris exprobratione poni. Vnde ſatis defenditur Vlpianus, qui non generalem definitionem horum verborum poſuit, ſed in Edicto Praetoris declarauit idem ſignificare.

FLORIDVS AD CAP. XLIV.

Hic Alciatus, quod Valla non negat, et apud Ciceronem, et apud Liuium, *probrum* pro ipſa dedecoris exprobratione poni, ſatis arbitratur defendi Vlpianum, qui non generalem horum verborum definitionem poſuerit, ſed in Edicto idem ſignificare declarauit. Alibi vero *(ad l. 42. D. de V. S.)* eadem Iureconſulti verba exponens, ſic ait: *Probrum pro crimine ipſo quandoquo accipitur; ſed quia ex huiusmodi delictis ignominia oritur, ſolentque ea a conuiciantibus obiici, frequentior vſus obtinuit, vt pro ignominia conuiciisque accipiatur: ſicut opprobrium, quod nihil aliud eſt, quam obiectum probrum; hocque modo a Vallae morſibus defenditur Vlpianus.* 116
Quae omnia quam ſint inania, videamus. Illud in primis eſt falſum, frequentiorem vſum obtinuiſſe, vt *probrum* tam pro ignominia conuiciisque, quam pro crimine accipiatur. Aequum erat, ſi hoc nobis perſuaſum eſſe volebat, loca id indicantia ex receptis autoribus citare. hoc namque aſſerere, et alio in loco, quod *probrum* apud Liuium et Ciceronem bis pro dedecoris exprobratione inueniatur, ſatis defenſum putare Vlpianum, maxime ſunt contraria, et eorum alterum a veritate eſt remotiſſimum, alterum autem vel maxime miſerum. Ego ſane, qui Vallam hac in re magis quam Vlpianum ſequor, etiamſi duo illa teſtimonia nusquam eſſent, aliis tamen per *probrum* dedecoris *exprobrationem* ſignificari docerem. M. enim Cicero *pro L. Flacco Cap. XX.* ſic ait: *Hermippum vero ipſum, prudentiſſimum atque optimum virum, veterem amicum atque hoſpitem meum, ſplendidiſſimum atque ornatiſſimum ciuitatis ſuae probris omnibus maledictisque vexat.* Et Liuius *lib. XXIII.* ab Vrbe condita *cap. 45.* *Cum haec exprobando hoſti Marcellus ſuorum militum animos erigeret, Annibal multo grauioribus probris increpabat.* Et *lib. XXXI. cap. 6.* *Laceratusque probris in Senatu Tribunus plebis.* Sed tamen de hoc ſignificatu, vt Valla inquit, non intellexit Vlpianus, qui pro *infamia* tantum accepit, qualis ex furto, vel male

gesta tutela contrahi solet, quod cum ex eius verbis manifeste colligatur, non modo non frequentior hic vsus iuxta Alciati sententiam erit, sed ne in vsu frequens quidem. Illud tamen videri potest ridiculum, quod praecipuum *probri* significatum omiserit Iureconsultus, quum scilicet flagitium denotat, quod apud Latinos in frequentissimo vsu est. Plautus *in Amphitryone III. 2. 6. Nae aedepol faciam, neque me patiar probri falso insimulatam.* Idem in *Trucul. II. 5. 8. Lucri causa auara probrum sum executa.* Cicero *in III. Verrina cap. 32. Quum apud exteras nationes imperii nominisque nostri famam tuis probris flagitiisque violaris.* Et *in V. cap. 69. Quapropter nulla res est, quamobrem ego istum nolim ex paternis probris ac vitiis emergere.* Liuius *lib. VII. cap. 4. Criminique ei Tribunus inter caetera dabat, quod filium iuuenem nullius probri compertum extorrem vrbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu aequalium prohibitum in opus seruile, prope in carcerem, atque in ergastulum dederit.* Catullus *Ep. XCII. Quod te cognossem bene, constanterque putarem haud posse a*
117 *turpi mentem inhibere probro.* Dicamus ergo Vlpianum neque de flagitio, neque de dedecore, quod per illud verbum significatur, mentionem fecisse: neque cum pro dedecoris exprobratione capitur, eo pacto, quo Latini solent, illa voce vsum fuisse. *Opprobrium* autem *exprobrationem*, et *conuicia* quandoque designat. Horatius I. *Ep. 9. 10.*

Sic ego maioris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad vrbanae descendi praemia.

Idem II. *Ep. 1. 145.*

Fescennina per hunc inducta licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Et *in I. Carm. 16 26.*

—— —— —— Dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

Significat et *dedecus.* Idem II. *Carm. 13. 1.*

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primus, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.

Et III. *Carm. 24. 42.*

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis et facere, et pati.

In

In IV. *Carm. 12. 6.* quoque

Infelix auis, et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium.

Catullus *Epigr. XXIX.*

At nobis mala multa Di Deaeque,
Dent opprobria Romuli Remique.

Propertius IV. *El. 1. 6.*

Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Ouidius II. *Trist. 445.*

Non fuit opprobrio celebrasse Licorida Gallo.

Quibus in locis *opprobrium* in *facto* consistere crediderim: in *verbis* autem, quum *conuicium* atque *exprobrationem* denotat, quanquam non multum inter se differant haec duo significata. Et subdit Valla: *A probro vnum verbum componitur, quod significat tum qualemcunque culpam impropero, vt apud* (1) *Ouidium.* De iis nimirum intellexit Valla, quae hodie in vsu sunt. Nam apud antiquos etiam *opprobrare* legimus. Plautus *in Trinum. II. 2. 80. Ne opprobra.* tametsi eodem verbo *in I. Noct. Attic. 15.* vtatur Gellius.

1 *Ouidium.*] Hinc descripta erant iisdem verbis, quae Valla dixerat, vsque ad haec verba: *imputare vero frequenter:* quae nihil necesse erat bis legi.

DEFENSOR AD CAP. XLIV. 118

At quae te tanta reprehendendi impetigo tenet, o Valla, vt eos verborum Latinorum proprietatem docere velis, a quibus eam discere debebas? Quasi vero vel Fabius, vel Liuius, vim atque significationem Latinarum vocum magis teneant, quam aut Vlpianus, aut Caius, aut quilibet e nostris alius. Hinc vero quid habes, quod culpes? *Probrum*, inquit, *duo significat, crimen et ignominiam.* Quid si negem? et, si quandoque pro *crimine* vox illa

vsur-

vſurpetur, [1] translationem eſſe contendam, quoniam crimina probroſa ſunt, et ignominiam delinquentibus afferunt? ſane enim, ſi Feſto Pompeio credimus, *Probrum proprie dicitur de ſtupris et flagitiis*, rei Venereae ſcili-
119 cet, qui et Attium *in Helenibus* authorem citat, ita ſcribentem: *Qui, niſi probrum, omnia alia indelicta aeſtimant.* M. Cato *in Oratione de Dotibus*: Si *quid peruerſe tetreque factum eſt a muliere, ſi vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur*, vt refert Gell. *lib. X. cap. 23.* In quem ſenſum etiam Fabius *probra* dixit paedagogorum pueros virgis caedentium eo loco ſcilicet *lib. I. cap. 4.* quem ſolum pro crimine profers. Marcellus *in l. probrum. 41. D. de Ritu nupt. Probrum intelligitur etiam in his mulieribus eſſe, quae turpiter viuerent, vulgoque quaeſtum facerent.* At cum huiusmodi ſtupra et flagitia pueris et mulieribus potiſſimum obiicerentur in rixis, et exprobrarentur, traductum eſt verbum hoc ad *conuitia* et *maledicta*, quo ſenſu dixit Liuius, *probrum ingerere*, et Cicero, *epiſtolas plenas probrorum.* Haec cum turpia et dedecoris plena apud omnes habe-

1 *Translationem.*] Pro Valla tamen eſt etymologia. Siue enim a *prohibendo,* ſiue a Graeco προφέρειν deducas, generalis erit huius vocabuli ſignificatio, non ſpecialis. Nec Feſtus dicit *probrum proprie dici de ſtupris et flagitiis*, ſed, *probrum*, *ſtuprum*, *flagitium*: in quo haec eſt ſententia, *probrum*, generale nomen eſſe, quod in omne turpe factum conueniat, ſed κατ᾽ ἐξοχὴν dici de *ſtupro* praecipue mulierum nuptarum, et, vt mox ſubiicit Feſtus, Veſtalium, ac *flagitio* virorum, propter ſummam ſcilicet horum criminum turpitudinem.

haberentur, ſenſim *probrum* pro *infamia* et *ignominia* coepit vſurpari, quae frequentior eſt et receptior verbi huius ſignificatio, ſecundum quam [2] Vlpianus dixit, *probrum et opprobrium idem*

2 *Vlpianus.*] Alii tradunt *h. l. 42.* pertinere ad Titulum *de Iniuriis*, et proprie quidem ad eam iniuriam, quae fit verbis, vt ſi cui conuicium dicatur infamandi illius cauſa. De hac eſt actio praetoria de conuicio *in l. 15. §. 2 D. de Iniur. Ait Praetor: Qui aduerſus bonos mores conuicium cui feciſſe, cuiusue opera factum eſſe dicetur, quo aduerſus bonos mores conuicium fieret, in eum iudicium dabo.* Haec verba 120 Praetoris exponens Vlpianus vſus fuit vocabulis *probri*, et et *opprobrii*, quemadmodum et Cicero *apud Auguſtinum II. de C. D. 9.* in explicanda Lege XII. Tab. de conuicio, vel carmine, quod infamiam faceret flagitiumue alteri, ac docuit, conuicium aduerſus bonos mores eſſe non quoduis conuicium, ſed *id, quod probrum, et opprobrium eſt.* Quod autem *probrum*, id et *opprobrium* eſt, nec fieri poteſt, quin, ſi cui in conuicio *probrum* obiectetur, idem et *opprobrium* ſit: vt ſi quis furem vel adulterum dicat aliquem, id et *probrum*, et *opprobrium* eſt. Quid autem *probrum* ſit, deinde Iuriſconſultus in ſequentibus pluribus exponit. Nec in verbis Vlpiani legitur, *idem eſt*, vt ait Valla; verum, *id eſt*, quam lectionem omnes, quos quidem viderim, Interpretes ſequuntur: etſi non magnopere referre videtur, vtro modo legatur. Nam et ſunt, qui, *id eſt*, hic velint dici pro *idem eſt*, quorum nonnulli etiam hoc ita interpretantur: *conuicium*, *probrum*, et *opprobrium* in hac actione idem eſſe; videlicet quidquid obiicitur alicui contra bonos mores ad infamiam illius pertinens. Haec longe veroſimiliora ſunt, quam Vallae ac Floridi argutiolae, qui inſigni temeritate de ſententia Iuriſconſulti pronunciare audent, quam ne per nebulam quidem viderunt. Hoc tamen bene fecerunt, quod, quae ſint ſignificationes horum verborum, teſtimoniis ex antiquitate prolatis docuerunt, vt iam nemini dubium eſſe poſſit, Vlpianum ab vſu linguae Latinae non receſſiſſe. Quod autem docti Interpretes *d. l. 42.* referunt ad Titulum *de Iniuriis*, id faciunt argumento Inſcriptionis, quae eſt e *lib. 57.* Vlpiani *ad Edictum*, in quo eum *de Iniuriis* egiſſe docent Inſcriptiones *l. 7. l. 9. l. 11. l. 13.* et *l. 17. D. de Iniur.* quae ex eodem libro ſunt. Addunt his nonnulli et *l. 15. D. eod.* et recte, opinor, quamuis huic

idem eſſe. *l. probrum. 42. D. de Verb. ſign.*
121 Quod ſi alibi *probrum* pro *crimine* ponitur, ideo fieri accipiendum eſt, quod crimina et delicta cum ignominia coniuncta ſunt, eaque neceſſario conſequi ſolet infamia, ſicut et decora pro virtutibus vſurpantur, et decorum pro ea officii parte ponitur, quae maxime decens eſt, et decoris plena. Itaque cum ais, *probrum* idem eſſe quod *dedecus*, licet haec non ſit prima vocabuli huius ſignificatio, ſed ea potius, quam ex Feſto Pompeio adduximus, tamen, ne nimium contendam, admitto. Sed cum addis *dedecus* duo ſignificare, praepoſtere ſignificata illa recitas. Primitus enim *dedecus ignominiam* et *infamiam* notat, et opponitur decori: transfertur autem et ad *crimina*, quia maxime dedecent et infamant. Poſtremo cum Vlpianum arguis, quod *probrum* non pro *flagitio*, quod principale ſignificatum eſſe dicis, ſed pro *infamia* tantum accipiat, vide quam id probare poſſis.

huic pleraeque Editiones Vlpianum *lib. 77. ad Edictum* praeſcribant. Nam cum ex iis, quas dixi *ll.* et aliis, quae apud Labittum videri poſſunt, appareat Vlpianum non *lib. 77.* verum *lib. 57.* ex profeſſo *de Iniuriis* egiſſe, vix dubitari poteſt, quin numerus in Inſcriptione *d. l. 15. de Iniur.* vulgo corruptus circumferatur. Multo grauius mendum in Inſcriptione *d. l. 15.* obſidet Edd. quasdam Gothofredi, quippe quae illam Gaio *lib. 77. ad Edictum* adſcribant, contra fidem aliarum Edd. et Indicis Pandectarum, in quo tantum 32. libri Gaii, nec *ad Edictum*, ſed *ad Edictum prouinciale* referuntur. In Labitti quoque Indice Pandectarum Ed. Lugd. Bat. mendum eſt. Nam quod ibi inter leges ex *lib. 77.* Vlpiani *ad Edictum* recenſetur *l. 25. de Iniur.* id omnino vitioſum eſt, ac pro eo ſcribi debet *l. 15. de Iniur.* cum *l. 25. de Iniur.* e *lib. 18.* Vlpiani *ad Edictum* ſit, et recte ex eo ſuo loco referatur.

ſis. Nam cum *furtum* et *adulterium* inter *probra* numeret, an non tibi videtur ad crimina quoque et flagitia *probri* ſignificationem extendere?

VALLA CAP. XLV. 122

In eosdem de Stuprum, *et* Adulterium, *et* Inceſtum.

Inter ſtuprum et adulterium, [1] Modeſtinus ait, *hoc intereſſe quidam putant, quod adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam et in virginem committitur. Sed Lex Iulia de Adulteriis hoc verbo indifferenter vtitur.* Et hoc quidem continetur in *libro de rerum et verborum ſignificatione.* [2] Alibi autem idem ait: *Stuprum committit, qui liberam mulierem cupidinis cauſa, non matrimonii continet: excepta videlicet concubina. Adulterium in nupta admittitur, ſtuprum in virgine, vel vidua, vel puero.* Quid mirum, ſi plures Iuriſconſulti in definiendo invicem diſſentiant, cum vnus atque idem ſecum diſſentiat? Hic non videtur ſentire cum Lege Iulia. Sed culpa illorum eſt, qui definitiones huiusmodi deſcripſerunt: quae ſi apte fuiſſent conglutinatae, probari poſſent, vt illa [3] Papiniani dicentis: *Lex Iulia ſtuprum et adulte-*
rium promiſcue [4] *Graece μοιχείαν appellant. Sed* 123
proprie adulterium in nuptam committitur, propter

1 *Modeſtinus*] *l. 101. pr. D. Verb. ſign.*
2 *Alibi*] *l. 34. D. ad. Leg. Iul. de Adulter.*
3 *Papiniani*] *l. 6. ſ. 1. D. eod.*
4 *Graece*] Καὶ καταχρηστικώτερον, Ed. Colin. καὶ συμμιγῶς, Ed. Steph. *C.*

pter partum ex altero conceptum compoſito nomine. Stuprum vero in virginem viduamue committitur: quod Graeci [5] *διακόρευσιν appellant.* Cuius definitionem approbo, illud tamen addens: Legem Iuliam recte haec duo promiſcue appellaſſe: non quod omne *ſtuprum* ſit *adulterium,* ſed quod omne *adulterium* ſit *ſtuprum.* Neque recte Iuriſconſulti excipiunt *ſtuprum* a nupta, cum etiam in quotidiano ſermone ſic loquamur, quale eſt [6] apud Quintilianum: *Vxor marito dixit appellatam ſe de ſtupro a priuigno, et ſibi conſtitutum tempus et locum.* Et [7] alibi: *Furtiua ſtupra raptosque concubitus obiicit vel ex falſo maritus. Fas eſt, fieri ſolet. Parcius tamen, ſi iam ſit et mater, ſi in fidem caſtitatis vxoria foecunditate profecerit.* Quare ego ita ſentio: *ſtuprum eſſe coitum lege vetitum:* qui duplex eſt. Vnus cum nupta, aut cum puero, aut cum ſanguine coniunctis, aut ſanctimonialibus. Quanquam haec duo poſteriora potius appellamus *inceſtum.* Alter, cum vim afferimus cuilibet perſonae, etiam ancillae.
124 Vnde *ſtuprare* dupliciter accipitur: cuius poſterioris ſenſus teſtimonio eſt [8] lex, quae ſtupratoribus maſculorum poenam ſtatuit decem millium, cum paediconibus nulla eſſet poena conſtituta.

ALCI-

5 *Διακόρευσιν*] φθοράν, Ed. Colin. *C.*
6 *Apud Quintilianum*] *Lib. IV. cap. 2. C.*
7 *Alibi*] *Declam. XVIII. C.*
8 *Lex*] Apud Quintilian. *lib. IV. Inſt. Orat. cap. 2.* et *lib. VII. cap. 4.* De ſtupro ancillarum eſt *in l. 6. princ. D. ad Leg. Iul. de Adult.* Quae porro hic adfert Laurentius, non lubet excutere.

ALCIATVS AD CAP. XLV.

Modestinum insectatur, qui *adulterium in nuptam committi, stuprum in viduam, virginem, puerumue* scripsit. Nam existimat Valla etiam *adulterium stuprum* dici posse, autoritate Quintiliani. Sed vt ego non negauerim generalius esse *stupri* nomen, vt quod a *turpitudine* dicatur, vnde et Plautus *Amphitr. III. 2. 2. Stupri dedecoris a viro argutam meo:* ita Modestini verba non recte intellecta affirmauerim. Cum enim concubitus cum nupta speciale *adulterii* nomen habeat, non fuisset satis generali *stupri* voce vti: id enim proprie dicitur, quod peculiari et sibi tantum conuenienti voce appellatur, vnde et *proprium* pro peculiari doctiores accipiunt. Virgil. VII. *Aen. 331. Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem.* Quintilianus quoque *lib. VIII. Inst. Orat. cap. 2.* optime id *proprium* interpretatur, *quo nihil inueniri potest significantius.*

FLORIDVS AD CAP. XLV.

Haec nescio fungisne an hominibus scribere se arbitretur Alciatus. Quis enim illud ferat, non esse intellecta a Valla Modestini verba, quibus nihil potest esse clarius? Dicatur sane, et maxime proprie in nupta *adulterium*, quis tamen non *stuprum* in eadem dici recte afferat, et proprie? 125
At solis nuptis conuenit *adulterium.* Esto: sed *stuprum* etiam in eisdem fieri, cuius contrarium sentit Modestinus, affirmo: tum quod Lex Iulia, quam Alciatus modo probat, modo improbat, promiscue *stupro* ac *adulterio* vtitur: tum quod apud omnes fere Latinos autores hoc obseruatur, quorum aliquot subiiciam testimonia, in quibus improprietatem ostendere fuerit Alciati. Cicero *in VII. Verr. cap. 13.* sic ait: *Alterum, quod cum paludatus exisset, votaque pro imperio suo communique Populi Rom. nuncupasset, noctu stupri causa lectica in vrbem ferri solitus est ad mulierem nuptam vni, propositam omnibus.* Idem II. *Philipp. 38. Frequentissimo senatu Calendis Ianuariis sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odii causam ausus es dicere, quod ab eo sorori et vxori tuae stuprum oblatum esse comperisses.* Et II. *de Finib. 20. Stuprata per vim Lucretia a regis filio testata ciues se ipsam interemit.* Et V. 22. de eadem: *Nostra in Republica Lucretia, quae per vim oblatum stuprum morte lueret, inuenta est: et qui interficeret filiam, ne stupraretur.* In III. quoque *de Nat. Deor. cap. 27. Nec tamen ille ipse est praetereundus, qui non sat habuit coniugem illexisse in stuprum, de quo recte et*

verissime loquitur Atreus. Et III. *Offic. 9.* de Gyge loquens: *Itaque hac opportunitate annuli vsus reginae stuprum intulit, eaque adiutrice regem dominum interemit.* Liuius *lib. VIII.* ab Vrbe condita *cap. 22. Erant, qui per speciem honorandae parentis meritam mercedem populo solutam interpretarentur, quod eum die dicta ab Aedilibus crimine stupratae matrisfamilias absoluisset.* Et *lib. X. cap. 31. Eo anno Q. Fabius Gurges, Consulis filius, aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multauit.* In *lib. XXVI. cap. 13.* quoque: *Nec dirui incendique patriam videbo, nec rapi ad stuprum matres Campanas, virginesque, et ingenuos pueros.* Et in XXXII. *cap. 21. Caetera stupra virginum matronarumque obliuioni dentur.* Propertius *lib. IV. El. 7. vers. 57. Vna Clytemnestrae stuprum vehit.* Ex his omnibus *stuprum* proprie *adulterium* dici videmus: licet adulterium ad solas nuptas referatur. *Stuprum* etiam de viduis et virginibus dicitur: atque ea voce in latissimo significatu vsus est in IV. *Verrin. cap. 45.* M. Tullius: inquit enim: *Nisi quod homo frugalissimus atque integerrimus te, hominem plenum stupri, flagitii, sceleris, domum suam inuitauit.* Et *in VI. Verr. cap. 9. Quo in oppido multas familias in perpetuum infames tuis stupris flagitiisque fecisti.* Et Horat. IV. *Carm. 5. 21. Nullis polluitur casta domus stupris.* Cum sacris autem virginibus *stuprum* etiam committitur. Cicero *in Orat. de Aruspic. resp. Cap. III. In Clo-*
126 *dium vero non est hodie meum maius odium, quam in illo die fuit, cum illum ambustum religiosissimis ignibus cognoui muliebri ornatu ex incesto stupro atque ex domo Pontificis Maximi emissum.* Sed *incestum* stupro addidit Cicero. Liuius id simpliciter protulit *lib. XXII. cap. 57 Qui cum Floronia stuprum fecerat,* inquit, *a Pontifice Maximo eo vsque virgis in comitio caesus erat, vt inter verbera expiraret.* Et in *eodem: Territi etiam super tantas clades cum caeteris prodigiis, tum quod duae Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri compertae.* Hinc Augustinus *lib. I. de Ciuit. Dei, stuprum* tam ad virgines nuptasque, quam etiam ad sacras virgines, quas sanctimoniales vocant, retulit: *Magnum,* inquit, *sane se putant obiicere crimen Christianis, cum eorum exaggerantes captiuitatem adducunt stupra etiam commissa non solum in aliena matrimonia, virginesque nupturas, sed etiam in quosdam sanctimoniales.* Nam Suetonius *stuprum* inter fratrem etiam et sororem committi docet, *in vita Caligulae* ita scribens *Cap. XXIV. Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit.* Idem quoque in *Domitiani vita Cap. VIII.* vt *adulterium* nuptis, ita *stuprum incestumque* Vestalibus virginibus tribuit: ait enim: *Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimissae adulterii crimen intenderat, erasit iudicum albo,*

albo. Et mox: *Incesta Vestalium virginum, a patre suo quoque et fratre neglecta varie ac seuere coërcuit.* Et paulo post: *Mox Corneliam virginem maximam absolutam olim, aehinc longo interuallo repetitam atque conuictam defodi imperauit, stupratoresque virgis in comitio caedi.* Plinius porro *Natur. Hist. lib. X. cap. 34. adulteria* etiam *auium* dixit his verbis: *Ab his columbarum maxime spectantur simili ratione mores iidem. Sed pudicitia illis prima, et neutri nota adulteria.* Et non multo post: *Mares subinde etiam iniquos ferunt: quippe suspicio est adulterii, quamuis natura non sit.* Quamuis autem *incestare* proprie de sacris virginibus dicatur, etiam profanis aliquando conuenit hoc verbum. Plautus *in Poenulo V. 2. 135. Earum hic alteram efflictim perit, neque eam incestauit vnquam.* Virgilius ad nouercam transtulit *in X. Aen. 389.*

Anchemoum thalamos ausum incestare nouercae

Et *incesti amores* etiam profani dicuntur. Horatius *lib. III. Carm. 6. 21.*

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artubus
Iam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur vngui.

Idem Horatius *incesto* pro impuro flagitiosoque vtitur, cum ait *eod. lib. 2. 29.*

——— *Saepe Diespiter*
Neglectus, incesto addidit integrum. 127

Propertius III. 9. 39. *reginam incesti Canopi* Cleopatram, ni fallor, appellat. Et *incestare* polluere est. Virgilius VI. *Aen. 150. Totamque incestat funere classem.* Quem locum exponens Seruius *incestum* interpretatur quamcunque pollutionem.

DEFENSOR AD CAP. XLV.

Hic vero quid deprehendis in quo Modestinus a se ipso dissentiat? Mihi vero probe secum consentire videtur. Nam *principio l. inter stuprum. 101. D. de Verb. sign.* propriam *stupri* et *adulterii* significationem, et quasi notam ostendit, quam subindicauit Papinianus *in l. inter liberas. 6. §. 1. D. ad Leg. Iul. de Adulter.* et

 aper-

apertius oſtendit Feſtus Pompeius his verbis: *Adulter et adultera dicuntur, quia et ille ad alteram, et haec ad alterum ſe conferunt.* Quo ſenſu differunt inter ſe *ſtuprum* et *adulterium,* ſi verborum originem et proprietatem ſpectes. Idemque *in l. ſtuprum. 34. ad fin. D. ad Leg. Iul. de Adulter.* dicere voluit [1] Modeſtinus. Et tamen

1 *Modeſtinus*] Plerique Vallae ita occurrunt, vt dicant, *ſtuprum* generale nomen eſſe, quo contineatur quodcumque vel in nuptam, vel in non nuptam, puerumue admittitur. Sed primam ſtupri ſpeciem etiam proprio nomine *adulterium* vocari: ſecundam propriam appellationem non habere, ve-
128 rum nomine generis ad ſpeciem, quae proprium nomen non habebat, contracto *ſtuprum* dici: eadem ratione, qua vocabula *adoptio*, *cognatio*, et plura alia, et generis et ſpeciei ſignificationem ſortiuntur. Nec Iuriſconſulti veteres, cum diſcrimen *ſtupri* et *adulterii* tradunt, dicendi ſunt eo ipſo negare *ſtuprum* recte quoque et Latine de *adulterio* dici, quod illis aduerſarii obiiciunt. Sed exiſtimari poſſunt hoc velle, quoniam neceſſitas ſaepe poſtulabat, haec crimina, quae vno *ſtupri* nomine complexa fuerat Lex Iulia, ſuis ac ſeparatis appellationibus diſtingui, conſuetudine loquendi obtinuiſſe, vt *ſtuprum*, quod nuptae infertur, proprio nomine *adulterium* appellaretur, quod innuptae, pueroue, *ſtuprum.* Nam et alii ſcriptores Latini interdum haec ita coniungunt, vt appareat, diſcretam eſſe eorum ſignificationem. Cicero *de Senect. Cap. XII. Stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium nullis illecebris excitari aliis, niſi voluptatis.* Et IV. *Tuſcul. 35. Stupra dico, et corruptelas, et adulteria, inceſta denique.* Haec probabiliter ſane contra Cenſores Iuriſconſultorum veterum diſputantur. Sed tamen ex eo, quod Papinianus *l. 6. §. 1. D. ad Leg. Iul. de Adult.* ait, *Legem Iuliam καταχρηστικώτερον ſtuprum et adulterium promiſcue appellare*, non omnino abſurde quis colligat, hunc ſaltem exiſtimaſſe Legem Iuliam non ſatis accurate vel vſitate locutam, nec *ſtuprum* proprie poſſe dici de *adulterio*, praeſertim cum confeſtim ſubiiciat: *ſed proprie adulterium in nupta committitur, ſtuprum vero in virginem, viduamue.* Qua in ſententia etiam alii fuiſſe videntur, de quibus Nonius v. *ſtuprum: Stuprum, quod cum viduis* (hoc non praeciſe

tamen cum Lex Iulia de Adulteriis indifferenter his vocibus vtatur, *d. l. inter ſtuprum in fin.* 129 (ſicut Lex Cincia *donum* et *munus* indiſtincte vſurpat, quae tamen origine et nota differunt, vt ſupra *ad Cap. XXXIX.* probauimus) non dubitauit Modeſtinus vulgatam illam et vſu receptam verborum ἀδιαφορίαν ſequi *in d. l. ſtuprum. in princ.* Secundum quam dixit Feſtus, *ſtuprum pro turpitudine antiquos dixiſſe;* vt

H 3 *ſtuprum*

ciſe de his ſolis accipiendum puto, quod nemo prodidit, ſed ad omnes foeminas, quae in ea conditione ſunt, vt cum his adulterium non committatur, extendendum; niſi quis credere malit quaedam excidiſſe) *committitur, hoc ſolum dici putant. Veteres pro adulterio et vitio ponunt.* Certe Budaeus, quamquam ignorans Florentinam vocis Graecae, quae in ipſius exemplari deerat, ſcripturam, hanc Papiniani fuiſſe ſententiam exiſtimauit, cum ad *d. l. 6. D. de Adulter.* prolatis Ciceronis et aliorum locis, in quibus *ſtuprum* eſt *adulterium*, Papinianum hoc parum animaduertiſſe videri notat. Nam quod dici poſſit, Papiniani ſententiam eſſe, in Lege Iulia *ſtuprum* dici etiam quod committitur in nuptam, et viciſſim *adulterium*, quod in innuptam, vt quidam magni nominis Interpretes putarunt, id mihi, quoniam non ſcio teſtimoniis veterum doceri, *adulterium* vulgata conſuetudine Latini ſermonis ſimpliciter pro coitu accipi, parum probabile videtur. Ouidius quidem vſurpauit in illo II. *de Art. amand. 484. Haeret adulterio cum cane nexa canis:* Idemque *in Epiſt. Hypſipyl. v. 133. adulteram virginem* dixit, quae rem haberet cum alieno marito: *Turpiter illa virum cognouit adultera virgo.* Sed ex eo confici non poteſt, hanc fuiſſe vſu receptam huius vocis ſignificationem, quam Legem maxime ſequi credibile eſt. Et ita etiam alii Interpretes ſentiunt. Nec video quam rationem habeat, quod Scipio Gentilis *Libro ſingulari Originum ad Pandectas* ſcribit, Papinianum ſine cauſa a Budaeo reprehendi, *cum certo certius ſit, non vt adulterium, ſic etiam ſtuprum de vxoris probro proprie dici.* Hoc enim eſt, quod probandum fuerat, *ſtuprum* minus proprie de probro mulieris nuptae dici, quam *adulterium*, et omnes ſcriptores veteres, qui hoc *ſtuprum* vocarunt, ea voce ſignificatione impropria vſos eſſe.

ſtuprum per inuerſionem literarum dictum ſit, quod ſit [2] *turpe.* Id autem manifeſtius apparet ex *d. l. inter liberas 6.* §. *1.* Quem Papiniani locum audacter nimis corrumpis, dum lacunas verborum Graecorum, quae in tuo forte Codice deerant, ingenii fiducia ex proprio arbitrio, non
130 ex probatorum Codicum authoritate reſtituere conaris. Nam vbi *μοιχείαν* legis, ſcripſit Papinianus *et καταχρηστικώτερον*, et verbum illud, *Graece*, quod retines, ſubditum fuit a librario, qui Graecum deſcribere, aut verbi Graeci lacunam ſupplere non potuit. At vbi *διακόρευσιν* legis, legendum eſt *φθοράν*, neque quicquam contra faciunt loci Fabii, quos profers. Illic enim Fabius [3] ex recepto iam et trito Legis Iuliae vſu locutus eſt. Itaque cum ais, *non omne ſtuprum adulterium eſſe,* aſſentimur: at cum ſubiicis, *omne adulterium ſtuprum eſſe,* negamus: ſiquidem verbi proprietatem retinere velimus. Nam proprie *ſtuprum* in puero, vel virgine, vel vidua honeſte viuente committitur, vt Graeci ſuum illud *φθοράν* vel *διαφθοράν* vſurpant: vt *ſtuprare* et *conſtuprare* idem ſit, quod *corrumpere* et *vitiare.* Porro vidua, quae honeſte viuit, pene pro intacta et non corrupta habetur. Quis vero tibi ſubſcribat definienti, *ſtuprum eſſe coitum lege vetitum,* cum nullo idoneo

2 *Turpe*] Ita etiam Alciatus, quod vnde didicerint non ſcio. Scaliger *ad Feſtum* deducit a *ſtupeo*: Voſſius, et alii a *στύω στύομαι*, quod in obſcaenis eſt.

3 *Ex recepto*] Immo ex recepto vſu ſermonis Latini, vt Plautus, Cicero, aliique, qui ante Legem Iuliam vixerunt.

idoneo [4] teſtimonio id confirmes? Niſi forte vel indifferentem illum Iuliae Legis vſum ſequi velis, vel latiſſimam illam antiquorum pro tur- 131
pitudine ſignificationem a Feſto traditam, ſecundum quam latius etiam patebit. Sed et *in d. l. ſtuprum. 34. D. ad Leg. Iul. de Adult.* defendi poſſet Modeſtinum de ſoluta, i. e. non nupta muliere loqui, in quam adulterium cadere non poteſt: quod et [5] exceptio concubinae ſatis oſtendit, vt verba illa, *non matrimonii*, ſubindicant. Quo ex loco animaduertenda eſt Romanorum ſanctitas, et Legis Iuliae ſeueritas, quae eos poena dignos cenſuit, qui liberas mulieres cupidinis cauſa apud ſe haberent, niſi eas vel vxores ducerent, vel pro concubinis haberent. Odioſi videlicet iis fuere vagi illi et promiſcui concubitus, ferarum ritu cum quibusuis ſe miſcentium. In quo ſane ſe multis Chriſtianorum, praecipueque coelibem vitam agentium, pudiciores oſtendunt.

4 *Teſtimonio*] Nihil cauſae erat, cur Valla teſtimoniis confirmaret, quod nemo in dubium vocare poteſt. Nam cum ait, *ſtuprum eſſe coitum lege vetitum*, hoc ſentit, omnem coitum lege vetitum appellari nomine ſtupri, ſiue ſtupri appellationem generalem eſſe, vt Interpretes Iuris loquuntur.

5 *Exceptio concubinae*] De hac exceptione vid. quae ſcripſit Briſſon. *ad cap. 1. Legis Iul. de Adulter.*

VALLA CAP. XLVI.

In eosdem de Inſtratum, *et* Stragula.

Inſtratum, [1] Vlpianus inquit, *omne veſti-*
132 *mentum continere*, [2] *quo amicimur, Labeo ait: neque enim dubium, quin ſtragula veſtis ſit omne pallium.* Videtur Vlpianus intelligere, *ſtragulam veſtem* eſſe veſtimentum hominis, quo amicitur, quale eſt Graecorum *pallium.* Vt enim Romani togati a toga, ſic Graeci palliati a pallio vocantur. Ego vero non memini reperiſſe me *ſtragulam veſtem* in hunc ſenſum, ſed in opertorium lectorum potius, vbi et dormiebant, et diſcumbebant, quod [3] Varro teſtatur de culcitra loquens: *Ac quicquid inſternebant, a ſternendo ſtragulum appellabant.* Et equorum ſimiliumque, quorum operimentum etiam *inſtratum* vocatur. Hic illud admonebo, inuerti frequenter ſignificatum verbi, vt in hoc ipſo verbo *ſterno. Sternimus* quidem *veſtes humi, ramos arborum, flores*, et multa huiusmodi: tamen frequentius dicimus, *ſterno humum floribus, ramis, veſtibus.* Hinc eſt, quare dicimus *thoros lectosque ſternere*, et *equum ſternere:* non quia ſint diuerſi ſenſus, ſed quia reſoluuntur, vt ſit *ſternere*, verbi gratia, *lectos et equos tapetis*, idem, quod *ſternere tapeta lectis et equis. Culcitra*

1 *Vlpianus*] *l. 45. ff. de Verb. ſign.*

2 *Quo amicimur*] *Quod initiatur*, Marg. Ed. Steph. C. Sunt verba Vlpiani, quae aliarum Editionum Vallae contextus etiam exhibet.

3 *Varro*] *Lib. IV. de Ling. Lat. C.*

citra autem est tam lanea, stupea, et si quid est huiusmodi, quam plumea.

ALCIATVS AD CAP. XLVI. 133

Vlpianum improbat, qui dixerit, *non dubium esse, quin stragula vestis sit omne pallium.* Sed incidit Valla in depravatos Codices: Vlpianus enim non *omne pallium*, sed *omne περίστρωμα* scripsit, certissimum autem est Graece sic dici omne, quod insternitur et circuminiicitur.

FLORIDVS AD CAP. XLVI.

Instratum praetereo, et an recte senserit Vlpianus, *non dubium esse, quin stragula vestis sit omne pallium.* In depravatos enim Codices incidisse Vallam censet Alciatus, cum Vlpianus non *omne pallium*, sed *omne περίστρωμα* scripserit; certissimumque sit, Graece sic dici omne quod insternitur et circumadiicitur. Licet non desint, qui Alciatum hoc loco Lesbia regula vsum fuisse credant, nempe vt locum pro suo arbitratu restituerit, quemadmodum ipse Vallae sequaces fecisse credit, qui veterem Iustini Quintique Curtii scripturam interpolauerint, proque *pellicum* voce *palacarum* in eorum Codicibus reposuerint. Sed de Vlpiano omnia in bonam partem interpretari libet, tantum abest, vt eum in tam perspicua re hallucinatum fuisse credam: quamquam non minus est eiusdem de *pulsatione* et *verberatione* erratum.

DEFENSOR AD CAP. XLVI.

At nec hoc loco sensum Vlpiani satis videris assecutus, o Valla, qui nihil aliud voluit, quam Edicti Praetorii partem illam interpretari, qua Praetor *in eum, qui iudicato victum* 134 *vel instratum inferri non patitur, poenalem actionem, vel iniuriarum* pollicetur. *l. si victum. 34. D. de Re iudic.* Vel etiam quid veniat

[1] in *legato strati* respondere. Separatim enim legendum est *in stratum*. Quod autem reprehendis eum, quod subiecerit, *stragulam vestem esse omne pallium*, scito [2] in emendatioribus Codicibus legi: *Neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne quod Graeci περίστρωμα*: cuius Graeci verbi loco quidam substituerunt, *pallium*. Pergis tamen, et subiicis, *nunquam*
135 *reperisse te stragulam vestem in hunc sensum, sed in opertorium lectorum potius, vbi et dormiebant, et discumbebant.* In quo vide quam tuam [3] inscitiam, vel in legendo oscitantiam prodas. Nam

1 *In legato strati*] Cuiacius putat *l. 45. ff. de V. S.* pertinere ad haec verba L. XII. TAB. de addictis: *Si volet, suo viuito: ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato.* Nam cum quidam putarent, verbum *viuere* tantum ad *cibum* pertinere, obtinuisse sententiam eorum, qui id etiam ad *vestimenta* et *stramenta* trahebant, *quia sine his homo viuere non potest*, vt est apud Gaium *Lib. 2. ad Leg. XII. TAB. in l. 234. §. 2. D. de V. S.* Praetorem tamen in Edicto accommodato *ad Leg XII. TAB.* videri distinxisse *victum* a *strato l. 34. D. de Re iudic.* et *h. l. 45. de V. S.* Itaque in Edicto, cum Praetor ait, *victum, vel stratum*, voce *victus* contineri vestem, quae stragula non est; voce *strati* omnem vestem stragulam.

2 *In emendatioribus*] Budaeus scribit, se in antiquo exemplari reperisse: *Neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium, quod Graeci περίστρωμα vocant:* In Alciati duobus scriptis erat, *quin stragula vestis sit omne περίστρωμα:* quam vocem Graecam ille aliquos superaddito glossemate interpretatos esse *pallium*, eamque glossam ab imperitis in contextum receptam scribit. Cuiacius, et alii legunt: *quin stragula vestis sit omne pallium περίστρωμα.* Atque ita etiam habent Edd. Gothofr. haud dubie e Florent. De quo genere loquendi v. Scalig. *ad Catalect. Virg. pag. 221.* Scip. Gentil I. *Parerg. 37.*

3 *Inscitiam*] Melius erat, simplici responsione defungi, Vallam in vitiosum codicem incidisse, quae etiam Alciato sufficere

Nam de *stragula veste* sic Festum: *Vestis generaliter dicitur stragula, forensis, muliebris. Vestimentum pars aliqua, vt pallium, tunica, vel penula.* Suetonius *in Nerone Cap. L. Funeratus est stragulis albis auro intextis, quibus vsus Cal.* 136

sufficere visa fuit, quam nimia reprehendendi aduersarii cupiditate quaedam a vero remota admiscere. Vallam non sine ratione dubitasse, an verum esset, quod in libro suo scriptum inueniebat, *stragulam vestem esse omne pallium*, emendatiorum codicum lectio, et consensus doctorum eam probantium, ac praeterea Latini sermonis vsus ostendit. Defensor autem cum scribit *generaliter omnem vestem*, id est, etiam amiciendi causa paratam, vt tunicam, penulam, eo quod haec quoque lectis insterni potest, *straguli nomine contineri*, sine dubio fallitur. Neque id euincunt auctoritates veterum ab eo prolatae. Nam in Festi verbis (quae ad suam opinionem accommodans nonnihil immutat, cum ita legatur: *Vestis generaliter dicitur, vt stragula, forensis, muliebris)* non haec sententia est, generaliter omnem vestem appellari stragulam; sed nomen *vestis generale* esse, ac vestem dici omne genus vestis, puta, stragulam, forensem, muliebrem, virilem, et quae alia sunt vestium genera; *vestimentum* autem appellationem *specialem* esse, atque ita dici speciem aliquam vestis, vt pallium, tunicam, penulam, nec ita de genere dici vestimentum stragulum, forense, muliebre, vt dicitur vestis stragula, forensis, muliebris. In Suetonii autem, ac Ciceronis locis nihil est, vnde pateat ibi intelligi vestem amiciendi causa paratam, et Liuius manifeste sentit de ea, quae ad insternendum habetur, cum *stragulam vestem* distinguat a *vestibus* virorum et foeminarum *quae induuntur*, et mox vnam speciem stragulae memorans iis, quae hic laudantur, subiiciat: *Matremfamiliae tuam purpureum amiculum habere non sines? et equus tuus speciosius instratus erit, quam vxor vestita?* Quin et ipsa adiectio vocis Graecae περίστρωμα aperte docet, *vestem stragulam* esse non omne pallium, sed tantum pallium περίστρωμα, id est, quod insternendi vel iniiciendi causa habetur: quod Latini etiam sine vllo adiecto *pallium* nonnumquam dicunt, vt Sueton. *Ner. Cap. XLVIII. Decubuit super lectum modicella culcita vetere pallio strato instructum.* Propert. IV. *El. 8. 87.* (al. *El. 9. 59.*) *Atque ita mutato per singula pallia lecto.* add. Ouid. I. *Amor. 2. 1.* et Ferrar. *de Re Vest. P. II. lib. 4. cap. 3.*

Cal. Ianuariis fuerat. T. Liuius *lib. XXXIV. cap. 7. Cum tibi viro liceat purpura in veste stragula vti.* Cicero [4] *in Verrem Act. III. Plena domus caelati argenti optimi, multaeque stragulae vestis, pretiosissimorumque mancipiorum.* Et inferius: *Dicebant scyphorum paria compluria, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa Verri data esse.* Quibus ex locis et locus hic Vlpiani illustratur, et quid sit *vestis stragula* ostenditur: nempe generaliter omnis vestis, et omne quod Graeci περίςρωμα nominant, vt loquitur Vlpianus, sed ea maxime, quae discumbentibus iniici, et qua lecti sterni et operiri solent. Quod et locus ille Varronis', quem profers, confirmat. Nam si *quicquid insternitur a sternendo stragulum* veteres appellabant, quid vetat, quin pallia quoque, et tunicae, et penulae lectis insterni possint, et *straguli* nomine contineantur? Consequens est igitur, vt in *strati legato*, quod plenius acci-
137 piendum est, omne vestimentum accipiatur, quod iniiciatur, i. e. insternatur, non, vt corrupte legis, *quo amicimur.* Et qui *stragulam vestem*, id est, huiusmodi vestimenta iudicato inferri non patitur, illa parte Edicti teneatur. Nam et simplici verbo *victus* haec quoque continentur *l. 234. §. 2. D. de V. S.* Et cum pro qualitate personae haec praestentur *l. pen. D. de Aliment.*

4 *In Verrem Act. III.*] Est *Accusationis in Verr. lib. II. de Iurisdict. Sicil. cap. 14.* quae sequuntur, *ibidem* sunt, *cap. 19.*

Aliment. leg. non dubium, quin *ſtragula* quoque *veſtis* iudicato, id eſt, carcerato inferri debeat, ſi honeſtior eſt. Denique Idem [5] Vlpian. *in l. 23. D. de Aur. et arg. leg.* vbi veſtimentorum genera enumerat, videlicet virilia, muliebria, puerilia, et familiarica; inter virilia et familiarica numerat *veſtimenta ſtragula*, quibus adiungit togas, tunicas, ſaga, penulas, et huiusmodi.

5 *Vlpianus*] Qua ratione Vlpianus *d. l. 23. §. 2. veſtimenta ſtragula* inter virilia praecipue recenſeat, aut Paulus III. *Sent. 6.* dicat, *veſte virili legata, ſtragula quoque huic legato cedere*, fateor me non ſcire. Nec tamen vel ex eo, vel quod *veſtimenta ſtragula* inter familiarica numerantur, liquere arbitror, *veſtem ſtragulam* eſſe, vel dici etiam eam, quae amiciendi gratia habetur.

VALLA CAP. XLVII. 138

In eosdem de Paulſatio, *et* Verberatio.

Inter Pulſationem et verberationem, [1] Vlpianus ait, *hoc intereſſe, vt Offilius ſcribit: verberare eſt cum dolore caedere: pulſare ſine dolore.* Sed cum vtriusque venia, non eſt eiusmodi inter haec verba differentia. An cum *verberamus frumenta*, cum dolore verberamus? aut pulſamus potius quam verberamus? Et iumentum cum ſentit ex flagellis dolorem, *verberatur?* cum non ſentit, *pulſatur?* An Entellus ille [2] Virgilianus ſine dolore pulſabat Dareta? Sed ne multis, quis non videt, *verberare eſſe ver-*

1 *Vlpianus*] *l. 5. §. 1. ff. de Iniur.*
2 *Virgilianus*] *V. Aen. C. vers. 460.*

verbere caedere, quod eſt inſtrumentum longum et exile, qualis eſt virga, baculus, fuſtis, lora, flagellum, ferula, arundo, et ſi quid eſt ſimile. Nec aliter dictum eſt *verberare* a *verbere*, quam flagellare a flagello, fuſtigare a fuſte. Nam *verbera* licet pro *verberatione* accipiantur, tamen rem corpoream proprie ſignificant, vt flagella, quae ſunt proprie ſummitates ſarmentorum. [3] Quintilianus: *Ignes ex proximo raptos, verbe-*
139 *raque, quae caſus obtulerat.* *Pulſare* vero *eſt graui ac vehementi ictu caedere*, nec tam inſtrumento longo et exili, quam breui ac rotundo, vt pugnis, vt calcibus, vt malleis, vt ſaxis, quae manu tenentur, cum alium percutimus, in ſimilitudinem tympanorum, quae manu pulſantur; nec *ſemel*, ſed *multis* ictibus percutere. Namque non proprie *pulſatum* aliquem dixeris, qui *ſemel* pugno percuſſus eſt. Adeo non minor iniuria fit ex *pulſatione*, quam ex *verberatione*, praeter eam cauſam, quam modo dixi, quod *verberatio eſt multa percuſſio*, quodque plerunque *pulſatio fit in facie*. Et ob pulſatos eorum legatos Laurentes [4] Tatium regem occiderunt, qui non puniſſet propinquos ſuos, qui Laurentibus hanc iniuriam fecerant. Et ipſa incuſſio calcium contumelioſiſſima eſt, ſaepe etiam mortifera, vtique ſi fiat in aegrum, in ſenem, in puerum, in praegnantem. Taceo ſi alia re quis alterum pulſauerit, quam manu aut pede.

3 *Quintilianus*] *Declam. XIX. C.*
4 *Tatium*] *Liu. lib. I. C. cap. 14.*

pede. Quum vicinus meus vxorem ſolitus ſit non modo piſtillo, verum etiam mortario aereó pulſare, vt non crebrius pulſet ipſum mortarium. Dictum eſt autem a *pello*, quod eſt percutio et ferio: vt apud M. Tullium [5] *lib. I. de Diuinát. Vt pelluntur animi vehementius, ſaepe etiam cura et timore.* Et [6] *in II. Num igitur,* 140 *cum aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit?*

5 *Lib. I. de Diuin.*] *Cap. 36.*
6 *In II.*] *Cap. 67.*

ALCIATVS AD CAP. XLVII.

Offilii apud Vlpianum differentiam damnat, qui *verberare*, dixit, *eſt cum dolore caedere, pulſare ſine dolore*; atque *verberare* potius *eſſe cum verbere, ſeu flagello caedere, pulſare cum graui et vehementi ictu.* Sed profecto Iureconſultum non latuit, *verberare* a *verbere*, flagello, ſeu ferula dici, vt qui (1) alibi atteſtatus ſit, *verberaſſe abuſiue dici et eum, qui pugnis caeciderit.* Sed in Lege Cornelia, quam tunc interpretabatur, quae actionem iniuriarum ei dabat, *qui ſe pulſatum verberatumue diceret,* non potuit alia capi interpretatio. Si enim Vallam ſequèremur, qui ſine graui impetu ſaxo percuteret, verbis legis non contineretur, quia ſaxo non diceretur verberaſſe, quia ſine impetu non pulſaſſet: quae ſententia oppido quam futilis eſt. Merito Iureconſultus maluit *verberare cum dolore* in ea Lege accipere, verbo illo lata ſignificatione accepto, et *pulſare ſine dolore*, cum frequentatiuum ſit a verbo *pello*, vnde ſit *pulto, pulſo.* impellitur autem quis etiam ſine dolore.

1 *Alibi*] *l. 15. §. 40. ff. de Iniur.*

FLORIDVS AD CAP. XLVII.

At ego Offilii ſeu Vlpiani ſententiam deridendam arbitror, cum tradita ab eo inter *pulſationem verberationemque* differentia nusquam apud Latinos authores inueniatur, quin potius frequentius fere *verberare*, quam *pulſare*, *ſine dolore*

ſigni-

ſignificat: niſi forte aut ſolum, aut oſtium, aut quid ſimile pulſemus, quod nec ex verberibus, nec ex pulſatione vtique dolorem ſentire poſſit. Et quidem ita ea diſtinguit Alcia-
141 tus, vt etiamſi calcibus, aut pugnis, aut ſaxis aliquem vel vſque ad mortem caedamus, eum non *pulſare*, ſed *verberare* dicamur: rurſus ſi quem vel flagello, vel fuſte, modo ſine dolore percutiamus, hunc non *verberemus*, ſed *pulſemus:* quorum tamen vtrunque eſt maxime abſurdum. Atqui *ſi Vallam ſequeremur*, inquit Alciatus, *qui ſine graui impetu ſaxo percuteret, verbis legis non contineretur.* Bona mehercle ratio. Imo hoc ab Alciato doceri velim, ſi quis verbere flagelloue aliquem ſine dolore caederet, num eiusdem legis verbis comprehenderetur? Minime quidem: *verberamus enim cum dolore.* An eum pulſari dicemus? Et certe, inquit: nam *pulſare ſine dolore eſt.* Verum dum haec tecum commentaris, non vides quam parum latine loquaris. Quid verbis opus eſt? Veterum autorum teſtimoniis potius agamus. Ad eundem enim modum ſcripſit Cicero, cuius verbis ſi Offilii ſententiam aptemus, erimus oppido quam ineptiſſimi. *Ageret*, inquit ille, *in V. Verr cap. 12. videlicet cauſam arator, nihil ſibi frumenti ab Apronio relictum, bona ſua etiam direpta, ſe pulſatum verberatumque diceret.* Et in eadem *cap. 26 Videtis pendere alios ex arbore, pulſari autem alios et verberari.* Et *in VII. cap. 54. Haec cum maxime loqueretur ſex lictores circumſiſtunt, ad pulſandos verberandosque homines exercitatiſſimi, caedunt acerrime virgis.* Dicamus et a lictoribus, et Praetore Verre homines ſine dolore pulſatos. *Pulſare* itidem ſimpliciter poſitum *cum dolore* eſt capiendum, ſi modo dolorem pati poteſt, qui pulſatur. Cicero *in IV. Verrin. cap. 27. Quodque iudicium ſecundum Heraclium de compromiſſis factum erat, quod ciuis Centuripinus inter duos ciues iudicauiſſet, id irritum eſſe iuſſit, eumque iudicem falſum iudicauit, in ſenatu ne eſſet, locis commodisque publicis vti vetuit. Si quis eum pulſaſſet, edixit ſeſe iudicium iniuriarum non daturum.* Et paulo poſt: *Quae iſtius autoritas tantum valuit, vt neque illum pulſaret quisquam, quum Praetor in prouincia ſua verbo permitteret, re hortaretur, neque quisquam ab eo quicquam peteret.* Mirum eſſet, ſi hunc Verres Praetor perditiſſimus ſine dolore caedi vellet. Et *in V. Act. in Verr. cap. 28. Statim tanquam coniuratio aliqua Agyrii contra Rempublicam facta, aut legatus Praetoris pulſatus eſſet, ita Agyrio magiſtratus et quinque primi accitu iſtius euocantur.* Liuius *lib. III. ab V. C. cap. 11. Aſſentiebantur multi pulſatos ſe querentes.* Idem *lib. XXXVIII. cap. 42. Eo anno L. Minutius Myrtilus, et L. Manlius, quod legatos Carthaginenſes pulſaſſe dicebantur, iuſſu Q. Terentii Praetoris vrbis per foeciales traditi legatis, et Carthaginem*

thaginem aduecti. Et *lib. XL. cap. 7. Ad has excipiendas voces speculator ex conuiuis Persei missus cum incautior obuersaretur, exceptus a iuuenibus forte triclinio egressis male mulctatur. Huius rei ignarus Demetrius: Quin comessatum, inquit, ad fratrem imus, et iram eius, si qua ex certamine residet, simplicitate et hilaritate nostra lenimus? Omnes se ire conclamant, praeter eos, qui speculatoris ab se pulsati praesentem vltionem metuebant.* Et paulo post: *Etsi causa apparebat, tamen infamandae rei causa ianuam obserari iubet.* Et mox *cap. 14. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo praeter eos, qui speculatorem tuum pulsarunt?* Virgilius VI. *Aen. 608.* 142

Hic quibus inuisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusue parens, aut fraus innexa clienti.

Tibullus *lib. I. El. 7. 79.* (al. 6. 73.)

Non ego te pulsare velim, sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.

Iuuenalis *Sat. XVI. 7.*

Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit „ne te pulsare togatus
Audeat, imo et si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos Praetori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.

Fit etiam *pulsatio sine dolore*, vt puta si clypeis aut thoracibus tecti pulsamur. Liuius *lib. XXXI. cap. 39. Itaque vt id vanum teli genus senserunt esse, saxis passim tota valle iacentibus incessebant hostem. Ea maiore cum sonitu, quam vulnere vllo, pulsatio scutorum, parumper succedentes Romanos tenuit.* Dicimur etiam *pulsare Deos*, cum ruptis foederibus illos laedimus. Virgilius XII. *Aen. 286.*

Pulsatos referens infecto foedere Diuos,

Et *pulsare muros* bellicis tormentis. Idem XII. *Aen. 706.*

—— *Quique imos pulsabant ariete muros.*

Et *fluctus scopulos* aut saxa *pulsant.* Ouidius I. *Metam. 310.*

Pulsabantque noui montana cacumina fluctus.

Virgil. III. *Aen. 555.*

Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa
Audimus longe.

Et *nerui sagittas pulsant*, quum eas emittunt. Idem IV. *Georg. 313*

—— *Aut vt neruo pulsante sagittae,*
Prima leues ineunt si quando praelia Parthi.

143 *Pulsamus tympana*, aut *citharas* Propert. *lib. III. El.* 15. (al. 16.) 33.

Mollia Dirceae pulsabunt tympana Thebae.

Virgil. IV. *Aen.* 647.

Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

Pulsamus terram, quum saltamus. Horatius *lib. I. Carm.* 37. 1.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus.

Ventus quoque *montes* imbre et grandine *pulsat.* Virgil. IV. *Aen.* 248.

Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri.

Boreas apud Ouidium VI. *Metam.* 692. *Et terras grandine pulso.* *Verber* autem a Valla recte definitur, vt sit *instrumentum longum et exile: cuiusmodi sunt virga, baculus, fustis, lora, flagellum, ferula, harundo, et quicquid est simile:* licet *verbera* pro ipsa *verberatione* plerunque capiantur. In frequentissimo tamen significatu cum singularis est numeri, pro *loro* ponitur. Virgil. III. *Georg.* 106.

—— *Illi instant verbere torto*

Et VII. *Aen.* 378.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo.

Tibullus I. *El.* 5. 3.

Namque agor, vt per plana citus sola verbere turbo.

Et I. *El.* 7. 51. (al. 6. 45.)

Haec vbi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam non amens verbera torta timet.

Verbera ad *alas* retulit Virgilius XII. *Aen.* 876.

Alarum verbera nosco.

Et *alis verberare* Plinius *lib. X. H. N. cap.* 4. de aquilis loquens: *Multum puluerem volutatu collectum insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans.* Horatius etiam *linguae verbera* tribuit III. *Carm.* 12. 2.

Aut exanimari metuentes patruae verbera linguae.

Ouidius ad *remos* transtulit III. *Metam.* 662.

Illi admirantes remorum in verbere perstant.

144 Hinc *verberare* proprie flagello, seu verbere, quamuis ad alia referatur. Plautus *in Aulular. IV.* 4. 4. *Quae te mala crux agitat? quid tibi mecum est commerci senex? quid me afflictas? quid*

quid me raptas? qua me cauſa verberas? Verberant proprie *ora* mulieres. Propertius II. *El.* 7. 47. (al. 9. 9.)

Nec non exanimem amplectens Bryſeis Achillem,
Candida veſana verberat ora manu.

Atqui et *ferrea virga* quem *verberari* ſcimus. Plinius *lib.* X. *H. N. cap.* 42. de psittaco: *Haec cum loqui diſcit, ferreo verberatur radio, non ſentit aliter ictus.* Quid mirum, ſi et bellica *tormenta muros verberant?* Cicero *Phil. VIII. cap.* 7. *Ante Conſules oculosque legatorum tormentis Mutinam verberauit.* Et *fretum littus verberat.* Ouidius III. *Faſt.* 567.

Fertilis eſt Melite ſterili vicina Coſyrae
Inſula, quam Libyci verberat vnde freti.

Et *aues aërem alis verberant.* Virgil. XI. *Aen.* 756.

—— Simul aethera verberat alis.

Et *equus aërem calcibus.* Idem X. *Aen.* 892.

Tollit ſe arrectum quadrupes, et calcibus auras Verberat.

Haſta quoque emiſſa *aërem verberat.* Virgil. IX. *Aen.* 411.

—— Haſta volans noctis diuerberat vmbras.

Et *imber terram.* Virgil. IX. *Aen.* 668.

Quantus ab occaſu veniens pluuialibus hoedis
Verberat imber humum,

Et *vineae a grandine verberantur.* Horatius III. *Carm.* 1. 29.

Nec verberatae grandine vineae.

Et *fluuium retibus verberamus.* Virgil. I. *Georg.* 141.

Atque alius funda latum iam verberat amnem

Sol, luna, imber, venti verberant. Plinius *lib. XIV. cap.* 21. *Campaniae nobiliſſima expoſita ſub diuo in cadis verberari ſole, luna, imbre, ventis aptiſſimum videtur.*

Flagella vero licet pro loris capiantur, *ſummae* etiam *arborum partes,* Seruio teſte, dicuntur, eo quod crebros ventorum flatus ſuſtineant. Virgilius II. *Georg.* 299.

—— —— Neue flagella
Summa pete, aut ſummas defringe ex arbore plantas.

Pro *loro.* Idem V. *Aen.* 578.

—— Signum clamore paratis
Epitides longe dedit, inſonuitque flagello. 145

Sed de his alii copioſius, meliusque agent. Nos paucis contenti hoc oſtendimus, non eſſe apud Latinos autores inter *verberationem* et *pulſationem* eam differentiam, quae ab Offilio et Vlpiano, et vtriusque defenſore Alciato traditur.

DEFENSOR AD CAP. XLVII.

Rurſus hic Laurentius Vlpianum et Offilium in *pulſandi verberandique* differentia reprehendit: pene dixerim ὡς Ἀθήναν. Primum oſtendit, *verberare non eſſe cum dolore caedere,* quod etiam frumenta verberentur. Subtiliter ſane. Sed non vides, hic non de frumentis aut aliis rebus inanimis, ſed de pulſandis verberandiſue hominibus agi, qui non poſſunt verbere vel flagro caedi ſine dolore. An vero ignoraſſe Offilium cenſes, vel ipſum etiam Vlpianum, *verberandi* vocabulum a *verbere* deduci, aut quid eſſet *verber* neſciſſe? cum vtrumque diſcere potueris a Conſultis in *l. ſi ex plagis. 52. §. 1. D. ad Leg. Aquil.* ex quo etiam loco inter *verberis* ſpecies *dolonem* recenſere debebas. Sed cum ageretur de interpretanda Lege Cornelia Iniuriarum, quae non niſi in homines ſenſus capaces cadere poſſunt, dixit Offilius *verberare,* quod eſt verbere caedere, *eſſe cum dolore caedere.* Illud vero tuum, *pulſare eſſe graui et*
146 *vehementi ictu caedere,* et *pulſationem plerumque fieri in facie,* vnde ſumpſeris, aut quo iure tibi ſumpſeris, non video. Nullo enim id teſtimonio confirmas: et *pulſari* quem etiam *manu* notius eſt, quam vt confirmatione egeat. Ductum quidem eſſe *pulſare* a *pello* nemo non videt. Sed *pellere* non eſt proprie percutere aut ferire (quanquam eo per translationem trahitur) ſed eius vis ac ſignificatio magis ex compoſitis

positis cognosci potest, *repellere, propellere, dispellere:* vt sit *pellere* idem, quod nostrum *chasser*. *Pulsare* vero idem est, atque *propellere*, Gallice *poulser, repoulser*, aut, si frequentatiua illa magis arridet inclinatio, *frequenter pellere*. Haec si Vlpiano vel Offilio ignorata fuisse credis, longe falleris: qui cum aiunt, *pulsare esse sine dolore*, sic intelligunt: *pulsandi* verbum generalius esse, et cum vel *manu* quis *pulsari* possit, id est, repelli, quod nos *poulser de la main* dicimus, *pulsatum* quem intelligi [1] *etiam sine dolore:* at *verberari*, id est, *verbere caedi, neminem sine dolore posse*. Caeterum 147

I 3 hoc

[1] *Etiam sine dolore*] Hanc interpretationem verborum Offilii non adspernandam arbitror, nec tam stricte accipienda verba Iurisconsulti, quasi is velit, *pulsationem* semper sine vllo dolore fieri. Ac fortassis nihil aliud dicere voluit, quam *pulsare* leuius esse, quam *verberare:* eo quod vix aliquis *verberari* possit, nisi *cum dolore*, *pulsari* vero, vt Defensor ait, *etiam sine dolore.* Etenim si quis scutica, loris, virgis, aliisque, ad quae vocabulum *verberare* extenditur, caedatur, id vel raro, vel numquam ita fieri potest, vt ex eo dolor non sentiatur, cum etiam nonnullos virgis ac fustibus ita caesos legimus, vt inter verbera exspirauerint. At *pulsari* saepe ita quis potest, vt in eo nullus, vel non magnus dolor insit, vt si per petulantiam, aut in contentione, manu, vel cubito impulsus, euersusue, aut calce percussus fuerit. Ad haec enim, et quae sunt his similia, verbum *pulsare* proprie pertinere, origo illius ostendit, vt etiam Defensor monet. Quidquid est, hoc saltem verum mihi videtur, vt in multis aliorum scriptorum locis, ita et in Lege Cornelia *de Iniuriis, verberare* grauius quiddam esse, quam *pulsare* Sed in communi vsu loquendi hoc non seruatur. Sic quod erat in Legibus Regiis apud Festum *in plorare: Si parentem puer verberit*, Virgilius VI. *Aen. 609* et Quintilian. *Declam. CCCLVIII. CCCLXXII.* et alibi *parentem pulsare* dicunt, et *l. 4. §. 13. D. Vi bonor. rapt. pulsare* et *verberare* promiscue vsurpantur.

hoc ita verum esse, si verborum originem atque proprietatem spectemus: at in vsu communi *pulsandi verberandique* verba confundi, ac pro eodem sumi solere, vt hic [2] in Lege Cornelia
148 *l. 5. princ. D. de Iniur. Lex Cornelia de Iniuriis competit ei, qui iniuriarum agere volet, ob eam rem, quod se pulsatum verberatumue, domumue suam vi introitam esse dicat.* Ad idem facit *l. 4. §. 13. D. Vi bonor. rapt.* Ex quo vsu forensi haec duo verba coniunxisse videtur Cicero *Act V. in Verr. cap. 26. Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios et verberari.* Et *in VII. cap. 54. Sex lictores circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi.* Sed de his plus satis.

VAL-

[2] *In Lege Cornelia*] Hic sine causa recedit ab Vlpiano, qui *d. l. 5. pr.* disertis verbis docet, haec in Lege Cornelia distingui. *Lex itaque Cornelia*, inquit, *ex tribus causis dedit actionem, quod quis pulsatus, verberatusue, domusue eius vi introita sit.* Et Paulus *libro singulari de Iniuriis in Collat. Leg. Mosaic. et Roman. Tit. II. Qui autem iniuriarum in quid aget, certum dicat, quid iniuriae factum sit.* Et mox: *Certum non dicit, qui dicit pulsatum, si sit verberatus; sed et partem corporis demonstrat, et quem in modum, pugno puta, an fuste, an lapide.* Apud Ciceronem quoque, quem pro eodem dixisse *pulsare* et *verberare*, Defensor ait, haec distincta inter se esse arbitror. Nam *pulsare* dicuntur lictores submouentes turbam, quod saepe cum vi quadam et impetu fiebat, vt etiam nonnunquam obuii deicerentur. Festus v. *matronae: Matronae a Magistratibus non submouebantur ne pulsari contrectarine viderentur, neue grauidae concuterentur* Senec. *Ep. XCIV. Non est, quod feliciorem eum iudices, cui submouetur, quam quem lictor semita deiicit.* vid. Lips. I. *Elect. 22. Verberare* autem est virgis caedere, vt in illo Liuii I. 26. *Verberato vel intra pomoerium, vel extra pomoerium.* Cicero *pro Rabir. Cap. III. De ciuibus Rom. contra Legem Porciam verberatis, aut necatis.* Et mox *Cap. IV. Porcia Lex virgas ab omnium ciuium Rom. corpore amouit.* Liuius XXII. 57. *Eo vsque virgis in comitio caesus erat, vt inter verbera exspiraret.*

VALLA CAP. XLVIII.

In eosdem de Pellex, *et* Pallace.

Pellicem apud antiquos Maſurius, [1] Paulo teſtante, *ſcribit libro Memorialium, eam habitam, quae quum vxor non eſſet, cum aliquo tamen viuebat: eamque nunc vero nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam appellari. C. Flaccus in libro de Iure Papiriano ſcribit, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor ſit, corpus miſceat, ſecundum quosdam eam, quae* 149
vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam Graeci παλλακὴν *vocant.* Horum vtrumque vere ſenſiſſe et dixiſſe arbitror. Sed tamen pro ſuſcepti oneris officio admonere debere, *pellicem* apud Oratores et Poëtas eam demum haberi, *quae cum eo, cui vxor eſt, corpus miſcet.* Ideoque Iuno ſemper, proſequitur pellices, quae ſibi vxori Iouem praeriperent. Vnde Plinius [2] *lib. XXXV.* verbo Graeco maluit vti, cum de Alexandro loqueretur, quem conſtat eo tempore coelibem fuiſſe, cum Apellem ſcorto donauit, quam veteri (ſi verum eſt) Latino, *pallace* potius, quam *pellice.* Ita autem ait: *Namque cum dilectam ſibi ex pallacis ſuis praecipue, nomine Campaſpen, nudam pingi ob admirationem formae ab Apelle iuſſiſſet.* Quo fit, vt [3] Curtium, vbi de eodem Alexandro, et aliis

1 *Paulo*] *l. 144. ff. de Verb. ſign.*

2 *Lib. XXXV.*] *Cap. 10. C.*

3 *Curtium*] vid. quae notantur *ad Defenſ. n. 3.*

loquitur, caeterosque ſcriptores opiner *pallacem* potius, quam *pellicem* pro *concubina coelibis* hominis dixiſſe, culpaque librariorum in editionibus eſſe vitiatum. Suetonius de [4] Veſpaſiano loquens *pallacarum* dixit, non *pellicum*. Et alibi quoque: et T. Liuius, multique alii Graeco nomine vtuntur. Sin aliter inuenitur, librariorum, vt dixi, vitio dandum eſt. Cuius rei hoc argumentum eſt, quod non recte quis dicitur *habere pellicem*, ſed [5] *vxorem*. Et eſt nomen relatiuum ad alterius vxorem, cuius cum viro rem habet, non autem ad maſculum: nec recte dicturos fuiſſe reor Oratores illos, qui *pallacem* dixerunt, ſi *pellicem* dixiſſent, vt patet.

4 *Veſpaſiano*] *Cap. XXI. C.*
5 *Vxorem*] *Vxor*, Ed. Gryph. Steph. et Colin. C.

ALCIATVS AD CAP. XLVIII.

Maſurii Sabini ſententiam non omnino videtur ſequi, *pellicem* pro *concubina* accipientis, quod apud Oratores *pellex* dicatur, *quae cum eo cui vxor ſit, iungitur*. Sed ego veram quoque Sabini ſententiam arbitror; ſiue enim a Graeco παλλακὴ veniat, ſiue Latina ſit vox a *pelliciendo*, quod autoritate Plauti *in Poenulo V. 5. 31.* magis probo, qui *allex viri*, ab *alliciendo* dixit, vtraque etymologia interpretationi Sabini conuenit, cui et Q. Curtii et Iuſtini autoritas accedit, quorum veterem ſcripturam interpolauere plerique Vallam ſecuti: cum eos ex antiquis codicibus conſtet *pellicum* ſcripſiſſe non *pallacarum*, quae vox ante Plinium et Tranquillum in ſermone Latino nulla erat; in Graeco vero non aliud ſignificat, quam *pellicem*; vt appareat, Vallam, quique ei conſentanea tradiderunt, *pellicis* ſignificationem non ex autoribus accepiſſe, ſed regula plane Lesbia vſos autores ipſos inuertiſſe, vt id, quod ipſi ſentiebant, atteſtarentur.

IDEM *ad l. 144. D. de Verb. ſign.*

Explicat Iuriſconſultus *pellicis* ſignificationem, oſtenditque ex Maſurii Sabini ſententia, eo nomine accipi, *quae*

citra

citra matrimonium cum aliquo consuescat, domique retineatur: subiicitque vulgo sic accipi, *quae cum eo se misceat, cui sit vxor.* Sed priorem interpretationem nobilissimi Grammaticorum Valla et Perottus non recipiunt; quoniam Latine a viris dici non arbitrantur, *haec est pellex mea*, sed ab vxoribus potius. Hinc Philomela apud Ouidium VI. *Metam.* 151
537. se *pellicem sororis* dicit, et apud Senecam Tragicum Iunone (1) *credere pellicibus* ait: vt manifeste appareat, *pellicem* non dici nisi vxoris respectu, forteque a *pellendo*, quod maritus ad expellendas vxores compellat, quod si apud aliquos autores aliter legatur, vt apud Plinium, Curtium, Tranquillum, corruptos codices vitio librariorum contendunt, et non *pellices*, sed *pallacas*, quae Graeca vox est, legendum autumant. Verum penes me antiquior est Masurii autoritas, quem et *in Satyra V. 90.* Persius celebrat, et apud Graecos (2) Athenaeus. Nam et Nonius Marcellus v. *pellicis*, *pellicem* esse, quam Graeci παλλακὴν vocant, cum Iurisconsulto opinatur, vt merito eiusdem significationis vtraque vox sit. Sed et Martialis IX. *Ep.* 42. Ponticum deludit, *pellice laeua* vtentem: quem locum ne corruptum credamus ratio carminis manifesto argumento est: qui si Vallae sententia probaretur, nimis dura et barbara translatione vsus esset. Satius est ergo Iurisconsulti expositionem sequi, et vtramque interpretationem defendere.

1 *Credere*] Forte, *cedere.* Nam respicit, ni fallor, ad ea, quae Iuno dicit *Herc. Fur.* *vers.* 4. *Locumque, coela pulsa, pellicibus dedi. Tellus colenda est, pellices coelum tenent.*

2 *Athenaeus*] vid. not. *ad Defensor.*

FLORIDVS AD CAP. XLVIII.

Ab Alciato tam aperte dissentio, vt et ipsum et Massurium errasse libere profitear: tantum abest, vt Vallam non ex autoribus *pellicis* significationem accepisse, sed Lesbia regula vsum autores inuertisse credam. Siquidem quod *pellicem eam ab antiquis habitam*, scribit Massurius, *quae cum vxor non esset, cum aliquo tamen viuebat, quaeque nunc vero nomine amica, paulo honestiore concubina appelletur*, si Latinis autoribus credimus, est singulare erratum, quin potius eam esse *pellicem*, *quae cum vxorem habente corpus misceat*, non veteres solum, sed et alii omnes testantur. Nam et Sextus Pompeius de veterum verborum significatione v. *pellices*, ita inquit: *Atqui eam proprie pellicem nominabant, quae vxorem habenti nubebat.* Quid est his verbis clarius? aut quid magis Massurii sententiae contrarium? Aulus item Gellius 152

Noct. Att. lib. IV. cap. 3. ſic ait: *Pellicem autem appellatam probroſamque habitam, quae iuncta conſuetaque eſſet cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret, hac antiquiſſima lege oſtenditur, quam Regis Numae fuiſſe credimus:* PELLEX AEDEM IVNONIS NE TANGITO: SI TANGET, IVNONI CRINIBVS DIMISSIS AGNVM FOEMINAM CAEDITO. Non de antiquis ſed de antiquiſſimis ſcilicet loquitur Gellius. Quid quod veteres ſcriptores eam, quae cum illo cui vxor eſſet, ſe miſceret, *pellicem* tantum appellauerunt? Plautum ſane nemo antiquum eſſe negabit. At apud eum *in Mercatore IV. 1. 23.* ita alloquitur matremfamilias *ancilla: I hac mecum, vt videas ſimul tuam Alcumenam pellicem Iuno mea.* Et (1) inferius ipſa materfamilias: *Bellulam iſtam pellicem mei non patiuntur oculi.* Idem *in Rudente IV. 4. 1. Cupio aedepol, quanquam vobis quae vultis mulieres, metuo propter vos, ne vxor mea me extrudat aedibus, quae me pellices adduxiſſe dicet ante oculos ſuos.* Caecilium quoque antiquum ſcriptorem, licet omnes eius comoediae exciderint, in eodem tamen ſignificatu *pellicem* poſuiſſe ex quibusdam verſibus, qui apud Gellium *lib. II. N. A. cap. 23.* leguntur, plane intelligimus. Eos hic apponam. Loquitur autem ſenex de vxore:

—— Ea me clam ſe cum mea ancilla ait
Conſuetum, id me arguit, ita plorando orando,
Inſtando atque obiurgando me obtudit, vti eam
Venundarem: nunc credo inter ſuas aequales
Et cognatas ſermonem fecit: quae noſtrarum fuit integra aetatula,
Quae hoc itidem a viro impetrauit ſuo, quod ego anus modo
Effeci, pellice vt meum priuarem virum?

Iam hi duo non antiqui, ſed prope antiquiſſimi poëtae, non ita *pellicis* vocabulo vſi ſunt, vt inquit Maſſurius. Eosdem etiam ſecuti ſunt Latini omnes. Cicero *pro A. Cluentio Cap. LXX. Atque etiam nomina neceſſitudinum, non ſolum naturae nomen et iura immutauit, vxor generi, nouerca filii, filiae pellex.* Idem II. *Officior. cap.* 7. de Alexandro Pheraeo loquens: *Nec eum fefellit opinio, ab ea eſt enim ipſe* (Theben eius vxorem intelligit) *propter pellicatus ſuſpicionem interfectus.* Salluſtius *in Ciceronem Cap. II. Filia matri pellex.*
153 Propertius *lib. III. Eleg. 21. 35.*

Cornua nec valuit mutare in pellice Iuno.

Horatius in *Epodis 3. 13.* de Medea loquens:

Hoc

1 *Inferius*] In ſuppoſitis *Sc. Syra V.* 4. poſt Act. IV. ſc. 5.

Hoc delibutis vlta donis pellicem,
Serpente ſugit alite.

Et paulo poſt *Epod 5. 63.*

Quibus ſuperba ſugit, vlta pellicem,
Magni Creontis filiam.

Liuius *lib. XXXIX. cap. 53.* de Demetrio Philippi filio: *Nam etſi minor aetate quam Perſeus eſſet, hunc tamen iuſta matrefamilias, illum pellice ortum eſſe.* Ouidius I. *Metam. 622.* de Iunone:

Pellice donata, non protinus exuit omnem
Diua metum.

Et II. *Metam. 508.*

Intumuit Iuno, poſtquam inter ſidera pellex
Fulſit.

Idem VI. *Faſtor. 487.*

Intumuit Iuno, rapta quod pellice natum
Educet, at ſanguis ille ſororis erat.

Et II. *Triſt. 291.*

Proxima adoranti Iunonis templa ſubibit
Pellicibus multis indoluiſſe Deam.

Denique quis vnquam Latinus aliter *pellicem* accipit? Hinc Plinius, Suetoniusque de iis mulieribus loquentes, quae cum vxorem non habentibus corpus miſcebant, Graeca voce vti maluerunt. Quod etiam Q. Curtio credendum eſt: nam Iuſtinum nihil moror. Quin ſi Q. Curtium, et Iuſtinum, Alexandri, aliorumque, cum coelibes eſſent, concubinas *pellices* appellaſſe pro comperto haberemus, eos parum latine locutos fuiſſe aſſerere non dubitarem: nempe quod Romanis omnibus autoribus aduerſatil eſſent. Ac ſi iis illud quomodocunque concederetur, non protinus recte ſenſiſſet Maſſurius, qui de antiquis locutus eſt, cum multos poſt eum annos vixerint duo illi hiſtoriae autores. Quod autem nimis barbaram ac duram Martialis translationem, ſi probanda eſſet Vallae ſententia, videri poſſe ſubdit Alciatus, quid mirum eſt, ſi duro poëtae durae translationes arriſerint? aut quis vnquam poëtis aliquem in translationibus modum praefixit? Nonne durior eſt illa *in Eunucho* Terentiana, cum II. 3. 64. ait: *Illumne obſecro inhoneſtum hominem, quem*
mercatus eſt heri, ſenem, mulierem? Tum quod cum Iure- 154
conſulto Nonium Marcellum, qui *pellicem* eſſe dixit, quam Graeci παλλακὴν vocant, ſentire addit, nemini cordato perſuaderi poteſt. Licet enim a Graeco forte deduceretur, non tamen

tamen ea voce Latini, vt Graeci, vſi ſunt. Noſtri enim vxorem habentibus *pellices* tribuerunt, illi vero omnibus absque diſcrimine. Sed ego, inquit Alciatus, Maſſurio magis credo, quem apud Latinos Perſius in Satyra, apud Graecos Athenaeus celebrauit. Quid? obſecro te, an non aliquando dormitare potuit, qui a Perſio Athenaeoque celebratur? Quis Ciceronem laudat magis, quam Fabius Quintilianus? An tamen ab eo minus libere diſſentit? Ego ſane Maſſurium doctiſſimum virum, et Iuris eundem conſultiſſimum fuiſſe ſcirem, ſi nec a Perſio, nec ab Athenaeo vtique vnquam fuiſſet laudatus. Iam quod *pellicem* Alciatus non a Graeca voce *παλλακή*, ſed a *pelliciendo* deduci autumat, quod et Plauti *in Poenulo* teſtimonio probat, qui *allex viri* ab *alliciendo* dixerit, fallitur quidem, et Plauti locum (praefatus veniam dixero) non intelligit, quodque eſt ridiculum, idem ait negatque. Enim vero ſi cum Maſſurio Nonium Marcellum ſentire ſcribit, qui a Graeca voce *pellicem* dici aſſerat, cur eundem improbat, et a *peliciendo pellicem* deducit? Atqui confirmat Nonii ſententiam A. Gellius, qui *lib. IV. Noct. cap. 3.* ita ſcribit: *Pellex autem quaſi πάλλαξ, id eſt, quaſi παλλακίς, vt pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Graeco flexum eſt.* *Allex* vero ab *alliciendo* in Plauto nunquam legitur: quamuis *illex* ab *illicio* non ſemel vſurparit. (2) *In Aſinaria* namque I. 3. 68. *Eſca*, inquit, *eſt meretrix*, *lectus illex eſt.* Et *in Perſa III. 3. 3. Eho tu ſterquilinium publicum, impure, inhoneſte, iniurie, illex, labes populi.* Et *in Poenulo III. 4 35. Quando illi malae rei ante fuimus illices.* *Allex* porro in omnibus Plauti fabulis, ſi Poenulum excipias, nunquam legitur, in eoque ſemel tantum, quum ait V. 5. 30. *Ligula i hinc in malam crucem. Tune etiam amator audes eſſe allex viri? aut contrectare, quod mares homines amant? deglupta, mena, ſerapis, ſenicinctium, manſtruga, balagoras. Aman, tu autem, plenior allii vlpici, quam ſint Romani remiges?* Quo in loco vt *allex viri* ab *alliciendo* non deducatur, ſciendum eſt ea verba a milite Anthemonide in Hannonem Poenum dici,
155 qui Anteraſtilem Adelphaſiumque fratris filias caſu repertas oſculabatur. Cum igitur vir eſſet, et ſenex quidem, cui haec a milite occinerentur, quomodo vir virum allicere poteſt? Proinde alia eſt eius vocis ſignificatio, vt *alex viri* pro

(3) *ſex*

2 *In Aſinaria*] Hic plerique *illix* ediderunt, ſecuti Nonium, qui *h. v.* ita ſcribit: *Illix et illex hoc diſcernuntur; ab illiciendo illix; illex vero, a quo lex non ſeruetur.* Subiicitque loca Plauti e *Poenulo* et *Perſa*, quae Floridus hic profert, et *illex* in *Perſa* exponit *viuens ſine lege, ſine iure.*

(3) *fex viri* ibi sit positum: quasi dicat, *Tune etiam amator audes esse, non vir, sed fex viri?* Est autem *alex* muriae vitium, seu fex. Plinius *lib. XXXI N. H. cap. 8.* de alece ita scribit: *Laudantur et Clazomenae garo, Pompeiique, et Leptis, sicut muria Antipolis ac Thurii, iam vero et Dalmatia. Vitium huius est alex, imperfecta, nec colata fex. Coepit tamen et priuatim ex inutili pisciculo, minimoque confici, apuam nostri, aphyen Graeci vocant, quoniam is pisciculus ex pluuia nascitur. Foroiulienses piscem, ex quo faciunt, lupum appellant.* Et paulo post: *Sic alex peruenit ad ostreas, echinos, vrticas, camaros, mullorum iocinora.* Et subdit: *Haec obiter indicata sint desideriis vitae, et ipsa tamen nonnulli vsus in medendo. Namque et alece scabies pectoris sanatur, infusa super cutem incisam, et contra canis morsus, draconisque marini prodest.* Et *lib. XXXII. cap. 10. Alex deferuefacta vnguium scabriciem, cinisque e capite menarum extenuat.* Plautus itaque ab *alliciendo allicem* nunquam deduxit. Nec *pellex* a *pelliciendo* descendit, licet aliter sentiat Alciatus: cui vt plurimum defero, ita suam quemque omnibus in rebus sententiam proferre aequum censeo, vt amicus sit Plato, amicus et Socrates, sed magis amica veritas.

3 *Fex viri*] Etiam alios viros doctos hoc ita accepisse, intelligimus e commentariis Interpretum Plautinorum. Salmasius in nota, quae in Edit. Gronou. huic loco adscribitur, *hallex* (ita enim editur in Plauto, non *allex*, nec *alex*) *viri* exponit de paruo homuncione, *quasi pollex viri, qui non grandior esset pollice.* Nam *hallus et hallex*, ait, *est pollex pedis antiqua lingua Romana:* de quo vid. Fest. in *allus* et *hallus*, ibique Scaliger. et Voss. *in Etymol. v. alucinari.*

DEFENSOR AD CAP. XLVIII. 156

Quid hic nobis Oratores et Poëtas profers, et huius differentiae authores laudas? quasi vero melius hi sciuerint, quid sit *pellex* aut *παλλακὴ*, quam Iureconsulti, quorum propria est ea quaestio, et subiecta materia. At [1] ne dubites

1 Ne *dubites*] Valla cum ait Plinium maluisse vti vocabulo Graeco *pallaca*, quam veteri, *si verum est*, Latino *pellex*, non tam indicat se dubitare an *pellex* a Graeca origine sit, quam an deriuetur a *pelliciendo*, aut a *pellendo*, vt quidam volunt.

dubites *pellex* non vetus Latinum esse verbum, sed Graecum, aut e Graeco ductum, audi quid Agellius *lib. IV. cap. 3.* ex veterum prudentum authoritate de eo scripserit: *Pellex,* inquit, *quasi* *πάλλαξ*, *id est, quasi παλλακὶς, vt plaeraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Graeco flexum est.* Haec Agellius, qui et Seruium Sulpitium *in libro de Dotibus* authorem citat, et antiquissimam Numae legem profert, cuius versus est: PELLEX AEDEM IVNONIS NE TANGITO. SI TANGIT, IVNONI CRINIBVS DIMISSIS AGNVM FOEMINAM CAEDITO. Sed et Nonius Marcellus *pellicem* esse, quam Graeci *παλλακὴν*, cum Paulo et [2] C. Flacco testatur.
157 Quos duos authores si legisses, nunquam dubitasses *pellex* vetus Latinum, an a Graeco flexum fuisset. Mirum autem te tanto reprehendendi studio teneri, vt malis [3] Curtii lectionem, aliorumque,

2 *C. Flacco*] In Florentino libro *Granius Flaccus* vocatur, quam lectionem e Festo, Macrobio, et Arnobio confirmant Cuiacius, et alii. Etiam Censorinus *Cap. III.* memorat *Granii Flacci* librum *de Indigitamentis*, ad Caesarem; vbi itidem nonnullae Edit. *Caium Flaccum* exhibent. De *Granii* huius *Flacci* aetate Bertrandus et Grotius nihil dixerunt, quae ex hoc loco Censorini, si modo idem est apud eum *Granius*, qui apud Paulum, quod mihi non dissimile vero videtur, constitui potest.

3 *Curtii*] Curtius *pellices Alexandri* et *militum* memorat *lib. V. cap. 7. lib. VI. cap. 6.* et *lib. X. cap. 2.* Sed corruptam apud eum scripturam esse, et *pallacas* reponendas pro *pellicibus*, praeter Vallam et Floridum etiam Budaeus *ad l. 2. D. de Orig. Iur.* et Marcell. Donat. *Dilucidation. ad Sueton. Vespas. Cap. XXI.* existimant. Freinshemius *Indic. Curt.* cum Alciato sentit, et differentiam, quam illi inter *pellices* et *pallacas* statuunt, subtiliorem esse putat, quam veriorem.

rumque, qui *pellicem* pro *concubina* vſurparunt,
tanquam corruptam et librariorum culpa vitia-
tam arguere, quam id quod verum eſt agnoſce-
re, indifferenter his vocibus veteres vſos. Quid
quod Martialis IX. *Epigr. 42.* Ponticum irridet
vtentem *pellice laeua?* An Ponticum vxoratum 158
fuiſſe dices? aut ſi vxorem habuiſſet, tam bar-
bara et inſuaui Venere vſurum cenſes? Itaque
ſi nominis antiquam ſignificationem quaerimus,
Maſurio Sabino, non leuis authoritatis Con-
ſulto, quem et *in Satyris* Perſius, et *in Dipno-
ſophiſtis* [4] Athenaeus celebrant, potius aſſentiar,
quam

riorem. Atque haec ſententia mihi videtur confirmari poſſe e verbis Granii Flacci apud Paulum *in l. 144. de V. S.* qui nullam huius diſcriminis mentionem facit, ſed vnam vocem *pellex* dupliciter acceptam fuiſſe dicit, vulgo quidem pro ea, quae corpus miſceret cum eo, cui vxor non eſſet, a quibusdam autem pro concubina vxorem non habentis. Vnde fere ſuſpicor poſteriorem vſum huius vocabuli Granii aetate non valde frequentem fuiſſe, ſed deinde paulatim ita inualuiſſe, vt vulgo *pellex* ſine diſcrimine diceretur et eius, qui vxorem haberet, et qui non haberet. Quod autem Valla ſcribit etiam a Liuio, et aliis concubinas coelibum *pallacas* vocari, non *pellices*, id ei, cum loca illorum non adferat, atque inſuper Floridus, alioqui pleno ſacco veterum teſtimonia effundere ſolitus, de ea re ſileat, non credo.

4 *Athenaeus*] *lib. XIV. cap. 5.* Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος, καὶ σοφὸς, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος, καὶ περὶ Μουσικὴν ἐνδιατρίβων ἀεὶ. Vid. etiam *Argument. Operis*, et *lib. V.* qui nihil fere aliud, quam Maſurii ſermones continet. Haec de Maſurio Sabino, cuius frequens eſt in libris Iuris, et apud alios ſcriptores mentio, etiam Cuiac. *ad l. 144. D. de V. S.* Forner. *ad l. 159. eod.* Bertrandus et Grotius *in Vitis Iuriſconſ.* aliique accipiunt. In quo illis, quod mihi cum bona venia virorum doctiſſimorum dicere liceat, nondum poſſum adſentiri. Nam cum Athenaeus ſermones Dipnoſophiſtarum in conuiuio apud Larenſem habitos fingat, Larenſis autem ſub Marco, vt eſt *in princ. lib. I. Dipnoſ.* ac Maſu-

quam tibi, [5] *pellicem* idem esse cum *amica* vel *concubina*, quae Graece πάλλαξ vel παλλακή
159 vocatur: maxime cum in ea re Agellius et Nonius Marcellus ei subscribant. Sin vulgi vsum et proprietatem, cum C. Flacco concedam *pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor sit, corpus misceat*: eosque, qui hac significatione vterentur, a *pellendo* deduxisse, quod vxorem matremfamilias thoro pelleret. Nam et Festus Pompeius scribit, *pellicem eam antiquos proprie nominasse, quae vxorem habenti nubebat*, et Agellius loco supra citato, *pellicem eam appellatam probrosamque habitam, quae iuncta consuetaque esset cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii causa foret.*

VAL-

Masurius Sabinus sub Tiberio floruerit, non perspicio, qua veri specie Masurius plus saeculo postquam diem suum obiisse debuit, in hoc conuiuium induci potuerit: praesertim cum in eo homines quidam, quorum alii vix, alii nullo pacto ab eo cognosci potuerunt, vt Plutarchus Chaeronensis, Oppianus, et alii a conuiuis memorentur.

5 *Pellicem idem esse*] Haec interpretatio verborum Masurii mihi obscura est, et non multum videtur valere ad refellenda argumenta, quibus aduersus eum pugnat Floridus. Nam si apud illum *concubina* est, quae viuit cum coelibe, vt Defensor, et plures cum eo dicunt, eademque ab antiquis *pellex* appellata fuit, alterutrum sequi necesse est; vel vt falsum sit, quod Festus et Gellius tradiderunt, *pellicem* iam Numae tempore dictam fuisse, quae consueta esset cum eo, qui vxorem haberet; vel vt Masurius per antiquos non antiquissimos, sed eos, qui insecutis deinceps temporibus vixerunt, intellexerit: quorum ego me neutrum posse ostendere, dissimulare non volo.

VALLA CAP. XLIX.

In eosdem de Cauillatio.

[1] *Natura cauillationis, quam Graeci* [2] *σκῶμμα appellauerunt, haec est, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quae* 160
euidenter falsa sunt, perducatur. Haec [3] duobus in locis Vlpianus. [4] Caius autem inquit: *Si* [5] *calumnietur, et moretur, et frustretur. Inde calumniatores appellati sunt, qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus. Inde et cauillatio dicta est.* Caius nullam fecit mentionem de euidenter veris, aut euidenter falsis, nec de breuitate. Nec puto faciendam fuisse, cum plerumque *cauillatio* sit tecta et insidiosa, multisque ac longis frequenter ambagibus vtens, et quae vix ab acutis deprehendatur. Quare *cauillatio* est subdola ratio, quam nos conscii nobis mendacii, vicendi tamen causa, proferimus. In hunc sensum semper Iurisconsulti vsi sunt, et Quintiliani fere seculum. Cicero autem pro genere quodam facetiarum, et hunc imitatus A. Gellius. T. Liuius vtroque modo. Ipse quoque Cicero diffinit [6] *lib. II. de Oratore* dicens: *Etenim quum duo sint genera facetia-*

1 *Natura*] *l. 177. D. de Verb. sign.*
2 *Σκῶμμα*] *Σόφισμα*, Ed. Colin. C.
3 *Duobus*] vid. *ad Defensor. n. 3.*
4 *Caius*] *l. 233. D de V. S.*
5 *Calumnietur*] *Caluitur.* Marg. Ed. Colin. C.
6 *Lib. II.*] *Cap. 54.*

facetiarum, alterum aequaliter in omni ſermone
ſalſum, alterum peracutum et breue: ſuperior
cauillatio, altera dicacitas nominata eſt. Caete-
rum Caius videtur ſentire idem eſſe *calumniari*
et *cauillari.* Quod non ſentit [7] Martianus, tan-
161 tum, accuſatori tribuens *calumniari*, cum ait:
Calumniari eſſe falſa crimina intendere, quod
per Legem illam declaratur [8] *XII. Tabul. Ca-*
lumniator idem patiatur, quod reus, ſi con-
uictus eſſet.

7 *Martianus*] *l. 1. §. 1. D. ad Senatuſc. Turpill.*

8 *XII. Tabul*] Haec Valla hauſit ex *argumento XI. Declam.* Quintiliani, vbi ita ſcribitur: *Erant enim leges, vt proditor morte puniretur, et calumniator idem pateretur, quod reus, ſi conuictus eſſet.* Sed inde non liquet hoc Legibus XII. *Tab.* cautum fuiſſe.

ALCIATVS AD CAP. XLIX.

Caium oblique perſtringit, qui ſentire videatur, idem eſſe *cauillari* et *calumniari:* ſed quomodo hoc Valla collegerit, non video, cum enim (1) *caluiri* verbum apud veteres eſſet *fruſtrari*, metaphora a caluis militibus ducta, quamvis et *cauillatio* et *calumnia* inde deducantur, non tamen conſequens eſt, alterum cum altero idem eſſe: ſicut cum dicimus, a *verto* fit *verſus*, *verſura*, non ſequitur *verſuram* idem quod *verſum* eſſe. Rurſus impetit Vlpianum, quoniam *cauillatio* dicatur, etiamſi ab euidenter veris ad falſa non fiat tranſitus. Reſpondeo, Vlpianum loqui, quando *cauillatio* pro argumento ſophiſtico accipitur, quod Graece non *σκῶμμα*, vt ipſe credidit, ſed *σόφισμα* eſt.

1 *Caluiri*] Vnde hoc ſumſerit Alciatus non ſcio, nec vidi praeter eum, qui aliter dixerint, quam *calui.*

FLORIDVS AD CAP. XLIX.

Quomodo Valla idem eſſe *cauillari* et *calumniari* collegerit, non videt Alciatus. (1) *Cum enim caluiri,* cet. Non minus

1 *Cum enim*] Hic repetebantur a Florido Alciati verba, quae ſupra leguntur.

minus hinc exultat Alciatus, quam si Vallam manifestissimo 162
crimine teneret. Sed non videt hoc sibi praecipue illum voluisse, vt quomodo *cauillatio* apud Iureconsultos, quomodo item apud Oratores capiatur, declararet, atque obiter *scommatis* definitionem non exacte ab Vlpiano traditam fuisse ostenderet. Ita quidem, si recte *in libro de Verborum significatione* ex Vlpiani sententia legeretur, *naturam cauillationis, quam Graeci σκῶμμα appellauerunt, hanc esse, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quae falsa sint, perducatur.* Quod si ipse pro *scommate σόφισμα* legit, eaque vera sit Vlpiani verborum sententia, non peruenit ad Iureconsultum Vallae reprehensio, quanquam nec ipse (2) Alciatus a multis διαβολὴν eo in loco repositam fuisse negat: nam et in multis antiquis codicibus pro *sophismate γοητεία* legitur, quod verbum pro quacunque fraude accipi potest. Non igitur Vlpiani locum restituit Valla, sed exemplaris, quod ei in manibus erat, fidem secutus est, in quo si σκῶμμα legatur, merito carpetur Vlpianus, cum in eo nec de euidenter veris, aut euidenter falsis, nec de breuitate vtique facienda sit mentio, et sit plerumque *cauillatio*, vt ipse ait, *tecta, et insidiosa, multisque ac longis frequenter ambagibus vtens, quaeque vix ab acutis deprehenditur:* quod etiam in ipsis *sophismatibus* nonnunquam fieri solet. *Cauillari* autem plura significare, non negat Alciatus, Vlpiani verba enarrans. Ait enim: *Cauillatur, qui breuiter et false aduersarium sermone captat, aut irridet: cauillatur, qui sciens, vt suam sententiam tueatur, falsa prodit. Specialius vero, et, vt ita dicam, ἐμφατικωτέρως, cauillari dicitur, qui eo assumpto, quod euidenter verum est, dissimiliter acceptis terminis, quod falsum est infert.* Vtrum autem idem esset *calumniari* et *cauillari*, quamuis id affirmare videantur Caii verba simpliciter prolata, haud in magno discrimine posuit Valla: subiunxit tamen Martiani de *calumniatione* sententiam, vt haec duo verba non idem significare appareat, siquidem hoc censuit Caius. Sin minus, vt ex Martiani sententia quonam pacto Caii verba sint intelligenda dignoscamus. De *scommate* vero meo iudicio ita scripsit *Saturnaliorum lib. VII. cap. 2.* et *3.* Macrobius, vt nihil quicquam eius verbis addi valeat.

 DEFEN-

2 *Alciatus*] *Ad l. 177. D. de Verb. sign.* Verba Alciati sunt: *In vulgatis codicibus vox illa deficit. Fuere igitur, qui διαβολὴν reponendum existimarunt.* Et mox: *Antiqui codices hic γοητείαν habent, et infra de Reg. Iur. vbi idem responsum legitur, σόφισμα; quae lectio vtraque conuenit, posteriorque plus mihi arridet, quae magis specialiter rem exprimit, quandoquidem γοητεία pro quacunque fraude videtur posse accipi.*

163 DEFENSOR AD CAP. XLIX.

Miſeret me tui, Laurenti, qui antiquitatum Romanarum et legum ignarus, eos hac in parte reprehendere audeas, a quibus non te ſolum, ſed et alios omnes haec diſcere oportuerat. Scias itaque non fuiſſe ſcriptum a Caio in reſponſo a te citato, quod eſt *l. 233. D. de Verb. ſign. ſi calumnietur*, ſed, *ſi caluitur*, quod eſt verbum antiquum repetitum e *Leg. XII.* TAB. cuius verſus eſt: [1] SI CALVITVR, PEDEMVE (*ſtrauit vel*) STRVIT, MANVM ENDO IACITO: quo capite legis permittebatur actoribus reos, qui in ius vocati non venirent, ſed eos fruſtrarentur, ac morarentur, manu arreptos in ius rapere, trahere, aut et
164 calumnia, id eſt, fruſtratione conteſtari. Interpretatur autem Caius, *caluitur*, [2] id eſt, *moratur et fruſtretur*, hinc *calumniari* verbum, ſed et *cauillationis* nomen deductum autumat. Cui conſentiens Nonius Marcellus, *Caluitur*, inquit, *eſt fruſtratur: tractum a caluis inimicis*,

1 *SI CALVITVR*] Hoc pluribus expoſuerunt, qui *ad Tit. Pandect. de Verb. ſign.* et *ad Leg. XII. TAB* ſcripſerunt, item Carrio II. *Emend. 12*, Voſſius *in Etymolog.* et ex his Menag. *Cap. XXXIX. Amoen. Iur. Ciu. Strauit* autem, quod hic affert Defenſor, ſi vult in Lege reponi poſſe pro *ſtruit*, forte ſolus ita ſentit: nam plerique omnes *ſtruit* hic legunt; *ſtrauit*, quod ſciam, nemo.

2 *Id eſt, moratur*] Varie docti legunt haec verba Gaii *in d. l. 233. de V. S.* vid. Menag. *l. d.* Mox apud Nonium pro *caluis inimicis* quod placet Lipſio V. *Antiq. lect. 14* Mercerus *ad Nonium* legit *caluis mimicis*, Voſſ. *in Etymol. caluis mimis*, Alciatus *caluis militibus*.

cis, quod sint omnibus frustratui. Plautus *Casina II. 2. 3. Nam vbi domi sola sum sopor manus caluitur.* Quid igitur hic habes, quod reprehendas aut mordeas? *At enim*, inquit, *Caius nullam mentionem facit de euidenter veris aut falsis.* Quid mirum? Neque enim *cauillationis* naturam describit, quam Vlpianus *in l. 177. D. de V. S.* et [3] Iulianus *in l. ea est. 65. D. de Reg. Iur.* iisdem prorsus verbis describunt, eamque dicunt esse quam Graeci non, vt corrupte legis, σκῶμμα, sed σωρίτην vocant. [4] Mallem σόφισμα dixissent: magis enim subdolam illam argumentandi rationem expressissent. Σωρίτης autem non fit per breuissimas mutationes, 165
sed coaceruationem habet multorum exemplorum et similium: vnde et nomen inuenit, ἀπὸ τῆς σωροῦ, quod est *cumulus, aceruus:* de quo vide fusius Ciceronem *in Lucullo* [5] *et IV. Academ.*

3 *Iulianus*] Valla ait Vlpianum duobus locis idem dicere: vnde intelligi potest in illius Codice etiam *h. l. 65. de Reg. Iur.* nomen Vlpiani praescriptum fuisse.

4 *Mallem σόφισμα*] Ita antiquos Codices in *d. l. 65. de R. I.* legere notat Alciatus. Sed Florentiae vtroque loco esse σωρίτην, tradit Anton. Augustin. IV. *Emend. 16.* eamque lectionem cum alii probant, tum Cuiacius *ad vtramque legem*, et P. Faber *ad l. 65. de R. I.*

5 *Et IV. Academ.*] Si ita edi voluit Defensor, non vacat culpa, cum e Ciceronis Academicarum quaestionum libris quatuor praeter partem primi nihil supersit. Sed fortassis scripserat, *in Lucullo, seu IV. Acad. quaest.* Nam qui *Lucullus*, idem vulgo etiam *quartus Academicarum quaestionum* inscribitur auctoritate Nonii, apud quem complura loca e IV. *Academ. quaest.* laudantur, quae omnia in *Lucullo* sunt. In qua re tamen erroris conuinci potest ex ipso Cicerone V. *lib. XIII. ad Attic. ep. 12. 13. 17. 19.* et Manut. *ad epist. 12. d. lib.*

quaest. qui et Torquatum inducit iocose respondentem, [6] soritas, eo quod longi et molesti sint, frangendos esse. *At*, inquis, *cauillatio plerumque tecta est et insidiosa, quaeque vix ab acutissimis dignoscatur.* Sed quid, quaeso, magis tectum ac insidiosum esse potest, quam id, quo ab euidenter veris ad euidenter falsa per breuissimas mutationes traducimur? Fateor vero *cauillationis* et *cauilli* nomen etiam ad dicacitatis genus, et ad alia quoque significata traduci solere: nihil vero obest, quin [7] in Legibus et Edictis pro sophismate et subdola argumenta-
166 tione vsurpetur. Itaque in quibusdam antiquis et manuscriptis Codicibus pro σωρίτην legitur σοφιστικὴν, quod magis arridet. Caeterum Caius eo loco non sentit idem esse *calumniari* et *cauillari*, vt existimas: sed [8] vtriusque originem ab illo verbo antiquo et inusitato, *caluitur*, repetit. Est autem [9] *calumniandi* verbum proprium fori ac iudiciorum, sicut illud *cauillationis* scholae ac Philosophorum. Imo, si verum

6 *Soritas*] Verba Ciceronis *Lucull. Cap. XXIX.* sunt: *At vitiosi sunt soritae. Frangite igitur eos, si potestis, ne molesti sint.* Est autem sermo Ciceronis, non Torquati.

7 *In Legibus et Edictis*] Rectius dixisset, *in his legibus*, nempe *l. 177 de V. S.* et *l. 65 de R. I.* Nam cum Leges et Edicta coniunguntur, fere non aliud intelligimus, quam partes Iuris scripti, Leges, quas populus iussit, et Edicta Magistratuum, vt *in l. 2. §. 12. ff. de Orig. Iur.* et *§. 3. Instit. de Iure Nat. Gent. et Ciu.* In his autem *cauillationem* ea significatione, quae hic memoratur, dici non arbitror.

8 *Vtriusque originem*] v. Etymologicorum scriptores, et *Menag. loc. dict.*

9 *Calumniandi verbum*] De hoc rursum agit *ad Cap. seq.*

verum agnoſcere volumus, *calumnia* nomen eſt generale, omnem ingenii malitiam complectens, vt docte diſſeruit et confirmauit Fr. Hotomanus *in Commentario Verborum Iuris.* Proprie autem ad fraudes reorum contrahitur, id eſt, tam actorum, quam defenſorum, et tam in publicis, quam priuatis iudiciis locum habet: vnde *iuramentum calumniae,* quod vterque litigatorum, cum iudicium acciperent, interponebat. Paulatim autem ad criminalia tantum iudicia *calumniatoris* nomen eſt reſtrictum: vt is eſſet, quem Graeci συκοφάντην vocant, id eſt, qui vel falſa crimina ingereret, vel de re minima, puta propter ſubreptas ficus (vnde et ſycophantae appellatio) quaeſtionem capitalem inſtitueret: aut non malo animo geſtum maligne interpretaretur, et vitio verteret, quo ſenſu Legem [10] Rhemniam, quae *calumniatoribus* poenam irrogat, interpretatus eſt, vel reſtrinxit potius Martianus *in l. 1. §. 1. D. ad Senatuſc. Turpil.* vt *calumniari* eſſet *falſa crimina intendere.* 167

10 *Rhemniam*] Varie ſcribitur ab antiquis hoc nomen, *Remmia, Rhemmia, Rhemnia,* et *Memmia.* vid. Ant. Auguſtin. *de Legibus Rom.* et quae notata ſunt ab Interpretibus *ad Ciceron. pro Roſc. Amerin. Cap. XX.*

VALLA CAP. L.

In eosdem de Praeuaricator, Tergiuerſator, *et* Calumniator.

Praeuaricatores, [1] Vlpianus inquit, *eos appellamus, qui cauſam aduerſariis ſuis donant,* et

1 *Vlpianus*] *l. 212. D. de Verb. ſign.*

et ex parte actoris in partem rei cedunt. A varicando enim praeuaricatores dicti sunt. Idem [2] alibi: *Praeuaricator autem est, quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat, prodita causa sua. Quod nomen Labeo a* [3] *varia certatione tractum ait. Nam qui praeuaricatur ex vtraque parte consistit.* In prima diffinitione vide-
168 tur sentire, *praeuaricationem* in solum actorem cadere: in secundo vero etiam in reum. Sed forsitan et hic de solo actore sensit, cui assentiri videtur [4] Martianus, qui ait: *Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus poenis subiicitur: aut enim calumniantur, aut praevaricantur, aut tergiuersantur. Calumniari, est falsa crimina intendere. Praeuaricari, vera crimina abscondere. Tergiuersari in vniuersum ab accusatione desistere.* Et [5] post iterum: *Praevaricatorem esse eum ostendimus, qui colludit cum reo, et translatitie munere accusandi defungitur: eo quod proprias quidem probationes dissimularet, falsas vero rei excusationes admitteret.* Quod nos quidem verum fatemur esse, legemque antiquitus de praeuaricatorum poena fuisse, vt Cicero *Philipp.* [6] *lib. II. Vereor P. C. ne, quod turpissimum est, praeuaricatorem mihi* [7] *apposuisse videar.*

2 *Alibi*] *l. 4. §. 4. D. de His qui not. infam.* et *l. 1. princ. de Praeuaricat.*

3 *Varia certatione*] *Varicatione*, Marg. Ed. Steph. C.

4 *Martianus*] *l. 1. princ.* et *§. 1. D. ad Senatusc. Turpill.*

5 *Post*] *l. 1. §. 6. D. eod.*

6 *Lib. II.*] *Cap. 11.*

7 *Apposuisse*] *Opposuisse*, Ed. Col. Gryph. Steph. C.

videar. Caeterum (vt praeteream quod Cicero idem [8] *in Partitionibus* ait, *praeuaricationem diffiniri nunc ab accuſatore, nunc a reo corruptelam iudicii*) reperio *praeuaricatorem* nonnunquam ex parte rei quoque, neque perfidia tantum, ac malitia, ſed imprudentia etiam, et 169
negligentia peccantem. Quintilian. [9] *in VII. Vt in praeuaricationum criminibus, vt abſoluatur reus, aut innocentia ipſius ſit, aut interueniente aliqua poteſtate, aut vi, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut praeuaricatione: nocentem fuiſſe conſiteris, nulla poteſtas obſtitit, nulla vis, corruptum iudicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit: quid ſupereſt, niſi vt praeuaricatio fuerit?* Hic pro perfidia accuſatoris accipit, [10] alibi vero aliter: *Sed de vna* [11] *cauſa loqui ſuperuacuum eſt. Ego in vniuerſum neque Oratoris puto eſſe vnquam praeuaricari: neque litem intelligo, in qua pars vtraque idem velit.* Ideoque *praeuaricatorem* appellamus, quicunque a praeſcripto officii ſui deflexerit, atque aberrauerit. Plin. [12] *lib. XVIII.*

8 *In Partitionibus*] *Cap. XXXVI.* Sed locum mutilat Valla, qui integer ita legitur: *Vt ſi in reo pecunia abſoluto, rurſusque reuocato, praeuaricationem accuſator eſſe definiat, omnem iudicii corruptelam ab reo: defenſor autem non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo.* add. quae ſequuntur.

9 *In VII*] *Cap. 2. C.* al. *cap. 1.*

10 *Alibi*] *Lib. IX. cap. 2. C.*

11 *Cauſa*] *Controuerſia.* Ed. Steph. et Colin. C.

12 *Lib. XVIII.*] *Cap. 19. C.*

Arator, nisi incuruus, praeuaricatur. [13] Plinius Iunior *ad Cornel. Tacitum: Alioqui praeuaricatio est transire dicenda: Praeuaricatio etiam breuiter et cursim attingere, quae sunt inculcanda, insigenda, repetenda.* Et *Adam praeuaricatum fuisse* dicimus. *Tergiuersari* vero non est (quantum ego intelligo) *ab accusatione desistere.* Illi videntur ex hoc trahere significationem, quod, qui terga vertunt, a pugna de-
170 sistunt. Veruntamen non protinus, qui terga vertunt, à pugna desistunt, vt Parthi. Itaque, qui vertentes terga adhuc tamen pugnant, nec rationibus volunt se victos agnoscere, *tergiuersantur.* Cicero *de Officiis* [14] *lib. III. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiuersantur. Prudentiam introducunt scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendae mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. Dicunt enim voluptatis magnitudinem doloris detractione fieri.* Nunquid, qui hoc dicunt, aut desistunt ab accusatione, aut accusasse se indicant? Idem [15] *pro Roscio Comoedo: Attende, quaeso, Piso, Fannium inuitum, et huc atque illuc tergiuersantem, testimonium contra se dicere cogo.* Erat autem

13 *Plinius Iunior*] *Lib. I. Ep. 20. C.*
14 *Lib. III*] *Cap. 33.*
15 *Pro Roscio*] *Cap. XIII.*

autem Fannius accusator, quem, si omnino ab accusatione desisteret, non insequeretur iure patrocinii Cicero; sed victum nolle tamen dare manus obiurgat. Liuius [16] *lib. II. ab V. C. Mouebant haec Consulem, sed tergiuersari res cogebat:* id est, non agnoscere veritatem, et eam, quibuscunque rationibus poterat, dissimulare, et quasi subterfugere. Tertium autem 171
verbum ab eodem Martiano diffinitum (de *calumnia* loquor) meretur et ipsum aliquam emendationem, quod non modo apud Ciceronem pro *cauillatione* accipitur, non illa quidem mouente risum, sed ea, qua Cicero ipse non vtitur, vt *de Officiis* [17] *lib. I. Existunt etiam saepe iniuriae calumnia quadam, et nimis callida et malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud: summum ius, summa iniuria:* Sed etiam apud Quintilianum nonnunquam, vt [18] ibi: *Quamuis exiguo diuisus spatio opem non feret, non succurret; vt hac saltem se calumnia defendat, non abii, non reliqui, non abscessi, neque pede, (vt aiunt) vno a parente discessi:* Aliosque complures, quorum et Caius est, vsu quoque probante, per quem vtraque pars *iurat de calumnia* vitanda. Nimirum de *cauillatione*, eo magis, quod *calumniari* pro *cauillari* dicimus, quae vox quatuor primas literas habet easdem cum *calumniari*. Postremo probatur hoc ex illo Digesto-

16 *Lib. II.*] *Cap. 27.*
17 *Lib. I.*] *Cap. 10.*
18 *Ibi*] *In corpore proiecto. C. Declam. VI.*

Digestorum loco, cuius *Titulus* est: *Si mulier ventris nomine calumniae causa in possessione fuisse dicatur.* *Calumnia* scilicet ibi intelligitur dolus malus.

172 ALCIATVS AD CAP. L.

Praeuaricari, *tergiuersari*, *calumniari* generalius accipienda existimat, quam Iureconsulti docuerunt, nimirum oblitus non docere eos simpliciter eorum verborum significationem, sed specialiter in Senatusconsulto Turpiliano quomodo accipi debeant, vt eius poenae locus sit.

FLORIDVS AD CAP. L.

Integrum Vallae Caput, in quo quis sit *praeuaricator*, quis *calumniator*, quis *tergiuersator*, contra Iureconsultos exquisitissime docet, omittam: cum ad Vallae obiecta nihil aliud respondeat Alciatus, quam non simpliciter eorum verborum proprietatem docuisse Iureconsultos, sed quomodo specialiter in Senatusconsulto Turpiliano accipi debeant, vt eius poenae sit locus: quae quam sint leuia, alii expendant.

DEFENSOR AD CAP. L.

Hoc Capite Valla Iurisconsultos in trium verborum interpretatione, nempe *praeuaricatoris*, *tergiuersatoris* et *calumniatoris*, quae tamen ipsorum, id est, fori ac iudiciorum propria sunt, reprehendere conatur: verum quam bene videamus. Ac primum Vlpianum arguit, quod *in l. 212. D. de Verb. sign. praeuaricatores*
173 ita definiat, vt ad solum accusatorem crimen illud pertineat: at *in l. 1. princ. D. de Praeuaricat.* itemque *in l. 4. de His qui not. infam.* ita vt

vt etiam [1] ad reum. Verum, o Valla, meminisse debueras eius praecepti, quod statim initio *sub Titulo de Legibus* proposuit Iustinianus Digesta sua lecturis, ex Celso *lib 9. Digestorum: Inciuile esse, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita iudicare, vel respondere.* Rursusque, ne me irrideas quod haec Iurisconsultorum responsa, vel etiam responsorum fragmenta, ita vt sunt a Triboniano concisa, truncata, et interpolata, leges vocem, non solum eruditorum, id est, nobilium Iuris Interpretum consensum opponam, sed et Iustiniani 174
ipsius Edictum, qui omnia haec sua fecit, et tanquam suas leges seruari voluit. Vlpianus igitur *in d. l. 1. §. 1. D. de Praeuaricat.* ne ex sua finitione, quae generalior videtur, praeuaricationis crimen, quod est extraordinarium, latius traheretur, subiunxit: *Is autem praeuaricator*

1 *Ad reum*] Nihil iuuant Vallam Ciceronis et Quintiliani loca ad hoc probandum prolata. Nam et in Ciceronis verbis alia sententia est, atque ille dicit, quemadmodum et Defensor obseruat, et Quintiliani testimonium apertissime ipsi aduersatur, et omnino de *praeuaricatione accusatoris* accipiendum est: quomodo enim fieri possit, vt *reus* sua *praevaricatione* absoluatur, ne intelligi quidem potest.

Porro existimo ea, quae Valla de varia significatione verborum *praeuaricari*, *tergiuersari*, et *calumniari* congerit, nihil ad impugnandam sententiam Iurisconsultorum facere, qui sine dubio de vsu fori et iudiciorum de his criminibus sentiunt: quod si haec aliter sumi ostendisset, hic Censor, credi ei potuisset, verba Iurisconsultorum emendationem, vt ait, mereri. Nec moror Floridum ea, quae Alciatus Vallae reponit, leuia esse dicentem. Nam hoc potius multo leuissimum est, a Iurisconsultis velle postulare, vt ii, praeter significationem alicuius vocabuli argumento, quod tractant, conuenientem, omnes alias eiusdem notiones sollicite excutiant: quod vix in Grammaticis vbique ferendum sit.

cator proprie dicitur, qui publico iudicio accusaverit. Vnde apparet, eum non solum secum, sed et cum Martiano *in l. 1. D. ad Senatusconf. Turpil.* in *praeuaricatoris* definitione consentire. Quod vt melius noscatur, consideranda est [2] duplex illa verbi nota, quam ipse tradit: prima, quae Labeonis est *in l. 4. § 4. ff. de His qui not. infam.* et *l. 1. in princ. ff. de Praeuaricat.* a *varia certatione,* quam et confirmare videtur Cicero, qui in Partition. Cap. XXXVI. sic ait: *Ex nomine ipso, quod praeuaricator significat eum, qui in contrariis caussis quasi varie positus esse videatur:* altera, quae ipsius Vlpiani est, a *varicando*, posita *in d. l. praeuaricatores. 212. de V. S.* Est autem *varicare* vel *varicari,* varie
175 stare vel incedere. Quintilian. *lib. XI. cap. 3.* de gestu pedum: *Varicare supra modum et in stando deforme est, et accedente motu prope obscoenum.* Qui vero sic stabat, vel incedebat, *varicatur*, et eiusmodi incessus *varicatio* dicebatur. Itaque libens in illa Labeonis nota pro *varia certatione,* legerem *varicatione*, vt quidam Codices habent, cum et *varicatoris* nomen ante ab Vlpiano positum, et res ipsa nos eo ducant: vt duplex illa etymologia vna tantum sit:

2 *Duplex*] De origine et significationibus huius verbi qui plura scire desiderant, adeant Cuiacium IX. *Obseruat.* 40. et *ad l. 212. D. de V. S.* Voss. *in Etymolog.* et quae ex his refert Menag. *Cap. XXXIX. Amoen. Iur.* Item Salmas. *ad Solin. pag. 663.* et Pollet. *lib. IV. Histor. Fori Rom. cap. 3.* De *tergiuersari* agit Idem Pollet. *l. d. cap. 4.* de *calumniari ibid. cap. 5.* Manut. *ad Ciceron. lib. I. famil. ep. 1.* et Tan. Faber *ad Phaedr. prol. lib. I. Fabul.*

ſit: et apud Ciceronem *varie poſitum eſſe* idem
ſit, quod *varicari*, id eſt, diuaricatis cruribus
ſtare. Tamen quia *in d. l. 4. §. 4. de His qui
not. infam.* omnes Codices conſtanter hanc La-
beonis notam de *varia certatione* retinent, nihil
temere mutandum cenſeo. Quamuis autem
notationes illae ad generalius ſignificatum per-
tineant, tamen vſus iudiciorum obtinuit, vt
praeuaricator is tantum dicatur, *qui publico iu-
dicio accuſauerit.* Vnde nec Aduocatus quidem
proprie *praeuaricari* dicetur *d. l. 1. §. 1. D. de
Praeuaricat.* Itaque Cicero in illo *Partitio-
num* loco fatetur propius accedere ad conſue-
tudinem ſermonis defenſoris definitionem, qua
tuetur, *praeuaricationem eſſe non iudicii, ſed
accuſatoris tantum corruptelam ab reo:* quem
Ciceronis locum nec tu, Valla, intellexiſſe vi-
deris, nec ſine Iuris Ciuilis cognitione intel-
ligi poteſt, lucemque accipit ex *d. l. 1. et l. 3.
D. de Praeuaricat.* Neque vero negauerim, 176
praeuaricatorem interdum vocari *quicunque ab
officii praeſcripto deflectit*: verum id per transla-
tionem quandam et ſimilitudinem: quia verus
praeuaricator quam maxime ab officio recedit.
Vnde factum eſt, vt quicunque ab officio rece-
dit, neque gnauiter et induſtrie ſuſcepto mu-
nere fungitur, *praeuaricari* quodammodo vi-
deatur: quo ſenſu et Plinius *aratorem, niſi in-
curuum*, *praeuaricari*, id eſt, negligenter
terram colere, et noſtri Theologi *Adam prae-
uaricatum eſſe* dixerunt. *Tergiuerſari* Martia-
nus

nus cum definiit esse *in vniuersum ab accusatione desistere,* non solum ad vsum forensem respexit, sed et ad susceptam Senatusconsulti Turpiliani interpretationem, quo accusatorum temeritas coërcetur. Nam quamuis in iudiciis *tergiuersari* dicatur, qui per exquisitas dilationes et comperendinationes reum in longum protrahit, et ne de caussa cognoscatur efficit: tamen cum posset accusator interdum iustas aliquas dilationum et comperendinationum caussas habere, et poenae restringendae sint potius, quam ampliandae, receptum est, vt poena Senatusconsulti Turpiliani non aliter teneretur accusator, qui *tergiuersari* dicitur, quam si in vniuersum ab accusatione destiterit. Destitisse porro ab accusatione videtur, qui intra praefinitum a Praeside tempus reum suum non peregerit *l. ab*
177 *accusatione. 6.* §. 2. et *l. destitisse. 13. D. illo Tit.* At extra vsum forensem *tergiuersari* non solum est terga vertere, aut veritatem non agnoscere, itemque excusationes quaerere; sed et multas alias significationes recipit: Itaque parum contra Martianum faciunt a te producti loci. Et in primis Ciceronis ille locus *pro Roscio Comoedo,* cum Senatusconsultum illud Turpilianum nondum factum esset. De *calumnia* supra diximus: nomine illo generaliter omnem ingenii malitiam, fraudem, calliditatem comprehendi. Cicero [3] *lib. II. de Republ. Vt Carneadi respondeatis, qui saepe optimas caussas ingenii*

3 *Lib. II. de Republ.*] Apud Nonium *in calumnia.*

genii calumnia ludificari ſolet. Idem *pro Domo ſua Cap. XIV. Cauſſa quaeri ſolet adoptandi: illud in primis ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur.* Et paulo poſt: *Quae maior calumnia eſt, quam venire imberbem adoleſcentem, et dicere, filium ſenatorem velle ſibi adoptare.* Sed vt ſuperius *tergiuerſandi* verbum, ita et hoc *calumniandi* a generali ſignificato anguſtius ad vſum forenſem traductum eſt, et in Senatuſconſulto Turpiliano adhuc magis anguſte coepit vſurpari. Nam in vſu forenſi omnem rei, vel actoris, fraudem ac malitiam complectitur: vnde *iuramentum calumniae* et Edictum illud Praetorium: *Si mulier ventris nomine calumniae cauſſa in poſſeſſione eſſe dicetur.* At in hoc SC. multo ſtrictius adhuc *calumniandi* verbum acci- 178
pitur: vt non aliter poena Senatuſconſulti Turpiliani quaſi *calumniator* teneatur, quam qui falſa crimina intenderit, aut pro crimine, quod crimen non eſſet, obiecerit. Graece διάβολος, vel, vt dixi, συκοφάντης appellatur.

VALLA AD CAP. LI.

In eosdem, de Ferri, Portari, Agi.

Ferri proprie dicimus, [1] Caius inquit, *quae quis corpore ſuo baiulat: Portari ea, quae quis iumento ſecum ducit: Agi ea, quae animalia ſunt.* In hoc ipſe Caio aſſentior, niſi quod *portare* eſt

1 Caius] *l.* 235. *ff. de Verb. ſign.*

eſt ſuo etiam corpore, interdum etiam magis quam ferre. Quis enim neget iumenta *portare?* quae cum homines imitantur, et ipſi *portare* dicuntur. Terentius [2] *in Andria: Mi homo, quid iſtuc obſecro? quo puerum portas?* [3] Horatius: *Ne forte ſub ala Faſciculum portes librorum, vt ruſticus agnum.* Et ab hoc compoſita: *Deportauit* [4] Verres *amicam de prouincia: De-*
179 *portauit* Pompeius beneficio Ciceronis tertium *triumphum.* Multi Imperatores *victorem exercitum reportauerunt*, quaſi *reduxerunt. Agere* autem non vno modo dicitur, ſed de vno tamen non tacebo. Martialis [5] *lib. I. Epigram.*

Semper agis cauſas, et res agis, Attale, ſemper:
Eſt, non eſt, quod agas, Attale, ſemper agis.
Si res et cauſae deſunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne, quod agas, deſit, agas animam.

Coelius [6] ad Ciceronem: *Hortenſius, cum has literas ſcripſi, animam agebat,* id eſt, *expirabat.*

2 *In Andria*] *Ac. IV. ſc. 3. C. vers. 6.*
3 *Horatius*] *Lib. I. Epiſt. 13. C. vers. 12.*
4 *Verres*] Vid. Cicer. *lib. V. in Verr. cap. 6.* de Pompeio Idem I. *Officior. 22. Deportare* autem *victorem exercitum* frequentius dicuntur e prouinciis Imperatores, quam *reportare.*
5 *Lib. I*] *Epigr. 80. C.*
6 *Ad Ciceronem*] *Lib. VIII. ep. 13. C.*

ALCIATVS AD CAP. LI.

Portare ait id etiam ſignificare, *quod quis corpore ſuo baiulat*, cum tamen Iureconſultus aliter docuerit. Sed ego arbitror ex origine verbi Iureconſultum adiuuari: ſiquidem πορθμεύειν Graece *traiicere* eſt, vnde *portus*, in quem naui

res

res deportantur, sic et *exercitum nauibus deportari* Liuius plerunque dixit. quod si ipse ferat, non proprie, sed *μεταφορικῶς* putauerim *portare* dici.

FLORIDVS AD CAP. LI. 180

Alciatus Iureconsultum ex origine verbi adiuari arbitratur. *Siquidem πορθμεύειν Graece traiicere est, vnde portus, in quem naui res deportantur. Sic et exercitum nauibus deportari Liuius plerunque dixit.* Quapropter etiam si quis iumento ducat, hac similitudine *portare* dicitur: *quod si ipse ferat, non proprie, sed μεταφορικῶς* Alciatus dici putat. Haec tamen non ex animo scribit Alciatus, sed vt nulla in re nihil diceret, ad hanc coniecturam se contulit: quod ex eiusdem verbis colligimus. (1) Caii namque verba exponens, sic ait: *Nimis propria et subtilis est haec Iurisconsulti nostri interpretatio: quandoquidem et portari dicitur, quod quis suis humeris fert, vt recte Valla annotauit ex Terentii Horatiique carminibus: quorum alter, Mi*, inquit, *homo quid istuc? obsecro? quo puerum portas? alter vero, Ne forte sub ala Fasciculum portes librorum, vt rusticus agnum.* Illud coniicere non possum, curnam duo tantum a Laur. Valla desumpta loca hoc probantia contra Iureconsultos citauerit. An alia deerant? aut nisi haec duo in Latinis autoribus essent, minus reprehendi posset Iureconsultus? Ego certe hanc vocem in eo significatu frequentissime apud Romanos scriptores inueniri scio. Quumque infinita eorum testimonia adducere possem, paucis contentus ero, vt appareat latine proprieque *portari dici, quod suo corpore quis baiulat.* Plautus *in Mercat. IV. 1. 6. Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero. Quid oneris? Annos octoginta et quatuor. Et eodem accedit seruitus, sudor, sitis, simul haec etiam, quae mecum porto, deprimunt.* Idem *in Poenulo III. 3. 56. Imo vt ipse nobis dixit, quo accures magis, trecentos nummos Philippeos portat prae sibi.* Terentius *in Heautont. III. 3. 5. Perii, vnde illi sunt ancillae? Men' rogas? non oportuit relictas, portant quid rerum, aurum, vestem, et vesperascit, et non nouerunt viam.* Crispus quoque Sallustius proprietatis obseruantissimus, hoc verbo in eodem significatu non semel vsus est. In *Catilin. Cap. LVI.* enim sic ait: *Sed ex omni copia circiter quarta pars erat militaribus armis instructa: caeteri, vt quemque casus armauerat; sparos, aut lanceas, alii praeacutas sudes portabant.* Et paulo post *Cap. LVIII.* Catilina milites 181
alloquens: *Et cum praelium*, inquit, *inibitis, memineritis*

1 *Caii*] *l. 235. D. de Verb. sign.*

vos diuitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Idem *in Iugurth. Cap. XLV.* de Metello Consule loquens: *Idem in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quispiam ordine egrederetur, vt cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret* Liuius *lib. XXIV.* ab V. C. *cap. 16. Signum deinde colligendi vasa dedit, militesque praedam portantes agentesque, per lasciuiam ac iocum ita ludibundi Beneuentum rediere, vt ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie reuerti viderentur.* Et *lib. XXVIII. cap 20. Leuium corporum homines, et multa exercitatione pernicium, clauos secum ferreos portantes, quae inaequaliter eminentia rupis poterant, scandunt:* Et *lib. XXX. cap. 6.* de turbato Poenorum exercitu loquens: *Igitur*, ait, *pro se quisque inermes, vt quibus nihil hostile suspectum esset, ea modo, quae restinguendo igni forent, portantes in agmen Romanum ruebant.* Idem *lib. XXXIV. cap. 38. Alii scalas, alii ignem, alii alia, quibus non oppugnarent modo, sed etiam terrerent, portabant.* Columella *lib. IX. cap. 8* de apibus loquens: *Quod si non contingit, ac necesse habuerimus longinquis itineribus aduehere, curabimus ne salebris sollicitentur, optimeque noctibus collo portabuntur.* Et *lib. XI. cap. 1. Quippe aliqua sunt opera tantummodo virium, tanquam promouendi opera, portandique: aliqua sociata viribus et arti, vt fodiendi arandique, segetes et prata desecandi.* Plinius *lib. VII. cap. 2.* de Astomis Indiae populis: *Tantum radicum florumque varios odores, et syluestrium malorum, quae secum portant longiore itinere, ne desit olfactus.* Idem *lib. X. cap. 4.* de aquilis: *Paucis ante annis sola in aciem portari coepta erat, reliqua in castris relinquebantur* Et *lib. XVIII. cap 3.* de Trebio: *Ipse supremo die populi humeris portatus in rogum est.* Et *lib. XIX. cap. 1. Vidimus iam tantae tenuitatis, vt annulum hominis cum epidromis transirent, vno portante multitudinem, qua saitus cingerentur.* Item *lib. XXI. cap. 20. Polium contra serpentes substernitur, vel portatur.* Et *lib. XXXIII. cap. 3. Iam vero etiam Harpocratem, statuasque Aegyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.* Suetonius in *Augusto Cap. X. Sequenti satis constat non modo ducis, sed etiam militis functum munere, atque in media dimicatione aquilifero legionis suae grauiter saucio, aquilam humeris subiisse diuque portasse.* Virgilius *lib. VI. Aen. 210.*

Corripit Aeneas extemplo auidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllae.

182 Loquitur autem de ramo aureo Et XI. *Aen. 544.* de Metabo Camillae patre:

Ipse sinu prae se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum.

Hora.

Horatius *lib. I. Serm. Sat. 5. 89.*

—— Sed panis longe pulcherrimus, vltro
Callidus vt soleat humeris portare viator.

Et *in eodem, Sat. 1. 46.*

—— —— Vt si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit.

Et II. *Serm. Sat. 3. 303.*

Quid caput abscissum demens cum portat Agaue
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

Tibullus II. *El.* 7. 27. (al. 6. 45.)

Laena vetat miseram Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu.

Ouidius II. *Trist. 271.*

Et latro, et cautus praecingitur ense viator;
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Et III. *de Ponto El. 8. 11.*

Foemina pro lana Cerealia munera frangit,
Suppositoque grauem vertice portat aquam.

In II. *Metamorph.* 713. quoque de virginibus Atticis, quae canephorae dicuntur;

Pura coronatis portabant sacra canistris.

Et *in VI. eiusdem operis* v. 337. de Latona:

Hinc quoque Iunonem fugisse puerpera fertur,
Inque sinu portasse suo duo numina natos.

Et *in X. v. 481.* de Myrrha;

Vixque vteri portabat onus.

In XIV. v. 418. praeterea:

—— —— Famuli populusque per omnes
Discurrunt syluas, atque obuia lumina portant,

Et *in eodem* v. 647.

Saepe manu stimulos rigida portabat.

Item *in III. Fastor. 269.*

Saepe potens voti frontem redimita coronis
Foemina, lucentes portas ab vrbe faces.

Martialis *lib. I. Epigramm. 12.*

Iam defecisset portantes calda ministros.

Et in *XI. Epigr. 27.*

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem.

Iisdem in locis promiscue tam *ferre* quam *portare* vsi sunt Liuius ac Virgilius, vt haec verba nihil plane inter se differre intelligamus. Ille enim *lib. XXXVIII. cap. 18.* ita scribit: *Ibi statiua habentibus legati ab Epessognato venerunt, nunciantes profectum eum ad regulos Gallorum nihil aequi impetrasse: ex campestribus vicis, agrisque, frequentes demigrare, et cum coniugibus ac liberis, quae ferre atque agere possent, prae se agentes portantesque, Olympum montem petere, vt inde armis locorumque situ se tuerentur.* Hic *lib. I. Aen. v. 647.*

Munera praeterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet.

Et de iisdem inferius v. 695.

—— —— Et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.

Ex quibus omnibus deridendam esse Caii definitionem discimus, cum apud optimos quosque autores idem sit *ferre* quod *portare*: quod quidem ad equos aliaque iumenta refertur, vt non tantum illis aliquid *portemus*, sed ipsa etiam *portare* dicantur, Horatius I. *Ep. 17. 20.*

—— —— Equus vt me portet, alat rex.

Virgilius V. *Aen. 565.*

—— —— Quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis.

Et *naues* aliquid *portant*. Liuius *lib. XXXVII. cap. 27. Cum pararent traiicere, literis certior fit Praetor, frumenti vim magnam Chium ex Italia venisse, vinum portantes naues tempestatibus retentas esse.* Caesar V. *Comm. de Bell Gall. cap. 23. Ac sic accidit, vt ex tanto nauium numero, tot nauigationibus, neque hoc neque superiore anno vlla omnino nauis, quae milites portaret, desideraretur.* Et *fluuii*. Virgil. *in Georg. IV. 524.*

Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret.

Et *currus*. Tibullus I. *El. 8.* (al. 7.) 7

At te victrices lauros Messala gerentem,
Portabat niueis currus eburnus equis.

Portatur et *nauibus* aliquid. Virgilius I. *Aen. 363.*

184 *—— —— Portantur auari*
Pygmalionis opes pelago.

Sal-

Sallustius *in Iugurthino Cap. XXVII. Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur.* A *porto* autem componuntur *asportare*, *deportare*, *transportare*, *reportare*, et similia. Virgilius II. *Aen.* 778.

— *Nec te hinc comitem asportare Creüsam Fas.*

Liuius *lib. XXIV. cap. 26. Ablegarent ergo procul ab Syracusis, Siciliaque, et asportari Alexandriam iuberent, ad virum vxorem, ad patrem filias.* Idem *lib. XXVI. cap. 17. Asdrubal ne in arcto res esset, caduceatorem misit, qui promitteret, si inde missus foret, se omnem exercitum ex Hispania deportaturum.* Idem *ibid. Eum exercitum Puteolis in naues impositum Nero in Hispaniam transportauit.* Et *lib. XXV. cap. 5. Cannensis reliquiae cladis hic exercitus erat, relegatus in Siciliam, sicut antea dictum est, ne ante Punici belli finem in Italiam reportaretur.* Nec solos tamen hos esse eorum verborum significatus affero, neque haec sola verba a *porto* componi. Illorum hoc erit munus, qui de his rebus data opera scribunt. Nos haec obiter dixisse satis fuerit. Quae vero ariolatur Alciatus nihil ad rem faciunt. Si enim *portare* a Graeco πορθμεύειν, quod *traiicere* est, deduceretur, tam translate, seu μεταφορικῶς poneretur, quum aliquid iumentis quis secum ducit, quam quum suo corpore baiulat. Quod autem ab eodem Graeco verbo *portum* deduci censet, vt in quem naui res deportentur, non mediocriter ab Vlpiano dissentit, qui *in libro de Verborum significatione (l. 59. D. de V. S.)* sic scribit: *Portus est appellatus conclusus locus, quo importantur merces, et inde exportantur. Eaque nihilominus statio est, conclusa atque munita, vnde angiportum dictum est.* Quae verba explicans Alciatus: *Portum*, ait, *antiqui plerunque pro insula, aut domo, vt Festus inquit, dicebant, cuius rei rationem Iurisconsultus hic assignat, quod scilicet merces in eam portarentur. Hinc a similitudine portus appellari coepta est nauium statio, qua inclusae naues a ventis tutae essent: ipse frequentissimus est huius vocis significatus.* Vbi vtrum a semet ipso dissenserit Alciatus, et an melior sit Festi Iurisconsultique, quam illius deductio, non interpretor.

DEFENSOR AD CAP. LI. 185

Hic rursus magnum aliquid effecisse se Valla credidit, si traditam a Caio differentiam inter *agi*, *portari*, et *ferri* impugnaret, et ostenderet,

deret, *portari* ea quoque dici, quae *proprio quis corpore baiulat.* Quaſi vero ſit id difficile, ac non potius obuium cuique eiusmodi exempla colligere: quale illud Ciceronis *ad Q. Fratr. lib. II. Epiſt. 9.* (al. 10.) *Memini, cum hominem portarent ad Baias Neapoli octophoro, miros riſus nos edere.* Eadem vero ratione contendas fruſtra inter *viam* et *iter* differentiam conſtitui, quia *viae* et *itineris* vocabulo Latini authores promiſcue vtantur. Et tamen ſicut in iure ſeruitutum conſtituendo et diiudicando *viae*, *itineris*, et *actus* diſcrimina ſunt exacte ſeruanda: ita et ad [1] vectigalium portoriorum-
186 que leges intelligendas horum verborum differentias exacte ſeruare debemus. Vt *ferre* dicatur is, qui corpore ſuo: *portare* vero, qui non corpore ſuo, ſed vel iumento, vel etiam nauibus,

1 *Vectigalium*] Sumta eſt *d. l. 235. de V. S.* e *libro 3. Gaii ad Leg. XII. Tabul.* in qua §. 1. etiam mentio fit tignorum et fabrorum tignariorum. Itaque putat Cuiacius *ad l. 62. D. eod.* eam pertinere ad explicationem legis illius, quae erat de tigno alieno aedibus vineiſue iuncto, quod lex ſolui prohibebat, ita vt nec vindicari, nec eo nomine ad exhibendum agi poſſet *l. 23. §. 6. D. de Rei vindic. l. 6. D. ad Exhib.* ideoque, quoniam ea, quae vindicantur, vel exhibentur, *ferri*, vel *portari*, vel *agi* debent *l. 10. D. de Rei vindic. l. 11. §. 1. ad Exhib.* a Gaio exponi, quomodo haec inter ſe differant. Ego tamen, vt haec iam ita ſe habeant, non adſequor, quam ob cauſam vel in his actionibus, vel, quod vult Defenſor, in vectigalium portoriorumque legibus, *ferri* et *portari* tam accurate ac ſollicite diſtingui debeant, quod Alciato quoque *ad l. 235. de V. S.* nimis ſubtile viſum eſt. Sed fortaſſis Vallae ac Floridi cenſuram ita amoliri poſſumus, vt dicamus, Iuriſconſultum non tam negare etiam ea *portari*, quae quis ſuo corpore baiulat, quam hoc ſentire, ea, quae quis iumento ſecum ducit, potius dici *portari*, quam *ferri*: quod etiam vſus linguae Latinae probat.

bus. Nam *portari* ea quoque dicuntur, quae [2] nauigio inuehuntur, forte [3] a Graeco πορθμεύειν, quod *traiicere* est, vnde *portus* nomen, et *portorii*, et *portitoris* deducta sunt, atque etiam *deportati*, quod nauibus in insulam vel in solas terras asportarentur. Igitur sicut in tractatu seruitutum hanc differentiam seruamus, vt *iter* sit ius eundi vel ambulandi hominis: *actus* ius agendi iumentum vel vehiculum: *via* vtrumque complectatur §. *1. Instit. de Seruitut.* licet apud alios authores haec plerumque confundantur: sic in [4] publicanorum Edicto, et vectigalium portoriorumque legibus haec differentia exacte 187
seruanda est, vt *ferri* ea proprie dicantur, quae quis corpore suo baiulat: *portari* ea, quae quis iumento, vel vehiculo secum ducit, aut nauibus inuehit: *agi* vero ea, quae sunt animantia.

2 *Nauigio*] Et quidem frequenter apud Latinos scriptores, vt obseruat Cerda *ad Virgil. I. Aen. 363.*

3 *A Graeco*] Hanc etymologiam reiicit Vossius *in Etymolog.*

4 *Publicanorum*] *Edicta Magistratuum*, tam vrbanorum, quam prouincialium, saepe memorantur a priscis auctoribus. *Publicanorum Edicta* quae sint, non scio. Voluit fortassis dicere, Edicta de Publicanis, et vectigalibus, rebusque, quae eo pertinerent. Sed sic quoque obscure locutus est.

VALLA CAP. LII.

In eosdem de Conuicium, *et* Maledictum.

Conuicium apud [1] Vlpianum *iniuriam esse Labeo ait*, quasi maledictum iniuria non sit. Addit

1 *Vlpianum*] *l. 15. §. 3. D. de Iniur.* de Inscriptione huius legis dictum est *ad Defensor. Cap. XLII.*

Addit idem [2] Labeo: *Conuicium dicitur vel a concitatione, vel a conuentu, hoc est, a collatione vocum. Cum enim in vnum complures voces conferuntur, conuicium appellatur, quasi conuocium. Sed quod additur a Praetore: aduersus bonos mores; ostendit non omnem in vnum collatam vociferationem Praetorem notare: sed eam, quae bonis moribus improbetur, quaeque ad infamiam et inuidiam alicuius spectet.* Et [3] iterum: *Conuicium autem non tantum praesenti, verum*
188 *absenti quoque fieri posse, Labeo scribit. Proinde si quis ad domum tuam venerit te absente, conuicium esse factum dicit. Item si ad stationem vel ad tabernam ventum sit, probari oportere. Fecisse conuicium non tantum is videtur, qui vociferatus est: verum is quoque, qui concitauit ad vociferationem alios, vel submisit, qui vociferarentur.* Et paulo [4] post: *Ex his apparet, non omne maledictum conuicium esse, sed id solum, quod cum vociferatione dictum est: siue vnus, siue plures dixerint: conuicium est, quod in coetu dictum est. Quod autem non in coetu, nec cum vociferatione dicitur, conuicium proprie non dicitur, sed infamandi causa dictum est.* Ex ipsa nominis etymologia argumentum significationis Labeo sumsit. Sed quum falsa sit etymologia,

2 *Labeo*] *d. l. 15. §. 4.* et *5.* In his tamen nihil est, vnde appareat, haec magis Labeonis esse, quam Vlpiani.

3 *Iterum*] *d. l. 15. §. 7.* et *8.*

4 *Post*] *ead. l. §. 11. et 12.* Sed in Ed. Gothofr. §. 12. ita legitur: *Siue vnus, siue plures dixerint, quod in coetu dictum est, conuicium est.*

mologia, falsa erit et diffinitio. Quumque falsa sit diffinitio, falsa erit et etymologia. Quis enim Labeoni credat, *conuicium* a *concitatione*, aut a *conuentu* dictum, aut a *collatione vocis*, quasi *conuocium*: quum sit alia propria magis siue etymologia, siue expositio per compositionem a *con* et *vicium*, vel *conuito*: quasi vitandum et vituperationis causa factum? Habet autem *conuicium vi* non breuem, vt *vicium*: sed longam, vt *vito*; licet *conuito* aliud significet, quam *conuicium* (si modo significat idem quod 189
inuito) non obstat, quum a suo quoque simplici, quod est *vito*, in significatione magis distet, quam *conuicium*, a suo, siue illud sit *vito*, siue *vicium*. Ipsa quoque *con* praepositio in bonam et malam rem accipi solet, vt *conficio*, pro *perficio*, et pro eo, quod est *consauciando trucido*. Inde *confectores* ferarum. *Conuicium* igitur a *vicium*, vel potius a *vito* descendit, vt *vitupero*. Tametsi non omnino repugnem scribi per *c*, vt quibusdam placet; non per *t*. Et hoc quidem de etymologia: quae si pro Labeone, Vlpianoque, non pro me faceret, tamen diffinitioni repugnare auderem, nusquam reperiens apud summos viros hanc differentiam custoditam inter *conuicium* et *maledictum*. Inter quae (si qua est) haec erit, quod *conuicium* est *maledictum contumeliosum*. Quintilian. [5] *lib. VII. Sic autem praeparabit actione prima iudicum animos, vt noluisse potius obiicere, quam non potuisse credatur.*

5 *Lib. VII.* *Cap.* 4. C. al. *cap.* 2. *De Coniectura.*

tur. Eoque satius est, omni se anteactae vitae abstinere conuicio, quam leuibus, aut friuolis, aut manifesto falsis reum incessere: quia fides caeteris detrahitur, et qui nihil obiicit, omisisse credi potest maledicta tanquam superuacua. Ex his verbis plane datur intelligi, *nec vociferatione vtique fieri conuicium, nec aliud esse, quam male-*
190 *dictum.* Cicero [6] *pro Coelio: Maledictum autem nihil habet propositi, praeter contumeliam: quae, si petulantius iactatur, conuicium: sin facetius, vrbanitas nominatur.* Illud autem verbum *inuidiam*, quo Labeo siue Vlpianus vtitur, quid mirum si Accursius non intelligit, qui [7] *in Institutionibus*, vbi dicitur: *Appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua aedificia fiunt:* sic interpretatur, *vt* [8] *caementa et lapides*: immemor [9] a Iurisconsultis exponi *materiam* pro ligno ad aedificia vtili, quanquam et Cato, et Varro, et Columella, et Plinius, qui de agricultura

6 *Pro Coelio*] *Cap. III.* legitur autem *maledictio.*

7 *In Institutionibus*] *§. 29. Instit. de Rerum Diuis.* vbi agitur de tigno alieno aedibus iuncto, quod Lex XII. TAB. neque solui, neque vindicari permittebat.

8 *Caementa*] Nulla ratione nititur haec reprehensio. Nam Accursius Vlpianum auctorem sequitur, qui *in l. 1. §. 1. D. de Tigno iunct.* exponens, quae sit *materia, e qua aedificia fiunt*, scribit: *Vnde quidam aiunt tegulam quoque, et lapidem, et testam, caeteraque, si qua aedificiis sunt vtilia, hoc amplius et calcem. et arenam tignorum appellatione contineri.* Vbi quod Accursius *caementa* legit, secutus est Vulgatam, quae habet, *et caementa, caeteraque*, v. not. Gothofr. *ad d. l.*

9 *A Iurisconsultis*] Puto Vallam ante oculos habuisse *l. 55. pr. de Legat. 3. Materia est, quae ad aedificandum, fulciendum necessaria est. Lignum, quidquid comburendi causa paratum est:* quod ad legatum materiae pertinet.

cultura ſcripſere, aliique vnam etiam arborem, particulamque illius *materiam* appellant: et breuiter, omne lignum.

ALCIATVS AD CAP. LII. 191

Conuicium negat a *vocum concertatione*, *quaſi connocium* dici: et aduerſus Labeonis ſententiam *etiam ſine vociferatione conuicium fieri* putat, ſentitque a *vitio* potius, vel a *vitando* deduci, qua in re, opinor, egregie fallitur: quid enim tunc coniunctiua illa particula operaretur? Cur enim ſi a *vitio* deducitur, ſecundum ſyllabam producit *conuicium?* cum conſtet *vitium* corripi. Nam et Cicero, quem ipſe adducit, petulantiorem iactationem in conuicio requirens pro Labeone eſt: vt mirer eum tam leuibus argumentis a recepta Labeonis ſententia deſciuiſſe, quae et orthographiae ratione defenditur, cum per *c conuicium*, non per *t* ſcribatur.

FLORIDVS AD CAP. LII.

Hic mehercule Alciatus nullius momenti rationibus tam acerbe Vallam inſectatur, quam ſi eum inextricabilibus erroribus inuolutum teneret. Inquit enim: *Quid coniunctiua illa particula operaretur?* quaſi non infinita inueniantur coniuncta idem ſignificantia, quod ſimplices voces erant per ſe ſonaturae. Et ſubdit: *Cur idem ſi a vitio deducitur, ſecundam ſyllabam producit* (1) *conuitium, cum conſtet vitium corripi?* Imo ſi hoc tibi mirum videtur, Alciate, hoc potius expedi, cur *dicax*, quae vox a *dico* deducitur, primam habet breuem, cum *dico* ſemper producat? quanquam non magis *conuitium* a *vitio*, quam a *vito* deſcendere contendat Valla, quaſi *ſimul vitandum* dicatur: quod ſi eſt, merito ſecundam producit. Nec tamen videt, hanc praecipue fuiſſe Laurentii ſententiam, vt a Iureconſulto, non tam de eius vocis deductione, quam de ſignificatu diſſentiret. Subiunxit enim non dubitaturum ſe eius definitionem improbare, vel ſi maxime etymologia pro Iureconſulto faceret, cum bonis autoribus id tantum eſſe *conuicium*, *quod vociferatione et in coetu fiat*, ſit prorſus inauditum. Et *ſine vociferatione* enim 192 *conui-*

1 *Conuitium*] Neque hic, neque apud Vallam mutandam exiſtimaui ſcripturam huius vocis, quae edita erat.

conuicium fieri Quintiliani locus ostendit, et alia multa, quae apud receptos autores obseruantur: et *licet in coetu non simus*, *conuicium* nihilominus facere dicimur. Plautus *in Mercat. II. 1. 11. Male mihi precatur, et facit conuicium.* Propertius I. *El. 6. 15.*

Vt mihi deducta faciat conuicia puppe
Cynthia, et insanis ora notet manibus.

Et III. 6. (al. 7.) 11.

Quae mulier grauida iactat conuicia lingua.

Ouidius *lib. IX. Metamorph. v. 302.*

—— Et ingrato facio conuicia demens
Vana Ioui.

Non tamen negarim etiam in coetu et cum vociferatione fieri *conuicium.* Cicero *lib. vlt. Ep. ad. Attic. 8.* de legionibus loquens ita inquit: *Congiarium ab Antonio accipere noluerunt, vt hic quidem narrat, et ei conuicium grande fecerunt.* Plautus *in Bacchid. IV. 8. 32. Vis tibi ducentos nummos iam promittier, vt ne clamorem hic facias, nec conuicium.* Vt igitur hoc est concedendum, ita praue dicimus non esse *conuicium,* quod neque in coetu fiat, nec cum vociferatione. Quod vero subiungit Alciatus. Ciceronis locum a Valla adductum pro Labeone esse, non video qua ratione id colligat. Licet enim petulantiorem in *conuicio* iactationem requirat, nihil tamen iactatio illa ad clamorem, nec petulantior quidem. Nam et aliquid sine vociferatione petulanter iactare possumus, vel si in coetu non simus. et haec de *conuicio.*

DEFENSOR AD CAP. LII.

Hic duo reprehendit Valla, et falsam esse etymologiam, et falsam definitionem: quae duo nobis tuenda sunt. De etymologia: *Quis,* inquit, *Labeoni credat conuicium a collatione vocum*
193 *dictum, quasi conuocium?* Imo vero quis tibi credat, o Valla, homini barbaro, id est, linguam Latinam non a nutrice, sed e libris discenti, neque satis erudito seculo nato, aduersus authoritatem Labeonis, Vlpianique, hominum eruditissimo-

tiſſimorum, vereque Romanorum, id negare audenti? Sed videamus quod ipſe proferas *conuicii* ἔτυμον. *A con*, inquis, *et vitium: vel a con et vito, quaſi vitandum et vituperationis cauſſa factum.* Harum duarum etymologiarum poſterior quam abſurda ſit, res ipſa indicat: et quodammodo fateris *conuito* aliud ſignificare, quam *conuicium*. Quorſum autem addita eſſet praepoſitio illa *con*, cum ſimplex idem ſignificaret? Priori vero etymologiae repugnat ſyllabarum quantitas, nam *conuicium* ſecundam producit: *vitium* autem primam habet breuem. Praeterea refragatur ſcriptura. Nam vetuſtiſſima et emendatiſſima quaeque exemplaria *conuicium* per *c* ſcribunt: quod neque negare potes, et non admodum pugnare te fateris, ſi quis *conuicium* per *c* non per *t* ſcribat. *Vitium* autem frequentius et rectius per *t* ſcribitur. Vt autem ſcias *conuicii* nomen compoſitum eſſe ex praepoſitione *con*, et *vox, vocis*, quaſi *conuocium*, et proprie [1] collationem illam vocum 194
ſignificare, proferam aliquos Ciceronis locos. Primum *ex Sextiana Cap. LV. Et is, qui antea canto-*

1 *Collationem*] Etymologiam vocis *conuicium* ab Iureconſulto traditam vulgo probant docti, et bene eas, quas Valla adfert, refellit Defenſor, laudatus eo nomine a Menagio *Cap. XXXIX. Amoen. Iur. Ciu.* vbi, vt et apud Etymologicorum ſcriptores, plura huc pertinentia legi poſſunt. Etiam Tan. Faber *ad Phaedr. I. fab. 6.* ridiculum facit Labeonem, qui a *concitatione*, vt ait, hoc vocabulum deducat. Sed hunc quoque recte redarguit ad eum locum Schefferus, cuius rationes etiam aduerſus Menagium valent, exiſtimantem tres diuerſas etymologias *conuicii* a Iuriſconſulto proponi.

cantorum conuicio conciones ſuas celebrare ſolebat, cantorum ipſorum vocibus eiiciebatur. Quo loco an putas tam inſulſum fuiſſe Clodium, vt cantores ſubornaret, qui ſibi concionanti *conuicium* facerent, ac non potius, qui ex more Pop. Romani acclamarent, *bene, praeclare, belle, feſtiue,* vt ex Quintiliano, et *lib. III de Oratore* colligere licet? II ex ea *pro Archia Cap. VI. Quia ſuppeditat nobis, vbi et animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, et aures conuicio defeſſae conquieſcant:* vbi *conuicium* non maledictum, aut probrum obiectum (quod vir Senatorius et Conſularis nunquam tuliſſet) ſed forenſem illum clamorem et vocum multitudinem ſignificat. III. *in Piſonem Cap. XXVI. Si os tuum ferreum Senatus conuicio verberari noluiſti:* quo etiam loco *conuicium* pro conſentientis Senatus voce accipi debet, ſicut Idem Cicero *in Epiſtol. lib. X. famil. 16.* ait: *Cum ei magnum conuicium fieret a cuncto Senatu.* Quos locos erudite col-
195 legit et ſuppeditauit nobis Franc. Hotomannus *in Commentario Verborum Iuris.* Cui addam Plautinum vnum locum *in Bacchidibus IV. 8. 32. Vis tibi ducentos nummos iam promittier, vt ne clamorem hic facias, nec conuicium.* Neque vero collatas in vnum plurium voces, ſed etiam vnius hominis repetitas voces, et in vnum collatas verbum hoc ſignificat, vt *in* [2] *lib. IV. Rhetor. ad Herenn. Pueri aures paedagogi conuicio*

2 *Lib. IV. ad Herenn.*] *Cap. 10.* vbi ita legitur: *Conturbatus eſt adoleſcens; nec mirum, cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas verſarentur, imperito eiusmodi conuiciorum.*

vicio assuefactae. Et *in Quintiana Cap. XIX. Qui posset scurrae diuitis quotidianum conuicium sustinere.* Transfertur autem ad maledicta, probra, et scurrilitates, vt in illo Ciceronis *pro Coelio* loco, quem profers. Venio nunc ad definitionem, in qua negas vspiam apud summos viros reperiri differentiam inter *conuicium* et *maledictum.* Quos tu mihi vero maiores viros, aut linguae Romanae peritiores proferre potes, quam Iureconsultos? quorum illud proprium est, Edictorum et Legum verba interpretari. At [3] Fabius *conuicium* et *maledictum*
indifferenter vsurpauit. Quasi vero non sem- 196
per licuerit verba, quae separatim propriam aliquam

3 *Fabius*] In huius verbis nihil est, vnde intelligi possit, concitationem collationemque vocum a *conuicio* excludi. Cicero autem *conuicium* definiens *maledictionem petulanter iactatam* aperte Vallae aduersatur, vt a Defensoribus Iurisconsultorum animaduersum est, etsi id videre non possit Floridus: neque enim petulans iactatio aliud est, quam vociferatio, et concitatio vocum, quam Iurisconsultus dicit; quae significatio in verbo *iactare* plerumque inest, vt cum *iactare voces per vmbras, iactare iurgia,* dicit Virgilius, *iactare minas, et probra,* Cicero et Liuius: vnde et in Glossis *conuicium* καταβόησιν, et *conuiciari* καταβοᾷν exponi notat Salmas. *Obseru. ad Ius Attic. et Rom. Cap. IX. pag. 261.* Quod autem porro vrget Floridus, *conuicium* etiam extra coetum posse fieri, id quidem verum est; sed *conuicia* amantium, qui eos, a quibus deseruntur, vel negligi se putant, ingratos, crudeles, perfidos vocant, de quibus in locis ab eo prolatis fere agitur, ad Edictum Praetoris *de conuicio aduersus bonos mores* non magis pertinent, quam cum Cicero *lib. II. ad Q. Fratr. ep. 11.* vehementem, et non intermissam postulationem, et Phaedrus III. *fab. 16.* cantum cicadae, aliique aliam collationem vocum, quae ad infamiam, aut inuidiam alicuius non pertinet, *conuicium* vocant.

quam significationem et quasi notam habent, confundere; et Cicero cum *maledictum petulantius iactatum conuicium* esse scribit, quid aliud, quam hanc ipsam *vocis collationem*, et contentionem designat? Praetor autem non omne *maledictum* Edicto suo *de Iniuriis* punit et persequitur, sed id tantum, quod cum vociferatione collatis vocibus aduersus bonos mores in publico dictum sit, quod Labeo et a nota verbi, et a proprietate vocabuli demonstrare voluit.

197 VALLA CAP. LIII.

In eosdem de Versicoloria.

Versicoloria [1] apud Iurisconsultos vocantur, quae natiuum colorem mutauerunt: vt vestes si albae sint, aut nigrae subnigraeue: quales ex lana non tincta solent esse, *coloriae:* si in alium colorem tinctae sint, *versicoloriae* nominantur. Caeterum vix in hunc sensum reperimus: nam [2] Cicero *collum columbi, pauonisque, et eius caudam versicolorem* vocat: et nonnulli aquam maris, vel quod versat et mutat colorem subinde, vel potius, quod sit discolor, vt apud Plinium [3] *lib. XXXVI. Subit mentem non fuisse tum authoritatem maculoso marmori, quam fecere e Thaso, Cycladum insularum vna, aeque et e Lesbio:*

1 *Apud Iurisconsultos*] *l. 70. §. 12. D. de Legat. 3. l. 78. §. 5. eod. l. 32. §. 6. D. de Auro arg. leg.*

2 *Cicero*] *Lib. III. de Finib. C. Cap. 5.*

3 *Lib. XXXVI.*] *Cap. 6. C.*

bio: liuidius hoc paulo, verſicolores quidem maculas habens. Et in [4] *eodem: Primum (vt arbitror) verſicolores iſtas maculas Chiorum lapidicinae oſtenderunt, cum extruerent muros.* Et in [5] *eodem: Veluti cum calculi fiant quos quidam abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis* 198
verſicolores. Et [6] *lib. XV. Ingens poſtea turba prunorum verſicolor, nigra, candicans: hordearia appellata, a comitatu frugis eius.* Et [7] *lib. XXV. Verſicoloribus viperarum maculis.* Et [8] *lib. XXVIII. Nullum animal pauidius eſſe exiſtimatur, et ideo verſicoloris eſſe demutationis.* Per quod apparet collum columbae, pauonisque, et caudam, aquamque non ideo *verſicolorem* dici, quod verſat colorem, ſed quod diuerſum colorem habeat. Alioqui ſatis habuiſſet Plinius dicere: *Et ideo verſicolor eſt:* nec adiungere *demutationis.* Neque vero veſtes ab hac ſignificatione communi excipiendae ſunt, putandaeque ſolae ipſae *verſicolores* ita demum dici, ſi lana tincta confectae fuerint, vt [9] apud Quintilianum: *Dum in his, de quibus erit quaeſtio, meminerimus, non athletarum thoros, ſed militum lacertos eſſe: nec verſicolorem illam, qua Demetius Phalereus dicebatur vti, veſtem bene ad forenſem puluerem facere.* Apud Titum vero

4 *Eodem*] *Cap. eod. C.*
5 *Eodem*] *Cap. 26. C.*
6 *Lib. XV.*] *Cap. 13. C.*
7 *Lib. XXV.*] *Cap. 2.*
8 *Lib. XXVIII.*] *Cap. 8.*
9 *Apud Quintilian.*] *Lib. X. cap. 1. C.*

[10] Liuium eſt, ſecundo Punico bello interdictum fuiſſe matronis, *ne verſicoloribus veſtirentur.* Quod qualiter accipiendum ſit Valerius Maximus [11] *lib. IX.* ſignificat, dicens: *Quam foemi-*
199 *nae tolli cupiebant: quia his nec veſte varii coloris uti, nec auri plus ſemuncia habere, nec iuncto vehiculo propius Vrbem mille paſſus, niſi ſacrificii gratia vehi permittebat.* Idem [12] Liuius alibi ait: *Corpus alteri magnitudine eximium, verſicolori veſte, pictisque et auro caelatis refulgens armis.* Profecto de varii coloris veſte locutus eſt. Et [13] iterum: *Tunicae auratis militibus verſicolores, argentatis linteae candidae.* Nam illud [14] Virgilii, *verſicoloribus armis,* exponit Seruius de pictis, per quod bellicoſus oſtenditur.

10 *Liuium*] *Dec. IV. lib. 4. C. Cap. 1.*
11 *Lib. IX.*] *Cap. I. de mul. Rom. C.* in al. inſcribitur *de Luxuria et Libidine.*
12 *Liuius*] *Lib. VII. C. Cap. 10.*
13 *Iterum*] *Lib. IX. C. Cap. 40.*
14 *Virgilii*] *X. Aen. C. vers. 181.*

ALCIATVS AD CAP. LIII.

Verſicolores Vlpianus appellat *lanas,* quae natiuum colorem mutarunt, ſiue purpura, ſiue cocco, ſiue alio colore infectae ſint. Valla ex variis autoribus oſtendit, *verſicolorem* aliquam rem dici, quae variorum colorum ſit. Sed Vlpiani locum a Valla non intellectum arbitror, alioquin quae a ſe dicuntur, ſatis agnouiſſet Valla nihil Vlpiani ſententiae adverſari. Igitur ſciendum, ex origine vocabuli eam rem eſſe *verſicolorem,* cuius color in alium verſus ſit: ſicut et *verſipellis,* non cui varia *pellis,* ſed qui in aliam *pellem* verſus eſt: vnde *homines in lupum mutati verſipelles* Plinio appellantur: eadem ratione *lanae verſicolores* dicuntur, quae per tincturam in alium colorem ſunt verſae. Dubitabat igitur Iureconſultus,

fultus, *lanis versicoloribus legatis* quid contineatur. Et primo respondet, *legatis simpliciter lanis versicoloria apud veteres non comprehensa: legato vero lanarum versicolorium eas intelligi, quae tinctae sunt*, *et* (quod dubitabilius erat) *etiam netae, dummodo, neque detextae, neque contextae adhuc sint.* Tunc enim non lanae, sed vestimentorum appellatione continentur. Neta lana est, quae stamen et substamen est: detexta dicitur, cum perfecta est, et a textrinis instrumentis detrahi potest: vnde et detexere auferre est. (1) Plautus: *Hunc ego hominem detexam Pallio.* Quapropter et Virgilius *Lib. X. Aen. vers. 424. Dum texit Imaona Alesus*, id est, spoliat. Contexta est, quae quidem in opere consummato est, sed cui tamen deest praetextura, quam *cimosiam* vulgo vocamus. Ex his apparet *versicolores* vestes varii coloris idcirco dici, quia ex *versicoloribus* lanis natiuis conficerentur: a qua similitudine et *versicoloria arma* Vergilius, et *versicolorem plumam* Propertius, et *versicolorem caudam* Cicero dixit. 200

1 *Plautus*] Apud Seruium *ad Plaut. Amphitr. Cap. VI. ad Virgil. l. d.* vid. Acidal. Taubm. *ad Amphit. I. 1.138.*

FLORIDVS AD CAP. LIII.

Vlpiani locum a Valla non intellectum arbitratur Alciatus. Alioqui quae ipse dicit, satis agnouisset Valla Vlpiani sententiae nihil aduersari. *Igitur sciendum est*, inquit, *ex origine vocabuli eam rem esse versicolorem, cuius color in alium* (1) *sit versus.* Quod omnia quantopere Iureconsultorum sententiam confirment, videamus. Atque illi quidem *versicolorias vestes* appellant, quae in alium colorem tinctae sint. Hoc si apud Latinum aliquem scriptorem inueniatur, Vallam errasse non inficiabor. Cum autem contra hac voce praeter Iureconsultos pro variorum colorum significatu vsi fuerint, aut Ciceronem, Liuium, Virgilium, Ouidium, Propertium, Plinium, et reliquos, aut Iureconsultos errasse, vel nolentes fateri cogimur. Nam a vestibus ad lanas transire, non est sane aliud, quam vbi manifesto tenearis, aliam rem agere, ac id dissimulare, quod primum discutiendum erat. Nec interim quomodo *lanae versicolores* pro iis, quae colorem verterunt, sint accipiendae, satis explicat Alciatus. Verum vt ad *versicoloriorum* significationem veniamus, si M. Tullius *collum pauonis columbique, et caudam versicolorem* appellat, si Plinius maculas, quae omnia pro variis sunt accipienda, 201

1 *Sit versus*] Hoc quoque verbo quidem mutato, de loco totum caput Alciati, ne scriptum erat.

pienda, cur dicimus, *verſicolores veſtes* inde dici, quod ex *lanis verſicoloribus*, hoc eſt, quae colorem mutarint, fieri ſoleant? Quis vnquam aliquam rem *verſicolorem* appellauit, quae colorem mutaſſet? nonne hoc merum eſt Alciati figmentum? At *caudam et plumam verſicolorem* dicimus, non eam quidem, quae colorem mutarit, ſed quae variorum ſit colorum. Locus porro M. Tullii, quem Valla adduxit, eſt *in III* ni fallor, *de Finibus*, *cap.* 5. vbi ita ſcribit: *Alia autem nullam ob vtilitatem, quaſi ad quendam ornatum, vt cauda pavoni, plumae verſicolores columbis, viris mammae atque barba.* Propertius vero III. *Eleg.* 5 64. (al. 6. 50.) de morte Paeti ob auaritiam loquens, *plumam* itidem *verſicolorem* appellavit, ait enim:

Et fultum pluma verſicolore caput.

Qui locus quomodo ſit intelligendus, idem autor de puellarum auaritia querens oſtendit, cum III. *Eleg.* 11. (al. 12.) 32. inquit:

Et variam plumae verſicoloris auem.

Itidem et in veſtibus dicitur, quod ſatis indicat Ouidius *in V. Faſtor.* 355. de ſacerdotibus Florae loquens, quae cum meretrices eſſent, *verſicoloribus veſtibus* indutae, vt varios florum colores Deae conuenientes exprimerent, ſacra peragebant. Ouidii verſus hi ſunt:

Cur tamen, vt dantur veſtes Cerealibus albae,
Sic eſt haec cultu verſicolore decens?
An quia maturis albeſcit meſſis ariſtis:
Et decor et ſpecies floribus omnis ineſt?

Columella *Lib. X. de Re Ruſt. vers.* 256.

Iam ver purpureum, iam verſicoloribus anni
Foetibus alma parens cingi ſua tempora gaudet.

Plinius *lib. IX. cap.* 17. *Mullum expirantem verſicolori quadam varietate ſpectari proceres gulae narrant.* Idem *lib. XVI. cap.* 25. *Nam neque ilex, picea, larix, pinus, vllo flore exhilarantur, nataleſque pomorum recurſus verſicolori nuncio promittunt*, quod quomodo ſit intelligendum paulo ante declarauerat de arboribus loquens, his verbis: *Arborum flos eſt pleni veris indicium et anni renaſcentis, flos gaudium arborum. Tunc ſe nouas aliaſque quam ſunt oſtendunt, tunc variis colo-*
202 *rum picturis in certamen vſque luxuriant.* Et inferius *eodem libro cap.* 34. de helicis generibus loquens: *Herbacea ac virens, quae plurima eſt, altera candido folio, tertia verſicolor, quae Thracia vocatur.* Quae verba quo pacto capienda ſint, paulo poſt oſtendit: *Maiora quoque*, inquit, *ac minora ſunt folia, macularumque habitu diſtant. Lib. XXI. cap.* 2. quoque, vbi

vbi qui primi flores in coronis miſcere coeperint, docet; *Poſtea variari coeptum eſt*, ait, *mixtura verſicolori, florumque inuicem odores coloresque accendere Sicyonii ex ingenio Pauſiae pictoris, atque Glycerae coronariae.* An ergo his in locis ita ſit capienda *verſicolorium* vox, quemadmodum ſecum comminiſcitur Alciatus, vt Iureconſultos protegat, diffuſius non explico, cum nemo ſit (vt opinor) tam imperitus, quin Alciati pro Iureconſultis defenſionem meras nugas eſſe videat. Neque porro, ſi ea dicimus *verſicoloria*, quae diuerſorum ſunt colorum, aliqua negamus eadem voce comprehendi, quae colorem verſent, hoc eſt, quodammodo varium atque inſtabilem reddant, prout ſunt pauonis caudae, et columbarum circuli *verſicolores*. Id enim fieri tradit Lucretius, et eius rei rationem reddit *lib. II. vers. 797.* hiſce elegantiſſimis verſibus:

Qualis enim caecis poterit color eſſe tenebris?
Lumine qui mutatur in ipſo propterea quod
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget,
Pluma columbarum quo pacto in ſole videtur;
Quae ſita ceruices inter collumque coronat,
Namque alias fit vti claro ſit rubra pyropo, etc.

Caeterum haec per aërem colorum mutatio, ſiue varietas, in iis tantum fit, quae variis itidem coloribus natura conſtant. In pauonis enim cauda non vnum, ſed multos colores videmus, ſicut et in columbi collo, quod Plinius *lib. X. cap. 36.* teſtatur, ita ſcribens: *Verum columbis ineſt quidam et gloriae intellectus, noſſe credas colores, varietatemque diſpoſitam.* Perperam proinde Iuriſconſulti eas *lanas verſicolores* appellant, quae colorem mutarunt, ſiue verterunt: cum ea vox diuerſos ſemper colores denotet: ac ſi quando colores verſet, ea tamen mutatio lanis quouis colore tinctis non conueniat, quod vel ab obliqua, vel a recta luce percuſſae, eundem colorem ſeruent. Componuntur a *colore* et alia non pauca, qualia ſunt *diſcolor*, quod eſt diuerſorum colorum. Virgilius *in VI. Aen. 204.*

Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.

Cicero *in II. Verrin. cap. 13. Iam vero quomodo illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquerar, hoc* 20 *factum eſſe in hac ciuitate cum ſenatorius ordo iudicaret, vt diſcoloribus ſignis iuratorum hominum ſententiae notarentur?* *Decolor*, quod eſt vitiato colore. Ouidius IV. *Triſt. El. 2. 42.*

Decolor ipſe ſuo ſanguine Rhenus erat.

Et IV. *Metam. 21.*

Decolor extremo qua cingitur India Gange.

Virgilius *lib. VIII. Aen. 326.*

> *Deterior donec paulatim, ac decolor aetas,*
> *Et belli rabies, et amor ſucceſſit habendi.*

Et *concolor*, quod eſt eiusdem coloris. Virgilius VIII. *Aen. 82*

> *Candida per ſyluam cum foetu concolor albo*
> *Procubuit, viridique in littore conſpicitur ſus.*

Ouidius *in IV. Metamorph. 406.* de Pelope:

> *Concolor huic humerus naſcendi tempore dextro,*
> *Corporeusque fuit.*

Et *in X. 735.*

> *—— Cum flos de ſanguine concolor ortus.*

Et *bicolor*, quod eſt duorum colorum. Idem XI. *Metam. 23*,

> *Myrtea ſylua ſubeſt, bicoloribus obſita baccis.*

Item *vnicolor*, vnius coloris. Idem XI. *Metam. 610.* Somni domum deſcribens:

> *At medio torus eſt hebeno ſublimis in antro,*
> *Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus.*

Caeterum quia *verſipelles* eos dici cenſet Alciatus, non quibus varia *pellis* ſit, ſed qui pellem mutarint, aut in aliam pellem verſi ſint, vnde *homines in lupos mutati verſipelles* Plinio appellantur *lib. VIII cap. 22.* quod Alciati pace dictum ſit, non exacte docuit, quinam vere dicantur *verſipelles.* Vt enim plumam *verſicolorem* dicimus variam, ita homines aſtutos et varios, *verſipelles* appellamus. Cuius vocis ſignificationem graphice nimirum expreſſit Plautus, latinitatis, vt ſi quis alius, ſciens. Sic enim ait, *in Bacchid. IV. 4. 12. Verſipellem frugi conuenit eſſe hominem, pectus cui ſapit, bonus ſit bonis, malis malus, vtcunque res ſit, ita animum habeat.* Non eſt igitur proprie *verſipellis* qui pellem mutat, licet Plinium id ſentire credat Alciatus. Alioquin *capillum verſipellem* ſatis inepte diceremus, quippe qui pellem, quam
204 nullam habet, mutare non poſſit. Plautus tamen *capillum verſipellem* appellat: non eum ſcilicet, qui pellem verterit, ſed qui mutato priſco colore in caniciem vergens, varius iam eſſe incipiat. *In Perſa II. 2. 47.* enim ſic ait: *Tempori hanc vigilare oportet famulam, atque aetatulam, ne vbi capillus verſipellis fiat, foede ſemper ſeruias.* Nec me latet eundem Plautum *in Amphitryonis prologo vers. 120. Iouem verſipellem* appellare, qui in Amphitryonem eſſet conuerſus, cum inquit: *Nam meus pater intus nunc eſt, eccum Iupiter in Amphitryonis vertit ſeſe imaginem, omnesque eum eſſe cenſent ſerui,*

qui

qui vident: ita verſipellem ſe facit, quando lubet Sed eo in loco, *verſipellem* pro vario poſitum, commodiſſime interpretari poſſumus, nempe quod Mercurio Iupiter, caeteris videretur Amphitryo: quanquam et eius exprimere faciem poterat Iupiter, etiamſi pellem non mutaret. Ad ſummam ſi Plinius optime appoſitiſſimeque *homines in lupos mutatos verſipelles* appellauit, non tamen protinus eas *lanas* dicemus *verſicolores*, quae colorem mutarint, cum omnium ferme Latinorum conſenſu ea (vt oſtenſum eſt) dicantur *verſicoloria*, quae diuerſorum colorum ſint.

DEFENSOR AD CAP. LIII.

Quin *verſicolor* apud authores id ſignificet, quod diuerſi, vel potius varii coloris eſt, nemo neſcit. Quod ſi Vlpianum latuiſſe, Valla, credis, tanto es inſulſior. Sed tibi ſpectandum fuit, quid tractaret Vlpianus, et de quo ageret, vt eius mentem facilius deprehenderes. Nam cum in illa *l. ſi cui lana. 70. D. de Legat. 3.* quaereret, *quid legato lanae ſimpliciter, quid item verſicoloris lanae contineretur:* et inualuiſſet vſus, vt *lanae legato*, vel appellatione id quod tinctum non eſt, ſed *αὐτοφυὲς* intelligeretur: 205
dubium non eſt, quin *verſicoloris* nomine non lana varii coloris (quis enim lanam non detextam variam vnquam vidit?) ſed quicquid colorem mutauit veniat *l. pediculis. 32. §. Labeo. 6. D. de Auro et arg. leg. l. quaeſitum. 78. §. coccum. 5 D. de Legat. 3.* Nam etſi communis vſus repugnaret, tamen [1] teſtatoris voluntas,

M 5 quae

1 *Teſtatoris voluntas*] Non abſurdum videtur exiſtimare hinc ortum fuiſſe, vt Iuriſconſulti huic voci aliam ſignificationem, quam vulgo alii ſcriptores Latini, tribuerint. Finge

quae vna in vltimis voluntatibus dominari debet, id expofcit, vt *verficolorium* vel *lanae verficoloris legato* contineatur quicquid tinctum fucatumue eft, et colorem mutauit: quia ipfae lanae tinctae licet feparatim, et per fe vnaquaeque fuum colorem habeat, tamen fimul fumptae, et vnius legati nomine comprehenfae, variae funt et diuerfae. Adde quod non repugnat, imo arridet potius vocabuli ἔτυμον, vt quicquid [2] colorem
206 verterit *verficolor*, vel *verficolorium* effe dicatur. Sic enim et [3] *verfipellis* dicitur, non cui varia pellis eft, fed qui in aliam pellem verfus eft. Vnde

ge enim eum, qui duorum generum lanam habebat, alteram αὐτοφυῆ, alteram tinctam, Titio *lanam*, Seio *lanam verficoloriam* legaffe; quid aliud ex interpretatione voluntatis defuncti *legato verficoloriae*, quam eam, quae natiuum colorem tingendo verterit, contineri dicemus? Diffenfiffe tamen hac in re Iurifconfultos, et alios *lana legata etiam verficoloria contineri* exiftimaffe, notant Cuiac. *ad Paulum Lib. III. Sentent. Tit. 6. §. lana legata.* et Raeuard. III. *Coniect. 15.*

2 *Colorem verterit*] Haec etiam Salmafii fententia eft, qui *ad Tertullian. de Pall. Cap. III. pag. 191.* fcribit, *verficolor* Latinis dupliciter fumi: aut enim id effe, quod colorem femel mutauit; aut quod colorem fubinde mutat, prout mouetur, vt colla columbarum. Priori fignificatione apud Iurifconfultos accipi; pofteriori et alibi, et apud *Tertullian. l. d.* vbi *multicolor*, *difcolor*, et *verficolor* diftinguntur. add. quae habet Idem Salmaf. *ad Vopifci Aurelian. cap. XLVI.*

3 *Verfipellis*] In expofitione huius vocabuli Floridus non recte reprehendit Alciatum. Nam cum *verfipellis* pro aftuto ac vario fumitur, id fit non propria, fed translata fignificatione: quod ii, qui formam mutant, quique alium habitum, vultum, geftum capiunt, id fere fallendi caufa faciunt. Propria autem fignificatio eft, quam Alciatus ac Defenfor tradunt, cum eum notat, qui pellem, faciemue exteriorem vertit: vt *homo verfipellis*, in lupi, *Iupiter verfipellis*, in tauri, hominis, cycni, aliorumque pellem ac formam verfus, qui et *verfiformis* inde dicitur a Martiano Capella.

Vnde *homines illos* λυκανθρώπȣς, *in lupum mu-*
tatos verſipelles maledicto vocari Plinius teſtatur
lib. VIII. cap. 22. Extra rem eſt igitur quicquid
hic Valla de *verſicoloribus veſtibus, armis, ani-*
malibus, marmoribus, atque adeo *prunis,* ſi pla-
cet, collegit. Quibus ſexcenta alia addere, et
ſimiles authoritates colligere non fuerit magni
ſane negotii, quae tamen Vlpiano nihil obſunt:
non ſolum quia de veſtibus non agit, nec quid
verbum *verſicolor* ſignificet exponit: ſed tantum
quid *legato lanae ſimpliciter,* quid item *legato*
verſicolorium, lanarum ſcilicet, veniat, reſpon-
det et interpretatur, ſed etiam quia is ipſe Vlpia-
nus nihilo minoris eſt in Lingua Latina autho-
ritatis apud eruditos omnes, quam ii ſcriptores
ex quibus varia haec teſtimonia profert Valla, 207
quosque ſummos viros appellat.

VALLA CAP. LIV.

In eosdem de Penes, *et* Apud.

Penes te, vt [1] Vlpianus ait, *amplius eſt,*
quam apud te. Nam apud te eſt, quod quali-
tercunque a te tenetur: penes te eſt, quod quo-
dammodo a te poſſidetur. Et ante hunc Feſtus
Pompeius: *Apud et penes in hoc differunt, quod*
alterum perſonam cum loco ſignificat: alterum
perſonam, et dominium, ac poteſtatem: quod tra-
hitur a penitus. Perſonam cum loco Feſtus
accipit pro perſonam et locum, vt *apud Plato-*
nem,

1 *Vlpianus*] *l. 63. D. de Verb. ſign.*

nem, et *apud forum*, id eſt, *in Platone*, et *in*
foro: quorum vtriusque diffinitionem probo,
illudque addo: *Penes*, dum tantum ad perſo-
nam refertur, non modo dominium adeſſe
ſignificare, verum etiam laudem ac vituperatio-
nem. De laude, vt Cicero [2] *in Bruto: Cuius*
penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, ac
ſcientiae. De vituperatione, vt Quintilianus [3] *in*
Gladiatore: Vereor ne illius inexpiabilis et ſaepe
208 *reprehenſi odii culpa videatur penes patrem, qui*
tam facile iraſcitur. Illud quoque, quod cre-
bro vſurpamus, *fides penes authores ſit*, et in
laudem, et in vituperationem ſimul accipitur,
quaſi laus veritatis aut vituperatio falſitatis *penes*
authorem ſit, ad quem ſpectat, fidem rei, cuius
author eſt, facere. Ad me certe iſta vel laus,
vel vituperatio non ſpectat, qui hoc non affir-
mo, ſed ad alterum authorem relego. Quod
de laude et vituperatione dico, idem accipio de
commodo et incommodo. Vt [4] Liuius: *Vt*
penes eosdem pericula belli, penes quos praemia
eſſent. Nonnunquam etiam loco ſeruit, ſicut
apud Ciceron. [5] *lib. IV. ad Herenn. Ita petulans*
es atque acer, vt ne ad ſolarium quidem, vt mihi
videtur, ſed penes ſcenam et in eiusmodi locis exer-
citatus ſis. Penes ſcenam, id eſt, *apud ſcenam.*

ALCIA-

2 *In Bruto*] *Cap. LXXIV.*
3 *In Gladiatore*] *Declam. IX.*
4 *Liuius*] *Lib. II. C cap. 24.*
5 *Lib. IV. ad Her.*] *Cap. 10.* Sed aliae Edit. ibi habent *pone ſcenam.*

ALCIATVS AD CAP. LIV.

Penes idem quod *apud* significare ostendit, cum tamen Vlpianus scripserit, *penes te amplius esse, quam apud te:* sed nec Vlpianus puto negasset differentiam illam suam ab autoribus quandoque confundi, quae tamen ex vi verbi verissima sit: deducitur enim a dictione (1) *penitus*, vnde et *penissimus* et 209
penitissimus, vt Plautus caeterique antiquiores dixerunt.

1 *Penitus*] Ita quidem Festus loco a Valla laudato. At Vossius contra *penitus* a *penes* esse putat. Alii a *penus* deducunt. *Penitissimus* dixit Plautus *in Cistellar. I. 1. 65. Pectore penitissumo*, et *in Persa IV. 3. 53. Ex Arabia penitissuma.* Id fit a positiuo *penitus*, cuius foemininum itidem est apud Plautum *Asinar. I. 1. 28. Ex penitis faucibus.* Ab eodem comparatiuum *penitior* laudat Priscianus *pag. 599.* ex Apuleio. *Penissimus* quis dixerit, non scio. *Penissime* aduerbium est Plauti *in Mostellar. III. 1. 127. Ita mea consilia perturbat penissume.* Sed hoc a *pene* aduerbio esse docuit Priscian. *Lib. III. p. 608.* et *Lib. XV. pag. 1008.*

FLORIDVS AD CAP. LIV.

Haec quasi inexpiabilia crimina Iureconsulto obiecto ita diluit Alciatus, vt Vlpianum non negaturum fuisse putet, suam illam differentiam ab autoribus quandoque confundi, quae tamen ex vi verbi verissima sit: quum deducatur a dictione *penitus*, vnde et *penissimus*, vt Plautus caeterique antiquiores dixerunt. At ego quonam pacto Vallam reprehendere possit Alciatius non video. Producit in medium primo Vlpiani definitionem, deinde idem sentientem Sextum Pompeium citat, demum vtriusque confirmat sententiam. Recte haec quidem. Sed aliqua addit, et eorum verborum significationem tum ex M. Tullii *Bruto*, et *libris ad Herennium* (si modo M. Tullii sint illi) tum ex T. Liuio, et Fabio Quintiliano latius explicat: et hoc rectissime, nisi forte nemini ad Iureconsultorum scripta quicquam addere licere credamus. *Penitus* sane vehemens habet significatum, cum quasi *interius*, aut *intime* exponi possit. Cicero *pro A. Cluentio cap. I. Euellam ex animis hominum tantam opinionem? tam penitus insitam?* Et *contra Rullum II. 6. Non enim natura, neque dissidio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu.* Virgil. III. *Aen. 31.*

Rursus et alterius lentum conuellere vimen
Insequor, et causas penitus tentare latentes.

Et

210 Et *in XII. Aen. 389.*

— — Telique latebram
Rescindant penitus.

A *penitus penetrare* deducitur. Idem I. *Aen. 242.*

Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus.

Et VII. *206.*

— — His ortus vt agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad vrbes.

Ouidius II. *Metam. 260.*

Dissilit omne solum, penetratque in Tartara rimis Lumen.

Ab hoc verbo et *penetrabile telum in X. Aen. 481.* et *frigus penetrabile I. Georgic. 93.* et alia multa deducuntur, de quibus alii diffusius. Neque enim id nunc agimus, vt omnia verborum significata exequamur.

DEFENSOR AD CAP. LIV.

Hic morbum suum detegit Laurentius, nimiam scilicet [1] reprehendendi libidinem. Nam cum tam Vlpiani *in l. penes. 63. D. de Verb. sign.* quam Festi in verbo *apud* diffinitionem, vt vocat, probet (melius differentiam inter *penes* et *apud* dixisset) aliquid tamen de suo addendum censuit, quasi minus plene docuissent. Id tamen quale sit, videamus. *Penes*, inquit, *etiam laudem ac vituperationem significat*: Quasi
211 vero id ex vi verbi, ac non ex iis quae adiecta sunt pendeat: vt cum dicitur: *Penes hos huius rei laus est: Omnis huius rei culpa penes te est:* quod

1 *Reprehendendi libidinem*] Hanc ego hoc quidem loco in Valla nullam animaduerto: cui nihil aliud est, quod hic obiici possit, quam quod immemor praecepti Plinii, qui scriptores librorum suorum titulos etiam atque etiam considerare iubet, libro *de Notis auctorum* hoc caput inseruit, in quo nota nulla est.

quod et per praepoſitiones *in*, vel *ad*, exprimi poteſt. Idem eſt enim, ac ſi diceretur, *in te ſita eſt*, vel *ad te redit*. Itaque non ſolum laudem ac vituperationem, ſed et commodum ac incommodum hac praepoſitione exprimi poſſe dicis. Eadem vero ratione bonum ac malum, poenam et praemium, et ſexcenta alia ſignificari poſſe dicito. Nam quae inanima ſunt, ea cum *in* vno *aliquo eſſe* dicere volumus, verbo *penes* vtimur, quaſi *penitus in eo* inſint. Sic *fidem*, *ſuſpicionem*, *cauſſam rei alicuius penes illum eſſe* dicimus, *in quo* ea ſunt. Adiicit Laurentius, *penes* interdum locum ſignificare, vt *penes ſcenam*, nempe vt Feſtum argueret, qui *apud*, *perſonam cum loco: penes*, *perſonam cum dominio ac poteſtate oſtendere*, ſcripſit. Verum, vt apparet, Feſtus haec aduerbia conſiderauit prout perſonam reſpiciunt ad eamque referuntur, non vt ad locum tantum. Quod ſi noſter hic in Digeſtorum frequenti lectione diutius verſatus fuiſſet, hui, quantam feneſtram ad illudendum Vlpianum ſibi aperuiſſet! Dixiſſet traditam ab Vlpiano differentiam et ab ipſo, et aliis Conſultis ſexcentis in locis neglectam fuiſſe. Protuliſſet *l. Titio.34. §. Caius.3. D. de Legat. 2.* vbi *penes vxorem eſſe* dicuntur, quae in eius 212
praetorio eſſent, licet ab ipſa nec poſſiderentur, neque detinerentur. Item *l. 1* et *l. 3. §. ſi penes. 4. D. de Tabul. exhib.* vbi tabulae *penes ſeruum* eſſe poſſunt, vel ipſo authore Vlpiano: cum tamen ſciamus ſeruum nil poſſidere, nul-

lius

lius rei dominium ac poteſtatem habere: ſervos Iure Ciuili pro mortuis, imo pro nullis haberi. Sed et *in d. l. 3.* § *2.* quod Praetor in Edicto dixit *penes*, Vlpianus reddit per *apud.* Vt et *in l. ſi quis in tantam. 7. Cod. Vnde vi.* Sic et *in l. et habet. 15. §. eum qui. 4. D. de Precar.* res precario rogata *penes vtrumque* eſſe dicitur, tam eum, qui rogauit, quam qui precario conceſſit. Facit et *l. eum qui 23. ad fin. D. de Vſucap.* Verum haec reprehenſionem non merentur. Aliud enim eſt verborum originem et propriam ipſorum ſignificationem oſtendere: aliud communem loquendi vſum, et vulgi conſuetudinem minutias has negligentis ſequi.

VALLA CAP. LV.

213

In eosdem de Patres, Maiores, Poſteri, *et* Minores.

Patres, inquit [1] Paulus, *vſque ad tritauos proprio vocabulo nuncupantur apud Romanos. Vlteriores, qui non habent ſpeciale nomen, maiores appellantur. Item liberi vſque ad trinepotem: vltra hos poſteriores vocantur.* Sed cum venia Pauli, neque vſus in hoc, neque ratio conſentit. *Omnes* enim *qui ante nos fuerunt*, vtique qui liberos reliquerunt, atque id in noſtra ciuitate, *maiores* dicuntur: *qui* vero *poſt nos*, *poſteriores*. Cicero [2] *in Salluſt. Ego meis maioribus*

1 *Paulus*] *l. 10. §. 7. D. de Gradib. et affinib.*
2 *In Salluſt.*] *Cap. 11.*

*ribus virtute praeluxi: vt ſi prius noti non fue-
rint, a me accipiant initium memoriae ſuae. Tu
tuis vita, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti
tenebras: vt etiam ſi fuerint egregii ciues, certe
venerint in obliuionem.* Nunquid Cicero ait,
ſe praeluxiſſe illis tantum, qui *ſupra tritauum*
fuerunt: Salluſtium vero tenebras offudiſſe?
An potius vt quisque a Cicerone atque Salluſtio
recentiſſimus erat, ita illi maxime horum vtrun- 214
que vel praeluxiſſe, vel tenebras offudiſſe? An,
ſi quis *claris maioribus* ortus quaeretur, non
multo magis is dicatur, qui patrem, auum,
proauum, abauum, atauum, tritauum claros,
caeteros autem obſcuros habuit, quam qui ita
e contrario? Hoc ne ipſe quidem Paulus nega-
ret. Inſuper *patres* non opinor vſque ad trita-
vos poſſe deduci. Cum enim dicimus, *patrum
memoria* aliquid factum eſſe, de proxima aetate
ſemper intelligimus, non de illa etiam ſexta.
Dixi de *maioribus* et *patribus*, videamus de
poſterioribus, ſiue *poſteris*. Idem Cicero eun-
dem locum ſic perſequitur: *Quare noli mihi an-
tiquos meos obiectare. Satius enim eſt, me meis
rebus geſtis florere, quam maiorum opinione niti,
et ita viuere, vt ego ſim poſteris meis nobilitatis
initium, et virtutis exemplum.* Ita, opinor, non
pertinebat ad filium, non ad nepotem, non ad
pronepotem, non ad abnepotem, non ad tri-
nepotem Tulliana nobilitas, et virtutis imitatio,
ſed a filio trinepotis inceptura, quia ab eo *poſte-
ritas* Tulliana initium acceptura erat, quum

potius tunc esset acceptura occasum. Idem [3] alibi: *Nec vero dubitat agricola, quamuis sit senex, quaerenti cui serat, respondere, Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerint, sed etiam posteris prodere.*
215 Taceo, quod C. [4] Caligula volebat *solos posteros filios esse*, nec iura concessa *posteris* ad *nepotes* peruenire. Sed ne causari queat, non positum exemplum *posteriorum*, sed *posterorum* esse, Quintilian. [5] *Lib. XI. Maluit enim vir sapientissimus, quod superesset ex vita sibi perire, quam quod praeterisset: et quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posteriorum sese iudiciis reseruauit.* Nescio tamen an potius legendum sit *posterorum*, vt intelligamus, hoc, quam illud nomen esse vsitatius, et non modo ad eos, qui ex nobis geniti sunt, sed ad vniuersos, qui post nos erunt, pertinere. In eundem opinionis errorem incidit Seruius, qui [6] *in VIII. Aen.* ait: *Minores non dicimus, nisi quoties graduum deficit nomen, vt pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos. Vbi isti gradus defecerunt*, *merito iam dicimus minores, sicut etiam dicimus maiores post patris, aui, proaui, atauique vocabulum.* De *maioribus* satis modo disputauimus. Alterius nominis ratio eadem vno exemplo satis probabitur, eoque (quia cum Seruio

3 *Alibi*] *In Catone Maiore. C. Cap. VII.*
4 *Caligula*] *Sueton. in Calig. Cap. XXXVIII. C.*
5 *Lib XI.*] *Cap 1. C.*
6 *In VIII. Aen.*] In illud: *Ex illo celebratus honos, laetique minores Seruauere diem, C. vers. 268.*

Seruio expositore Virgilii agimus) Virgiliano ex [7] *I. Aeneid.*

Hunc laetum Tyriisque diem, Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores. 216

Quis non videt Didonem locutam de parentibus, qui tunc erant, eorumque filiis, natisque natorum, et qui nascerentur ab illis: non autem de filiis atnepotum, et deinceps, qui illius diei meminisse non poterant, nisi id a parentibus accepissent?

7 *I. Aeneid.*] *vers.* 732.

ALCIATVS AD CAP. LV.

(1) Eadem ratione et hoc accusationis caput non consistit, dum Paulum damnat, qui *parentes vsque ad tritauos proprio vocabulo dici asseruit, vlteriores vero maiorum appellatione contineri.* Nam quamuis etiam *maior* dicatur pater, auus, proauus, tamen hoc non est proprio, id est, ipsis tantum convenienti nomine, sed generali. Iurisconsultus autem de proprio vocabulo agit.

1 *Eadem ratione*] Quam cui haec coniunxerat, exposuit supra *Cap. XLV.*

FLORIDVS AD CAP. LV.

Hoc totum accusationis caput minime subsistere credit Alciatus: *quamuis enim etiam maior dicatur pater, auus, proauus, tamen hoc non est proprio, id est, ipsis tantum convenienti nomine, sed generali, cum de proprio vocabulo egerit Iureconsultus.* Ex quibus improprie *maiores* dici, qui infra tritauum sunt, colligit Alciatus. At id maxime est ridiculum, cum idem sentiat, quod et Iureconsultus, et praue 217
quidem. Siquidem hoc vocabulo tam promiscue Latini scriptores vtuntur, vt non magis iis conueniat, *qui supra*

tritauum sunt, quam *patri, auo, proauo*, et similibus. Quod licet Valla satis aperte ostenderit, melioribus id, atque apertioribus testimoniis planum faciam. Plautus namque *in Milite II. 4. 19.* ita scribit: *Noli minitari, scio crucem mihi futuram sepulcrum, ibi enim mei maiores sunt siti, pater, auus, proauus, abauus.* Et *in Persa I. 2. 3.* ex parasiti persona: *Nam nunquam*, inquit, *quisquam meum maiorum fuit, qui non parasitando pauerit se, pater, auus, proauus, abauus, atauus, quasi mures semper edere alienum cibum.* Et inferius *Ibid. vers. 9. Vnde ego quaestum hunc obtineo, et maiorum locum.* His verbis quid sit clarius, quid magis proprium, nihil video. Tam enim dilucide *maiores* appellauit Plautus, *qui infra tritauum sunt*, vt hoc dubium decidere voluisse videatur: nisi maior habenda sit Pauli, quam huius Poëtae in latinitate autoritas. Idem confirmat Terentius, apud quem *in Adelphis III. 4. 47* sic de filio cum seruo loquitur senex Demea: *Saluus sit. spero erit similis maiorum suum.* Quo in loco de se ipso praecipue intelligebat senex. Subdit enim: *Syre praeceptorum plenus istorum ille. fit sedulo, nihil praetermitto, consuefacio, denique inspicere tanquam in speculum vitas hominum iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. hoc facito, hoc laudi est, hoc vitio datur.* M. quoque Cicero *in VI. Verrina cap. 27.* idem sentit. ait enim: *Nam regis Syriae Antiochi filios pueros scitis Romae nuper fuisse, qui venerant non propter Syriae regnum: nam id sine controuersia obtinebant, vt a patre et a maioribus acceperant: sed regnum Aegypti ad se et ad Selinen matrem suam pertinere arbitrabantur.* An obsecro Antiochi filii regnum Syriae a patre primo, deinde ab aliis, qui *supra tritauum* fuissent, acceperant? Et Caesar *lib. I. de Bell. Gall. cap. 13.* sic ait: *Quod improuiso vnum pagum adortus esset, cum hi qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae virtuti magnopere tribueret, aut ipsos despiceret: se ita a maioribus didicisse, vt magis virtute quam dolo contenderent, aut insidiis vterentur.* Et paulo post *cap. 14. Diuitiaco respondit ita, Heluetios a maioribus suis institutos esse, vti obsides accipere, non dare consueuerint, eius rei Populum Rom. esse testem.* Quid Sallustius? nonne in eodem significatu *maiores* posuit? Et fuit is certe proprietatis studiosissimus. At ita apud eum loquitur *in Iugurthino Cap. XIV.* Adherbal in senatu: *Verum ego his finibus eiectus sum, quos maioribus meis Populus Romanus dedit, vnde*
218 *pater et auus meus vna vobiscum expulere Syphacem, et Carthaginienses.* Loquitur autem Adherbal de Micipsa patre, et auo Masinissa: nam eos, qui supra Masinissam fuerant, ignorauerat Populus Romanus. Neque hic est omittendum, quod Seruius *primo in Aeneida commentario (ad I. Aen. 532.)* docet,

docet, *maiores et minores, quoties de genere dicimus, numeri esse tantum pluralis.* Cumque subiunxerit Valla, quum aliquid *patrum memoria* factum dicimus, de proxima aetate semper intelligi, non de illa sextra: recte illum sensisse ostendunt Latini autores. Liuius *lib. XXXIX.* ab V. C. *cap. 16. Quoties hoc patrum auorumque aetate negocium est Magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent?* Caesar *primo Commentario de Bello Gallico cap. 40. Factum eius hostis periculum patrum nostrorum memoria.* Dicitur et quid fieri *auorum memoria*, vt Liuii locus proxime citatus ostendit. Et alia eiusdem cum *lib. XXII cap. 60.* vbi ait: *Sicut auorum memoria P. Decius Tribunus militum in Samnio:* tum *lib. XXXII. cap. 22.* cum inquit: *Nam Megalopolitanos auorum memoria pulsos ab Lacedaemoniis restituerat in patriam Antigonus.* Quin etiam *nostra memoria* aliquid fieri dicitur. Caesar *lib II de B. G. cap. 4. Apud eos fuisse regem nostra etiam memoria Diuitiacum, totius Galliae potentissimum.* Quae omnia proprie sunt intelligenda, nisi sicubi amplam de more sibi licentiam desumant poëtae, quale est Ouidianum illud *in VI. Factor 657.*

Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, et in magno semper honore fuit.

Veteres addidit, videlicet quod etiam supra auorum memoriam tibicinum vsus in honore fuerat. *Aui* praeterea saepe pro *maioribus*, vel si qui supra maiores dici possunt, accipiuntur. Virgilius VI. *Aen. 841.*

— *Vltus auos Troiae.*

Ouidius in IV. *Fastor. 39.*

Venimus ad felix aliquando nomen Iuli,
Vnde domus Teucros Iulia tangit auos.

Et inferius *Ibid. vers. 123.*

Assaracique nurus dicta est, vt scilicet olim
Magnus Iuleos Caesar haberet auos.

DEFENSOR AD CAP. LV. 219

Quid hic inepte cauillaris et reprehensionis gloriolam quaeris? An cum vel Vlpianus in *l. 4. §. 2. D. de In ius vocando*, vel Paulus *in l. vlt. §. parentes. 7. D. de Gradib. et adfin.* aiunt

Patres siue parentes vsque ad tritauos proprio vocabulo nuncupari; [1] negant etiam eos generali *maiorum* vocabulo contineri? Aut cum
220 dicunt *liberos vsque ad trinepotem dici,* ideo eos a *posteriorum,* seu *posterorum,* et *minorum* appel-

1 *Negant*] Recte hic disputat Defensor aduersus Censores Iurisconsultorum, e quorum reprehensionibus nulla mihi leuior atque iniquior visa est, quam quae hoc Capite continetur. Nam si recta ratione impugnare Paulum voluissent, ostendendum iis fuisset, vel parentes vsque ad tritauos, et liberos vsque ad trinepotes apud Romanos propria nomina non habere; vel eos, qui vltra hos sunt, specialia nomina habere, nec generalibus nominibus *maiorum,* aut *posterorum* appellari. At horum illi nihil docent; sed quia Paulus ait, eos, qui vltra tritauos sunt, *maiores,* qui vltra trinepotes, *posteros* generali nomine appellari, eo quod speciale non habeant, hoc ipso illum negare contendunt, eos, qui infra tritauum sunt, vnquam *maiores,* et qui ante trinepotem, *posteros* a Latinis dici. Hoc vero nihil aliud est, quam calumniari verba Iurisconsulti, et ea in aliam sententiam, atque ab ipso prolata sunt, detorquendo caussam eum reprehendendi quaerere, cum nullo argumento ex his, quae dicit, colligi possit, eum existimasse non etiam eos, qui infra tritauum sunt, *maiores,* et qui ante trinepotem, *posteros* apud Latinos appellari: de quo quod nihil monuit, suo iure fecit, quod id ad enumerationem graduum, et adfinium, eorumque nominum, de quibus ibi agit, non requirebatur. Praeterea Vallam etiam in eo falli, quod opinatur *patres* (ita enim legit *in l. 10. §. 7. D. de Gradib. et affinib.* pro *parentes,* quod est in Edd. Gothofr.) non posse dici omnes vsque ad tritauum, ostendit hoc Virgilii VII. *Aen. 371.*

Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres.

Vbi *patres* Turni dicuntur, a quibus ille aliquot saeculis distabat. Sed et Plinius *patris* appellationem si non ad proauum, certe ad auum vsque extendit *lib. VII. H. N. cap 13. Q. Metellus Macedonicus cum sex liberos relinqueret, vndecim nepotes reliquit, nurus vero generosque, et omnes, qui se patris appellatione salutarent, viginti septem.* Virgilio autem X. *Aen. 619.* et Persio VI. *Sat. 57.* etiam abauus *quartus pater* dicitur.

pellatione ſecludunt? Atqui vulgatius eſt hoc, quam vt probatione egeat, generalia nomina cum ſpeciale nomen inuenitur, non ſolere vſurpari, ſed ſpeciem differentem conſtitui, manente tamen generali denominatione. Sic *adoptionem* in genere diuidimus in eam, quae *ſpecialiter adoptio* dicitur, et *adrogationem l.* 1. *D. de Adoption.* Et *cognatorum* generale nomen ſubdiuiditur in *agnatos* et *cognatos*, qui per foeminini ſexus perſonas tantum iunguntur §. 1. *Inſtit. de Legit. agnat. tut.* et §. 1. *Inſtit. de Legit. agnat. ſucceſſ.* Sic *ligni* nomen generale in *materiam* et *lignum* ſeparatur *l. ligni.* 55. *princ. D. de Legat.* 3. Idemque in *conuentionis* et *mortis cauſſa donationis*, ſed et *Iuris Ciuilis* appellationibus obſeruatur. *l. iuris gentium.* 7. *in princ. D. de Pact. l. mortis cauſſa.* 3 *D. de Donation. cauſ. mort. l. ius ciuile.* 6. *D. de Iuſtit. et Iure.* 221
Itaque quamuis generali nomine *maiores* omnes dicantur quotquot ante nos vixerunt, et *poſteri*, qui poſt nos victuri ſunt: tamen paulo aſtrictiori vocabulo *parentes* dicuntur ſuperiores vſque ad tritauum, vel etiam ad proauum vſque *l. appellatione.* 51. *D. de Verb. ſignif. liberi*, inferiores vſque ad trinepotem. Reliqui in *maiorum* et *minorum*, ſeu *poſterorum* generali nomine manent *l. vlt.* §. *parentes.* 7. *D. de Gradib. et adfin.* Quod ſi et ipſam *parentum* et *liberorum* vocem ſpecialius aſtringere velis, eueniet vt in ſolis patribus et filiis conſiſtat. Reliqui propriis nominibus, vt auus, proauus, etc. nepos,

 prone-

pronepos, et deinceps nuncupentur. Rursus si *parentis* appellationem extendere oporteat, omnes in infinitum superiores continebuntur, vt *in Edictis*, *De in Ius vocando*, *Qui satisdare cogantur*, *De postulando*, *De legatis praestandis*, et aliis, quae fauorem merentur *l. 1. § 1. D. de Legat. praest. l. 1. §. vlt. de Postuland. l. 2. §. Praetor. 2. Qui satisd. cog. d. l. 4. §. parentem. 2. de in ius voc. l. 1. D. In ius vocati vt eant. d. l. appellatione. 51. D. de Verb. sign.* Quod idem in *liberorum* appellatione iusta inter relatione respondendum est *l. liberorum 220. de Verb. sign. l. moris. 9. §. liberos. 13. de Poenis. l. 3. § libe-*
222 *ros. 6. de Assign. libert. l. sed si hac lege 10. §. liberos. 5. de In ius voc.* Ad hanc generalis et specialis denominationis differentiam spectasse Paulum satis apparet ex eo, quod ait: *Patres vsque ad tritauos proprio vocabulo nuncupari.* Innuens scilicet generali nomine posse eos etiam *maiores* dici. Atque vt scias Vlpianum caeterosque Consultos *posteriorum* appellatione etiam filios, nepotes, et deinceps comprehendisse: audi Modestinum, qui *in l. quod his 83. in fin D. de Legat. 3.* respondit: *Posterorum appellatione liberos tantummodo, non etiam libertos contineri.* Idemque *in l. 4. D. de Iure immunit. Immunitates generaliter tributae, eo iure vt ad posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus dantur.* An vero cum Vlpianus *in l. si venditor. 10. D. de Religios. et sumpt. fun.* exemplum profert eius, qui in fundi venditione locum sepulchri excepe-

exceperat, *ad hoc, vt ipſe poſterique eius illo inferrentur*, tam inſulſum fuiſſe cenſes, vt illum ſolis iis qui poſt trinepotes naſcituri eſſent, non etiam filiis ac nepotibus proſpexiſſe intelligeret? Aut cum Idem *in l. 1. D. de Iure immun.* ſcribit: *Generi poſteriſque datas immunitates ad eos, qui ex foeminis nati ſunt, nón pertinere*: an non ſatis oſtendit, ſe *poſterorum* nomine etiam filios amplecti? At cum *maiorum* nomen parentibus, vel *poſterorum* liberis opponitur; tunc haec differentia conſpicua fit, et vel nemine indicante ſatis apparet, *maiorum poſterorumque* nomine non liberos aut parentes, qui 223
iam expreſſi ſunt, ſed iis ſuperiores vel inferiores comprehendi. Quod ego Ciceronis teſtimonio, quando tu noſtros faſtidis, comprobabo. Sic enim *lib. I. Officior. cap. 32. Quorum parentes aut maiores in aliqua gloria praeſtiterunt, eorum plaerique in hoc genere laudis ſtudent excellere.* Idemque *Philipp. IX. cap. 7.* Conſul locum ſepulchro aſſignat, *quo Ser. Sulpitius inferatur: quod ſepulchrum ipſius, liberorum, poſterorumque eius ſit.* Sic etiam Iauolenus *in l. vacatio. 13. D. de Munerib. et honorib. Vocatio, itemque immunitas, quae liberis et poſteris alicuius data eſt, ad eos duntaxat pertinet, qui eius familiae ſunt.* Sed ad reliqua pergamus.

VALLA AD CAP. LVI.

In eosdem, de Victus, *et* Penus.

Victus verbo, [1] Vlpianus inquit, *continentur, quae eſui, potui, cultuique corporis, quaeque ad viuendum homini neceſſaria ſunt. Veſtem quoque victus habere vicem Labeo ait. Caetera*
224 *quoque*, ait [2] Caius, *quibus viuendi curandiue corporis noſtri gratia vtimur, ea appellatione ſignificantur.* Ne hoc quidem aut ratio, aut vſus probauit. *Victus* a *viuendo* venit, at viuere ſine veſtitu cultuque corporis licet, vt in Aethiopia; ſine eſu potuque non licet. Ideoque ſemper diſtincta haec duo reperimus, et ſemper addi alterum (de *veſtitu* loquor) quia alterum quod eſt *victus*, hoc etiam ſignificatum non complectitur: alioqui non diceretur *victus et veſtitus*. Significat etiam *victus* genus vitae, quantum ad mores, vt quibuſcum quis viuat, et a quibus inſtituatur, et quibus moribus. At neque de *penu* Iuriſconſultis aſſentior, multa quae ad *victum* non pertinent, *penui* cedere volentibus. Potior apud me breuis illa Ciceronis definitio valebit *in Libris* [3] *de Natura Deorum*: *Eſt enim omne, quo veſcuntur homines, penus.*

ALCI-

1 *Vlpianus*] *l. 43. D. de Verb. ſign.*
2 *Caius*] *l. 44. D. eod.*
3 *De Nat. Deor.*] *Lib. II. C. cap. 27.*

ALCIATVS AD CAP. LVI. 225

Vlpiani sententiam confutat, qui *victus appellatione etiam vestem contineri* scripserit, cum plurimae gentes in Aethiopia absque vestibus aeuum degant: quasi Vlpianus Aethiopum leges interpretetur, et non Romanorum, qui absque vestibus non viuunt: et quasi qui in Italia *victum* amico legauerit, de eiusmodi victu sentiat, quo Aethiopes se tolerant, et non ipsi Itali, quo nihil absurdius dici potest.

FLORIDVS AD CAP. LVI.

Vallae hoc loco sententiam miris quidem modis deridet Alciatus, cum plurimas ille in Aethiopia gentes sine vestibus vitam degere scripserit: *quasi*, inquit, *Vlpianus Aethiopum leges, et non Romanorum interpretetur, qui absque vestibus non viuunt: et quasi qui in Italia victum amico legauerit, de eiusmodi victu sentiat, quo Aethiopes se tolerant, et non ipsi Itali, quo nihil absurdius dici potest.* Alibi vero *(ad l. 43. D. de V. S.)* Vlpiani verba exponens ait: *Sane non probat Valla, vt victus appellatione, de vestiario quoque intelligamus, cum multae sint regiones, in quibus vestes vsui hominibus non sunt, vt in Aethiopia, quod ridiculum est. Nec enim Aethiopum leges hic interpretamur, sed Romanorum, qui sine veste non solent viuere.* Haec si Aegyptiis scriberet Alciatus, nimirum huius vocis significationem pro suo arbitratu potuisset distrahere. Sed quia cum Italis agit, non possum Italus non respondere: *victum* ex verissimo frequentissimoque apud Latinos autores significatu, *ea quae ad vestitum spectant, minime continere.* Cur enim, quoties de *victu* agimus, etiam *vestitum* addimus, siquidem nostro eum sermone comprehendere cupimus? At Vlpianus ita interpretatur, et apud Iurisconsultos *victus* appellatione *vestitus* quoque continentur. Non inficior. Sed in testamentis hoc tantum fieri solet, in quibus non verborum proprietas, sed mens testatoris praecipue spectatur, hocque ipse fatetur 226
Alciatus. inquit enim *ad d. l. 43. de V. S. Non tamen negauerim hanc significationem ex interpretatione magis, quam ex stricta verborum vi esse, et ideo ex mente disponentis aliter quandoque indicamus. Vnde si quis alimentis vel victui renunciauerit, non censebitur de vestiario, vel de calceario actum l. cum hi. 8. §. qui transigit. 12. ff. de Transaction. huiusmodi enim repudiationes stricte accipiuntur. Qua ratione qui famulo victum menstruamque mercedem promittit, non videbitur de vestibus*

veſtibus intellexiſſe, nec vlla alia re praeter cibaria. Loquatur igitur ſane de ampliſſima interpretatione Vlpianus: ego cum Valla ſemper ſenſero, *victus appellatione*, ſi Latine loqui volumus, *veſtitum non contineri.* Docet ſcilicet hoc me in primis M. Tullius. *pro P. Sextio Cap. XXVII.* ita ſcribens: *Ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla vnquam ſuſpicio aut ad Senatum, aut ad Imperatores noſtros allata eſt, viuus (vt aiunt) et videns cum victu ac veſtitu ſuo publicatus.* Quid opus erat *veſtitum* addere, ſi *victus veſtitum* continet? Ad eundem fere modum ſcribit *in Catilina Cap. XXXVII.* Salluſtius: *Deinde multi*, inquit, *memores Syllanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios ſenatores videbant, alios ita diuites, vt regio victu atque cultu aetatem agerent, ſibi quisque, ſi in armis foret, ex victoria talia ſperabat.* Pro *victu et veſtitu*, *victum et cultum* poſuit Salluſtius. Quid Terentius? nonne *in Heautontim. V 2. 14.* ſic ait? *Ibi tuae ſtultitiae ſemper erit praeſidium Clitipho, victus, veſtitus, quo te in tectum receptes.* Caius quoque Caeſar, cum de Sueuis loquitur, *victum* a *veſtitu* ſemper diſtinguit. inquit enim IV. *B. G. 1. Neque multum frumento, ſed maximam partem lacte ac pecore viuunt, multumque ſunt in venationibus. Quae res et cibi genere, et quotidiana exercitatione, et libertate vitae, quod a pueris nullo officio, aut diſciplina aſſuefacti nihil omnino contra ſuam voluntatem faciant, et vires alit, et immani corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam ſe conſuetudinem adduxerunt, vt locis frigidiſſimis neque veſtitus praeter pelles habeant, quarum propter exiguitatem magna eſt corporum pars aperta, et lauentur in fluminibus.* Seiunxit *victum*, qui a *viuo* deducitur, a *veſtitu* Caeſar. Nec refert ſi *victum* non nominauit, ſed verbum a quo emanat. Idem de Britannis *in V. Commentar. de B. G. cap. 14. Interiores plerique frumenta non ſerunt, ſed lacte et carne viuunt, pellibusque ſunt veſtiti.* Et VI. 22. *Agriculturae non ſtudent, maiorque pars victus eorum in lacte, et caſeo, et carne conſiſtit.* Et paulo poſt *cap. 23. Hoſpites violare fas non putant: qui quaque de cauſa ad eos venerunt*
227 *ab iniuria prohibent, ſanctosque habent. Iis domus omnium patent, victusque communicatur.* Et ſubdit *cap. 24. Eodem victu et cultu corporis vtuntur.* Virgilius praeterea *victum* eodem modo ſemper vſurpauit, qui *lib. I. Georgic. v. 148.* ita canit.

Cum iam glandes atque arbuta ſacrae
Deficerent ſyluae, et victum Dodona negaret.

Et III. *Georg. 318*

Ergo omni ſtudio glaciem, ventosque niuales,
Quo minus eſt illis curae mortalis egeſtas,

Auertes,

Auertes, victumque feres, et virgea laetus
Pabula, nec tota claudes foenilia bruma.

Et inferius *vers. 528* de bobus:

Frondibus, et victu pascuntur simplicis herbae.

Et IV. *Georg. 158.* de apibus, quibus nullo vestitu opus est:

Namque aliae victu inuigilant.

Et *in III. Aen. 649.* ita alloquitur Troianos Achaemenes:

Victum infelicem baccas, lapidosaque corna
Dant rami.

De cuius vestitu prius cecinerat *vers. 590.*

Cum subito e syluis macie confecta suprema
Ignoti noua forma viri, miserandaque cultu
Procedit, supplexque manus ad littora tendit.
Respicimus. dira illuuies, promissaque barba,
Consertum tegmen spinis.

Et item I. *Aen. 214.*

Tum victu reuocant vires.

Et III. 142.

Arebant herbae, et victum seges aegra negabat.

Ouidius *lib. III. Fastor. 665.*

Iam quoque, quem secum tulerant, defecerat illis
Victus, et humanis vsibus apta Ceres.

Idem *in XV. Metamorph. vers. 103.*

—— Postquam non vtilis autor
Victibus inuidit (quisquis fuit ille Deorum)
Corporeasque dapes auidam demersit in aluum,
Fecit iter sceleri.

Denique, vt paucis absoluam, quis aliter *victum* accepit vnquam? Recte ergo sentit Valla, Latinae linguae egregie peritus. Quod si aliter scripsit Vlpianus, non de vsu, sed 228
de abusu intellexit: nec Romane locutus est, si ex proprio eius vocis significatu *vestitum* contineri censuit.

DEFENSOR AD CAP. LVI.

Hoc capite Valla Vlpianum et Caium reprehendit, qui *verbo victus vestem, et caetera, quae tuendo curandoque corpori necessaria sunt,* conti-

contineri ſcripſerunt *in l. verbo victus. 43. et l. ſeq. D. de Verb. ſign.* Duasque rationes adfert: primam, *quod etiam absque veſtibus viui poſſit, vt in Aethiopia:* alteram, *quod fruſtra diceretur victus et veſtitus, ſi verbo victus veſtis etiam contineretur.* In prima ridiculum ſe Laurentius oſtendit, qui nobis Aethiopes obiectet, quaſi nudis illis Libyes populis, ac non Romanis, cultiſſimis ac mundiſſimis hominum, Iura deſcripta interpretemur. Quid vero ſi nec Aethiopas quidem prorſus nudos eſſe contendamus? cum naturali pudore tracti, et nuditatis ſuae conſcii ſaltem verenda obtegant. Quid ſi miſeram illam nudorum vitam ne vitam quidem, ſed *ἀβίωτον βίον* eſſe, reſpondeam? Eadem vero ratione ne habitationem quidem ad *victum* neceſſariam eſſe dicere licebit, quia ſub dio multi degunt populi. Et tamen non ſolum in
229 *legato victus*, ſed in *alimentorum*, vel *educationis, tam habitationem, quam veſtiarium contineri* iure reſponſum eſt *l. legatis. 6. et l. vlt. D. de Alim. leg. l. in ſtratum. 45. de Verb. ſign.* quaſi ſint haec ad *victum* neceſſaria, ſine quibus vel omnino vel ſaltem commode viui non poteſt. Sicut in ſimili Caius *lib. 2. ad Legem. XII.* TAB. reſpondit: *Viuendi verbo et ſtramenta et veſtimenta contineri, quia ſine his viuere nemo poſſit l. quos nos. 234. D. de Verb. ſign.* Itaque cum in L. XII. TAB. de debitore aeris alieni confeſſo, vel iudicato, ducendo vinciendoque ſcriptum eſſet:

' SI

[1] SI VOLET SVO VIVITO: Praetor peritissimus legis interpres non solum *victum*, sed et *instratum* iudicato inferri posse edixit, creditoremque, qui id passus non esset, contra legem facere videri, vt iniuriarum cum eo agi possit *l. victum. 34. D. de Re iudic.* Quam Edicti partem Vlpianus et Caius tribus his capitibus *43. 44. et 45. de Verb. sign.* nunc interpretantur. De quo etiam diximus *ad cap. 46.* supra. Ad secundam vero rationem quod attinet, quaero, vnde nobis hanc *victus et vestitus* coniunctionem extraxerit? Nempe ex [2] Decretalium Pontifica- 230
lium

1 *SI VOLET.*] Eo pertinere verba Iurisconsultorum, quae Valla carpit, *ad cap. 46.* notatum est e Cuiacio. Nam alioqui Iurisconsultos non existimasse vocabulo *victus* semper contineri *vestitum*, ex eo constat, quod hic Alciatus adfert e *l. 8. §. 12. D. de Transaction.* et e *l. 18. D. de Oper. libert.* vbi Paulus *victum* a *vestitu* separat.

2 *Decretalium*] Hoc non possum probare. Nam praeter Ciceronem *pro Quintio Cap. XV.* et *pro P. Sextio Cap. XXVII.* ac Terentium *Heautontim. V. 2. 15.* quorum loca ipse laudat, etiam Liuius *lib. XLV. cap. 32.* Cornelius Nepos *Ages. Cap. VII.* Tacitus *German. Cap. vlt.* Vitruu. *praef. Lib. VI.* et Paulus Iurisconsultus *l. 18. D. de Oper. libert.* haec coniungunt. Add. Senec. *de Tranq. anim. Cap. VIII. de Benef. III. 21.* et *de Constant. sap. Cap. III.* Praeterea cum *victus* et *cultus* coniunguntur, vt saepe apud Ciceronem, et alios, non video cur nomine *victus vestimentum* contineri dicendum sit: quod verius de vocabulo *cultus* dicatur, quo praeter alium apparatum, ad vitae commoditatem, suauitatem, et splendorem pertinentem, plerumque etiam *vestitum* comprehendi certum est. Nec tamen verum puto, quod aduersarii dicunt, *victus appellatione, si Latine loqui velimus, vestitum non contineri.* Nam quod de funambulo dicit Iuuenalis *Sat. XIV. vers. 273. Victum illa mercede parat,* eo et vestem, et cibum, intelligi ipse indicat, cum confestim subiicit, *brumamque, famemque, Illa reste cauet.* Nec vlla ratio est, cur hoc Terentii, et aliorum, *victum quaerere,*

lium lacunis. Nam apud idoneos authores vix vnquam haec copulata reperiat, sed quasi *victus* etiam *vestimentum* contineat, alia potius adiungunt, quae ad cultum, vel curam corporis pertinent. Cicero *Lib. I. Officior. cap.* 4. *Ob easque caussas ea studeat parare, quae suppeditent et ad cultum, et ad victum.* Et ad Terentiam vxorem *lib. XIV. Ep. fam.* 20. *Item caetera, quae sunt ad victum et valetudinem necessaria.* Quibus ex locis hanc Vlpiani Caiique interpretationem vel ipsa Latini sermonis proprietate confirmari apparet. Quod si quando, licet raro, *vestitus victui* adiungitur, vt in duobus
231 Ciceronis ac Terentii locis legisse me memini, tum id amplificandi et augendi gratia, vel potius interpretandi, et tollendae dubitationis caussa adiectum esse, manifeste apparebit. Vt et alias copula *et* non inter diuersa, sed inter eadem potius, aut saltem quorum alterum sub altero contineatur, adiungi solet.

VAL-

rere, de solo cibo, non etiam de vestitu exaudiri debeat. Hoc amplius habitationem quoque his locis voce *victus* contineri, recte dixeris: haud secus atque apud Iurisconsultos *alimentorum* appellatione cibaria, vestitus, et habitatio comprehenduntur, vt de legato alimentorum scribit Iauolenus *l. 6. D. de Aliment. vel cibar. leg.*

VALLA CAP. LVII.

In eosdem de Pignus, *et* Hypotheca.

Inter pignus et hypothecam tantum nominis ſonus differt. Haec [1] Martianus. [2] Vlpianus vero: *Proprie pignus dicimus, quod ad creditorem tranſit: hypothecam autem, cum non tranſit poſſeſſio ad creditorem.* Ego magis cum Martiano ſentio: Iuſtinianus cum Vlpiano [3] *in Inſtitutionibus* dicens: *Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quae ſimul etiam traditur creditori, maxime ſi mobilis ſit. At eam, quae ſine traditione nuda conuentione tenetur, proprie hypothecae appellatione contineri dicimus.* Sed non eſſe hanc differentiam ex eo argumentum eſt, quod alterum Latinum, alterum Graecum, ſuae vtrunque deſeruiens lin- 232
guae. *Pignus* autem non tantum creditori datur, ſed inter paratos ſecum decertare, mutuo offertur, et apud ſequeſtrum deponitur. Virgilius [4] *in Bucolicis:*

— — Ego hanc vitulam, ne forte recuſes,
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere foetus,
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

Qui

1 *Martianus*] *l. 5. §. 1. ff. de Pignorib.*
2 *Vlpianus*] *l. 9. §. 2. D. de Pigner. act.*
3 *In Inſtitut.*] *§. 8. de Actionib.*
4 *In Bucolicis*] *Eclog. III. C. vers. 29.*

Qui tamen ſenſus [5] rariſſimus eſt. Nam illo figurato crebrius vtimur, vt apud [6] eundem:

Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus
Dat iuueni, atque animum praeſenti pignore firmat.

Quaſi dicat, *ſecurum fecit*, vt qui dat *pignus*. A priore ſignificato dicimus *pignoro*, et *oppignero*, hoc eſt, do aliquid arraboni, quam quidam arram appellant. Et *repignero*, quod eſt recipio *pignus* ſoluto debito. Propter haec verba quidam (quorum eſt [7] Priſcianus) exiſti-
233 mant *pignus* in hunc ſenſum, et in alium proximum, habere genitiuum *pigneris*: in illum, quo ſignificamus filium, et per abuſionem coniunctiſſimas ſanguine perſonas, habere genitivum *pignoris*: Vnde enim *oppignero*, et *repignero*, inquiunt, haberemus, niſi *pignus pigneris* faceret? Non inepta quidem ratio: ſed quid reſpondebunt, quod, quum habeamus *foenus foenoris*, facit tamen *foenero* et *foeneror*? [8] Idem Priſcianus ait, antiquos dixiſſe etiam *foeneris*. Nec tamen, vt ei credamus, exemplo probavit.

5 *Rariſſimus*] Eſt tamen eo ſenſu etiam apud Catull. *Epigr. XLV*. Phaedr. IV. *Fabul. 20.* et Plaut. *Caſin. prol. v. 75.* et alibi. vid. Gronou. *ad l. d.*

6 *Eundem*] *Aeneid. III. C. vers. 610.*

7 *Priſcianus*] *Lib. VI. C.* Ibi tamen nihil aliud inuenio quam *pag. 721. Pignus, pignoris, et pigneris. Vnde pignero, pigneras.* At Agroetius *de Orthograph. pag. 2269. Pignera, rerum ſunt: pignora, filiorum et affectionum.*

8 *Idem*] *Lib. VI. C.*

vit. Quid quod ex *frigus, frigoris,* fit *refrigero?* quid quod ex *tempus, temporis,* fit *tempero?* ex *litus, litoris,* fit *oblitero?* ex *penus penoris,* vt ſentio, fit *penetro?* addita *t,* quaſi ad locum penoris intro. Tam enim *penus,* quam *penetro* breui prima ſyllaba eſt. At mihi quidem propria et vera *pignoris* ſignificatio eſſe ea videtur, vnde verba deriuantur. Nihil enim illi alii ſignificato cum his verbis: et filii, vt ſentio, non alia ratione appellati ſunt *pignora,* niſi quod *pignus quoddam inter coniuges* ſunt, tum vinculi, ne aliter forte diuortium fieret, tum charitatis. Cuius rei argumentum eſt, quod legimus ſaepe *pignora* filiorum: vt apud Suetonium *in* [9] *Tiberii vita*: *Communis filii pignore:* Et [10] iterum: Tam *marium,* quam 234 *foeminarum pignora.*

9 *Tiberii*] *Cap. VII. C.*
10 *Iterum*] *In Auguſt. Cap. XXI. C.*

ALCIATVS AD CAP. LVII.

Pignus et *hypothecam* idem eſſe cum Martiano ſentit, ſed alteram Graecam, alteram Latinam vocem: cum tamen Vlpianus proprie eſſe *pignus* dixerit, quod creditori traditur, *hypothecam,* cum non interuenit traditio: et ideo in mobilibus *pignus,* in immobilibus *hypothecam* eſſe. Sed haec non tam Vallae oppoſitio, quam ipſorum inter ſe Iuriſconſultorum quaedam quaſi antinomia eſt: ea ſic diſſoluitur. Ex proprietate quidem ſermonis veram eſſe Vlpiani ſententiam: ſiquidem a *pugno pignus* dicitur, et ideo in rebus *mobilibus* oppoſitis ſic dici; in *immobilibus* vero ſolitos veteres Iureconſultos potius Graeca voce vti, id eſt, *hypotheca,* quae Latine *ſuppoſitio* dici poteſt, et ad vtraque eorum ſermone trahitur. Catullus *Ep. XXVI. oppoſitionem* dicit:

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
Verum ad millia quindecim et ducenta.

Subaudiuntur autem (1) *sestertia.*

1 *Sestertia*] Scaliger, et Is. Vossius *ducentos.* vid. Gronou. *de Pec. Vet. III* 17.

FLORIDVS AD CAP. LVII.

Hanc non tam Vallae oppositionem, quam ipsorum inter se Iureconsultorum quandam quasi antinomiam censet Alciatus, etc. Pulchra nempe haec defensio, et quam libenter sequaris: ille de proprietate, hic de vsu. Quid
235 non hoc modo in concordiam redigetur? Rectius hoc expedire poterat, alterum ex Vlpiani, alterum ex Martiani sententia verum esse. Sed neque Alciatum latet, veriorem esse Martiani, quam Vlpiani definitionem. De hac enim re alibi *(ad l. 233. §. 2. de Verb. sign.)* agens ita scribit: *Pignus proprie esse id, cuius possessio traditur creditori, et praesertim rei mobilis, Iureconsultus approbat argumento etymi, tanquam a pugno deductum sit, quod et Vlpianus tradidit, et a Tribuniano in Institutionibus relatum est: cui sententiae etiam Graecum exemplum succurrit: ἐνεχυράζειν enim a securitatis captione ipsi appellant, et ἐνέχυρον pignus praetorium. Martianus tamen pignus et hypothecam solo nominis sono differre existimauit, cuius sententiae Valla accessit. Nam constat veteres scriptores de re quoque immobili pignus dixisse, et Terentius Phorm. Ager oppositus est pignori ob decem minas: quomodo etiam Iurisconsulti frequenter accipiunt, etiamsi nulla traditio interuenerit. Ego arbitror, hypothecam etiam de re mobili contrahi: est enim Graeca vox ἀπὸ τοῦ ὑποθέσθαι, quod est, obligatione supponere. Vnde et receptum est, si quis promiserit decem modios frumenti super tali fundo, videri huiusmodi verbis contractam esse hypothecam. quid enim aliud est fundum supponere obligationi?* Haec ille. Si ergo et *pignus* de re immobili dicitur, et de mobili *hypotheca*, nullo pacto vera erit Vlpiani Tribunianique definitio, cum idem sit *pignus* quod *hypotheca*.

DEFENSOR AD CAP. LVII.

Tu vero si credis vel Martianum ab Vlpiano, vel Iustinianum ab vtrouis eorum dissentire, longe

longe falleris, o Valla. Neque vero ignorauit Vlpianus *pignus* Latinum, *hypothecam* Graecum nomen esse, quorum vtrumque sua lingua rem eandem significaret. Sed docendi gratia, vt res suis quaeque vocabulis demonstrarentur, *pignoris* appellationem ad res *mobiles*, *hypothe-* 236
cae ad *immobiles* retulerunt *l. si rem 9. §. proprie. 2. D. de Pigner. act. §. item Seruiana 8. Instit. de Actionib.* maxime cum non abluderet etymon. Nam *pignus* [1] a *pugno* dicitur, quod manu tradatur, vtpote res mobilis. *l. plebs. 238. §. pignus. 2. D. de Verb. sign. hypotheca* ἀπὸ τῦ ὑποτίϑεσϑαι, quod sola conuentione obligetur et supponatur. Caeterum sicut nihil vetat, quin quae proprias habent et separatas significationes, a vulgo plerumque confundantur, pro eodemque vsurpentur: ita plerumque fit, vt quae principio eadem significabant, docendi gratia distinguantur, vt hic. Vnde videmus *pigneratitiam actionem* pro re tantum *mobili*, non etiam pro rebus soli competere. Imo, si Iustiniano credimus, promiscuus ille *pignoris* et [2] *hypothecae* verborum vsus ad actionem tantum *hypothecariam* pertinet. Sic enim scribit

 in

1 *A pugno*] Hanc etymologiam docti plerique reiiciunt. vid. quos laudat Menagius *Amoenit. Iur. Ciu. Cap. XXXIX.* De discrimine *pignoris* et *hypothecae* multa scripsit Salmasius *de Modo vsurar. Cap. XIII. et XIV.*

2 *Hypothecariam*] Et haec quoque fortassis fuit sententia Marciani *in d. l. 5. §. 1. D. de Pignorib.* quippe quae ex eius *Libro singulari ad formulam hypothecariam* desumta sit. vid. Cuiac. *ad l. 238. §. 2. D. de Verb. sign.* et Interpretes *ad §. 8. Institut. de Actionib.*

in d. §. item Seruiana. 8. Instit. de Actionib. Inter pignus autem et hypothecam (quantum ad actionem hypothecariam pertinet) nihil interest. Nam de qua re inter creditorem et debitorem conuene-
237 *rit, vt sit pro debito obligata, vtraque hac appellatione continetur. Sed in aliis differentia est. Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quae simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quae sine traditione nuda conuentione tenetur, proprie hypothecae appellatione contineri dicimus.* Quamquam haec differentia, quae e verbi nota, et vocabuli proprietate petita est, multis in partibus Iuris non obseruetur, et huiusmodi nomina ex vsu vulgi promiscuo plaerunque confundantur. Nam et Iulianus in *l. non solum. 33. §. si rem. 5. D. de Vsucap.* et Vlpianus *in l. 1. princ. D. de Pigner. act. pignus non sola traditione, sed etiam nuda conuentione contrahi dicunt.* Hinc Catullus *Epigr. XXVI.*

Furi, villula nostra non ad Euri
Ventos opposita est, nec ad Fauoni.
Verum ad millia quindecim et ducenta.

Et Terentius *Phorm. IV. 3. 56. Ager oppositus est pignori ob decem minas.* Vt non immerito Martianus *inter pignus et hypothecam tantum nominis sonum differre* dixerit *in l. res hypothecae. 5. §. 1. de Pignorib.* Caeterum *pignoris* nomen cum in sponsionibus et filiis significandis vsurpatur, translate id fit, non proprie.

VALLA CAP. LVIII. 238

In eosdem de Ferrumino.

Ferruminatio, Caius apud [1] Paulum ait, *per eandem materiam facit confusionem: plumbatura non efficit.* Idem ſentire videtur [2] Pomponius dicens: *Si tuum ſcyphum alieno plumbo plumbaueris, alienoue argento ferruminaueris, non dubitatur ſcyphum tuum eſſe, et a te recte vindicari.* Scyphum enim argenteum intellexit. Cum his plerique non ſentiunt, quorum eſt Plinius, qui [3] *lib. X.* ait: *Namque ſurculo ſuper bina oua impoſito, ac ferruminato alui glutino, ſubdita ceruice medio, aequa vtrinque libra deportant alio: ferruminato* dixit, quaſi agglutinato materia illa. Idem [4] *lib. XI. Et medulla ex eodem videtur in iuuenta rubens, in ſenecta albeſcens; non niſi cauis haec oſſibus, nec cruribus iumentorum, aut canum; quare fracta non ferruminantur*: quaſi non glutinantur, nec coaleſcunt, et colligantur. Idem [5] *lib. XXXI. Carrhis Arabiae oppido muros domosque maſſis* 239 *ſalis faciunt, aqua ferruminantes:* quaſi glutinantes. Idem [6] *lib. XXXV. Calcis quoque vſum bitumen praebuit, ita tamen ferruminatis Babylonis muris.* Idem [7] *lib. XXXVI. Ea*

 maxime

1 *Paulum*] *l. 23. §. 5. D. de Rei vindic.*
2 *Pomponius*] *l. 27. princ. D. de Adquir. rer. domin.*
3 *Lib. X.*] *Cap. 33. C.*
4 *Lib. XI.*] *Cap. 37. C.*
5 *Lib. XXXI.*] *Cap. 7. C.*
6 *Lib. XXXV.*] *Cap. 15. C*
7 *Lib. XXXVI.*] *Cap. 23. C.*

maxime cauſa, quod furto calcis ſine ferrumine ſuo caementa componuntur: quaſi dicat, glutine. Et *in* [8] *eodem: Vitrum ſulphuri concoctum ferruminatur in lapidem:* quaſi conglutinatur in formam lapidis. Idem [9] *lib. XXXVII. Infeſtantur plurimis vitiis, ſcabro, ferrumine, maculoſa nube, occulta aliquando vomica, praeduro fragilique centro:* quaſi glutine et commiſſura, ſiue iunctura, ſiue ligatura. Ergo *ferruminatio* non vbique per eandem materiam facit confuſionem, ſed interdum quoque per aliam. *Plumbatura* per ſolum plumbum efficit confuſionem, vt ipſum indicat nomen, ſi haec confuſio dicenda eſt.

8 *Eodem*] *Cap. 26 C.*
9 *Lib. XXXIX.*] *Cap. 2. C.* Vbi nunc *ferrugine* rectius legitur, quam inter cryſtalli vitia numerat Plinius.

ALCIATVS AD CAP. LVIII.

Ferruminare dixit eſſe *conſolidare*, *et conglutinare*, *non ſolum per eandem materiam*, vt Iureconſulti tradiderunt, *ſed*
240 *etiam per aliam:* idque plurimis Plinii exemplis probat, qui *ferruminari ſurculum*, *ferruminari aqua muros*, *ferruminari in lapides* dixerit. Sed cum *ferruminatio* proprie ſit ferri ipſius vi ignis liquefacti conglutinatio, apparet metaphorice hoc verbo vti Plinium, et ideo Iureconſulti ſententiae nihil aduerſari.

FLORIDVS AD CAP. LVIII.

Hanc differentiam ſic explicat Alciatus, vt, *cum ferruminatio, proprie ſit ferri ipſius vi ignis liquefacti conglutinatio, appareat metaphorice hoc verbo vſum Plinium, et ideo Iureconſulti ſententiae nihil aduerſari.* Sed non videt Alciatus, eadem etiam metaphora vſum eſſe Pomponium dicentem: *Si tuum ſcyphum alieno plumbo plumbaueris, alienoue argento ferru-*

ferruminaueris. Quod ſi *ferruminatio* eſt ferri igni liquefacti conglutinatio, quoties certe tuum ſcyphum alieno argento adiunxeris, praue dicetur *ferruminatio*, cum appellanda potius ſit *argentatio*: quid enim ferrum ad argentum? Non hoc ſibi voluit Valla, verum cum Iureconſulti *ferruminationem per eandem tantum materiam confuſionem facere* cenſeant, ille *etiam per diuerſa* ex Plinio fieri poſſe oſtendit: propriene, an metaphorice, nihil ad rem. Atque vt verum ſit, *ferruminationem* ex proprietate ſimilium facere confuſionem, quis dixerit, eadem voce etiam in translatis vti non licere? quanquam mihi non ſatis liquet, cur de propria magis, quam de tranſlata voce intellexerint Iuiriſconſulti: quorum ſimpliciter loquentium ſimpliciter capienda verba iudicantur.

DEFENSOR AD CAP. LVIII.

Ecquis vero non videt, *ferruminandi* verbum in illis Plinii locis μεταφορικῶς accipi, et a metallis ad alia, quae glutinantur, transferri? 241
cum Caſſius, quem tu imperite[1] Caium nominas, *in l. in rem. 23. §. item quaecunque. 5. D. de Rei vindic.* itemque Pomponius *in l. quicquid. 27. D. de Acquir. rer. domin.* proprie vſurparint. Et ſane ipſum per ſe *ferruminandi* verbum ſatis oſtendit, ad metalla pertinere. Id enim eſt, quod noſtri *ſolidare* in metallis: et *ferruminatio*, quod *ſolidatio*, vel, ſi dicere licet, *ſolidatura*: quae ſane[2] inter diuerſa metalla

1 *Caium*] Hoc typographorum vitium fuit in exemplari Defenſoris, non Vallae, vt ex aliis Editionibus liquet.

2 *Inter diuerſa*] Quae hic Defenſor de *ferruminatione* et *plumbatura* dicit, ipſi defendenda relinquo. Nam *ferruminationem* etiam inter diuerſa metalla fieri, cum e loco Plinii, quem ipſe adfert, patet, tum e Petronio *Cap. XXXII. Totum aureum, ſed plane ferreis veluti ſtellis ferruminatum* annulum. Nec *plumbatura* eſt tantum, cum plumbum argento

talla fieri non solet. At *plumbatura* est, cum plumbum argento additur, vel diuersa inter se metalla glutinantur. Id cum nostri linguae Romanae proceres disertis verbis testentur, et in praefatis locis dicant, *ferruminationem per*
242 *eandem materiam facere* [3] *confusionem, plumbaturam non idem efficere*, quis contra ire audeat, cum ex professo de metallis tractent? Sic enim et Plinius ipse vsurpat *Lib. XXVII. cap. 4.* de anonymo herba loquens: *Fabulosa arbitror, quae adiiciuntur recente ea, si vratur, ferrum aut aes ferruminari*, id est, quod nostri vocant consolidari. Idemque *lib. XXXIII. cap. 5.* de auro loquens: *E diuerso aerosum contrahit se hebetaturque, et difficulter ferruminatur.* Quibus in locis proprie *ferruminandi* verbo vtitur: in

gento additur, vel diuersa metalla inter se glutinantur, sed magis, vt opinor, cum ea quae labant, plumbo liquefacto firmantur, aut rimosa, fractaue eodem committuntur. Sic Cato *de Re Rustic. Cap. XX.* et *XXI* modiolos ligneos trapeti *plumbari* et *circumplumbari* iubet. Et Iuuenalis *Sat. XIV.* 308. de dolio fictili Diogenis:

—— —— Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.

3 *Confusionem*] De hac mihi videntur accipienda verba Cassii apud Paulum *d. l. 23. §. 5. D. de Rei vind.* ita vt non tam hoc dicat, *ferruminationem* fieri in eadem materia, *plumbaturam* in diuersa; quam alium esse in Iure effectum *ferruminationis*, alium *plumbaturae*: nimirum *ferruminatione* confusionem fieri, *plumbatura* non fieri. Idque docent haec verba Iurisconsulti: *plumbatura non idem effici*, i. e. non fieri confusionem, vt *ferruminatione*. Nec tamen satis intelligo, cur de effectu *ferruminationis* agens vtatur praepositione *per*, ac dicat ea fieri confusionem *per eandem materiam*: quae locutio et reprehensioni Vallae praecipue locum dedit.

in his vero, quae a te proferuntur, translate. Nunc vero tu nobis Plinium obiectas, quasi contrarium diserte diceret: aut quasi Plinio ipsi, quamuis id expresse negaret, magis credendum esset, quam Caio, aut Pomponio.

VALLA CAP. LIX. 243

In eosdem de Veterator, *et* Nouitius.

Seruus, vt est apud [1] Venuleium, *tam veterator, quam nouitius dici potest: sed veteratorem non spatio seruiendi, sed genere et causa esse aestimandum, Caelius ait. Nam quicunque ex venalitio nouitiorum emptus, alicui ministeriô praepositus sit, statim eum veteratorum numero esse. Nouitium autem non tyrocinio animi, sed conditione seruitutis intelligi: nec ad rem pertinere, Latine sciat loqui, necne: nec ob id veteratorem eum esse, quod liberalibus studiis eruditus sit.* Apud [2] Vlpianum sic scribitur: *Praecipiunt Aediles, ne veterator pro nouitio vaeneat. Et hoc Edictum fallaciis venditorum occurrit. Vbique enim curant Aediles, ne emptores a venditoribus circumueniantur: vt ecce plerique solent mancipia, quae nouitia non sunt, quasi nouitia distrahere, ad hoc scilicet, vt pluris vendant. Praesumptum est enim ea mancipia, quae rudia sunt, et simpliciora esse, et ad ministeria aptiora, et* 244 *dociliora, et ad omne ministerium habiliora. Trita*

1 *Venuleium*] *l. 65. §. 2. D. de Aedil. Ed.*
2 *Vlpianum*] *l. 37. D. eod.*

Trita vero mancipia, et veterana, difficile eſſe reformare, et ad ſuos mores formare. Quia igitur vaenalitiarii ſciunt, facile decurri ad nouitiorum emptionem, idcirco interponunt veteratores, et pro nouitiis vendunt. Quid tam contrarium, quam hae duae Iuriſconſultorum ſententiae? Quid magis abſurdum, quam non dico inter eas non iudicaſſe, ſed eas aut ambas ſcripſiſſe, aut contrarias eſſe non vidiſſe? Et quanto plura in rebus, vt coniectura ducimur, eſſe debent, cum in verbis tot ſint, et tam manifeſte contraria? Ego vt inſtituto officio fungar, et inter hos duos ſententiam feram (quando alterius definitio a me tolli non poteſt) potior mihi videtur Vlpiani opinio, et cum caeteris ſcriptoribus conuenire. *Vaenalitiarii* mangones dicuntur vaenalium hominum. [3] Martialis:

Millia pro puero centum me mango popoſcit.

3 *Martialis*] *Lib. I. Epigr. 59. C.*

245 ALCIATVS AD CAP. LIX.

Venuleii definitionem confutat, qui *veteratorem* ex Celſi ſententia *non ſpatio ſeruiendi, ſed ex genere et cauſa eſſe exiſtimandum* ait, magisque approbat hac in re Vlpianum, qui *veteratores trita et veterana mancipia* appellat, *quae difficile ſit reformare.* Quibus verbis apparet, ſpatio ſeruiendi definiri veteratorem: erigitque hoc loco in Iureconſultos cornua, tanquam contraria inuicem ſcripſerint, quem et alii recentiores ſecuti pro antinomia nominatim hunc locum citant. Sed profecto aequius fuiſſet, et etiam magis nomini ſuo conſuluiſſent hi Grammatici, ſi intra profeſſionis ſuae cancelios conſtitiſſent: quandoquidem vulgo dicitur, Quam quisque nouit artem, in hac ſe exerceat, non enim ſutores

futores fupra crepidam iudicaſſent, nec ceu teſtudines porrecto extra teſtam capite periculis ſe obnoxios feciſſent. Igitur diſtinguendi tres ſunt caſus. Aut loquimur in venditore, ſeu mangone, qui mancipium diſtrahit, et ex Edicto Aedilium non poteſt *veteratorem* pro *nouitio* vendere: tumque *nouitius*, ſecundum Vlpiani ſententiam, *ex tyrocinio ſeruitutis* accipitur: *veterator qui diu ſeruiuit*, et iam in ea conditione callum fecit. Aut loquimur in ipſo patrefamilias de ſeruis ſuis *nouitiis veteratoribusque* diſponente, et quia hoc omne ab eius ſententia dependet, pro *nouitio* habuiſſe videtur, *quem nulli miniſterio praepoſuit:* rurſus pro *veteratore* dixiſſe, quem *in veteratorum numero habuit*, vt quia muneri alicui praepoſuit, in quod *veteratores* deſcribi ſolent. Merito igitur Celſum ſequemur, vt ex *genere et cauſa* conſtituamus, quem dominus pro *veteratore* habuit. Aut de cauſa vectigalis agitur, et cum reſpublica hac in re voluntatem emptoris, ſeu patrisfamilias, non ſequatur, ſimpliciter *veterator* accipietur, qui *anno ſeruiuit: nouitius, qui minus anno:* vt hic vectigal pendat, ille non pendat. et hoc caſu Martiani ſententia *in l. 16. §. 3. D. de Publican.* eſt probanda. Ex his igitur conſtat, non inuicem pugnantia ſcripſiſſe Iureconſultos, ſed diuerſa diuerſis caſibus tradidiſſe.

FLORIDVS AD CAP. LIX. 246

Hunc locum, quin ex intima ſua arte deprompſerit Alciatus, non eſt dubium, vt quem ex ordine a Valla in ſcribendo ſeruato excerptum, in omnium calce collocauerit, variis etiam ornatum prouerbiis: qualia ſunt, *Ne ſupra crepidam ſutor:* Et, *Quam quisque nouit artem, in hac ſe exerceat:* tum vt Vallam aliena in prouincia, quid ſibi vellet, neſciuiſſe oſtenderet, tum vt Grammaticos intra ſuae artis concellos ſe continere doceret. Poſſem hic reſpondere, in eandem foueam incidiſſe Alciatum, in quam et Vallam, vtinam tam feliciter, quam audacter, prouocat. Sed quod Bartolum ſuperius ac Baldum tutatus ſum, non poſſum has ab eis confictas nugas reiicere, praeſertim quod, ſi id agerem, iam nulla eſſet eorum, qui Doctores vocantur, opera. Proinde triplex illa diſtinctio reuera non magis vſui nobis eſt, quam penula ſolſtitio, et Sextili menſe caminus. Nec obſcurum eſt, ita ſibi inuicem aduerſatos fuiſſe Iureconſultos, vt alter ab altero ex diametro diſſentirent: quemadmodum inter eiusdem ſcientiae ſectatores fieri neceſſe eſt. Sed hoc Iuſtiniano, ſeu Tribuniano debemus,

vt etiam quae maxime diffident, pro congruentibus accipere cogamur, nisi omnes forte leges e medio, quasi mancas, parumque inter se conuenientes auferamus: de qua re alibi diffusius egimus, cum Bartolum, Accursiumque, iis. qui iura profitentur, necessarios esse ostendimus. Alioquin nihil tam est inter se contrarium, quam hae duorum Iureconsultorum sententiae, quum *veteratorem* Venuleius *non spatio seruiendi, sed genere et causa aestimandum esse* dicat: Vlpianus vero *trita fere, ac veterana mancipia* hoc nomine appellet, licet verior huius videatur, quam illius definitio. Vt enim *nouitium* dominus pro *veteratore* habeat, non tamen is erit *veterator*, sed a domino pro *veteratore* habebitur.

247 DEFENSOR AD CAP. LIX.

Atqui non sunt haec contraria sicut existimas, o Valla, sed alter alterum potius interpretatur. Nam cum Vlpianus *in l. praecipiunt. 37. D. de Aedil. Edict. nouitios esse* ait *rudia mancipia*, intelligere debemus rudia seruiendi, nondumque alicui ministerio praeposita, vt quae nunquam seruitutem seruierunt. Contra *veteranos*, seu *veteratores trita mancipia* dicit: sed id ipsum tritumne sit mancipium, an non, *non ex spatio seruiendi, sed ex genere et caussa aestimandum est*, ex Venuleii interpretatione *in l. vlt. in fin. D. de Aedil. Ed.* Vt quicunque seruus ex venalitio, id est, grege nouitiorum emptus alicui ministerio praepositus sit, statim veteranorum numero habendus sit. Est igitur *veterator*, siue *veteranum* mancipium, seruus quicunque non est nouitius. *Nouitius* autem is demum, qui nunquam seruitutem seruiuit, rudis seruiendi, nunquam alicui ministerio praepositus: vel qui licet seruierit, nulli tamen

sordido

ſordido miniſterio praepoſitus eſt, ſed liberali-
bus ſtudiis et artibus eruditus, et in iis eius opera
impenſa; vtpote medicus, anagnoſtes, athleta, 248
pugil, nomenclator, bibliothecarius, chirurgus, et eiusmodi. Igitur mangones et venalitiarii, quia ſciunt facile decurri ad nouitiorum, id eſt, eorum, qui nondum ſeruierunt, emptionem, vt eos dominus ad ſuos mores facilius formare poſſit; contra trita et veterana mancipia minus expeti, quia difficile eſt ea reformare; veteratores *interpolant* (ſic enim legendum eſt *in d. l. vlt.* non, vt inepte legis, *interponunt*) id eſt, ſic effingunt ore, geſtu, et totius corporis habitu, vt pro nouitiis facile vendant. In quo cum decipiant emptores, ſuccurrit eis Praetor hoc Edicto, vt ſi probari poſſit, ſeruum pro nouitio venditum veteratorem eſſe, id eſt, ſeruitutem ſeruiſſe, et alicui non liberali miniſterio praepoſitum fuiſſe, redhiberi poſſit. Atque[1] is eſt ſenſus duorum illorum reſponſorum Vlpiani Venuleiique, in quibus non ab inuicem diſſentiunt, ſed alter alterum belliſſime interpretatur. Quod ſi Laurentius in illum locum Martiani incidiſſet, qui eſt *in l. interdum. 16. §. quoties. 3. D. de Publican.* multo maiorem nobis litem mouiſſet.

1 *Is eſt ſenſus*] Budaeus *ad l. vlt. D. de Aedil. Ed.* non obſcure probat iudicium Vallae, contrarias eſſe Venuleii et Vlpiani ſententias exiſtimantis. Cuiac. *lib. VIII. Obſeruat. cap. 9.* et *lib. XIV. cap. 3.* viam conciliandi quaerit contra Budaeum. Aliam Mercerus *ad Nonium, v. nuperum.* Videant Doctores Legum. Nam mihi nondum etiam liquet, quae ſit ſententia verborum Caelii apud Venuleium.

249 viſſet. Vbi ſic Martianus veterana mancipia a nouitiis diſtinguit: *Sunt autem veterana,* inquit, *quae anno continuo in vrbe ſeruierunt. Nouitia autem intelliguntur, quae annum nondum ſeruierint.* Verum non eſt nouum, vt idem verbum ex diuerſitate tractatuum et Edictorum diuerſe accipiatur. Itaque cum ſtatutum eſſet, vt quoties quis mancipia inuecta (in Vrbem ſcilicet) profeſſus non eſſet, ſiue ea venalia, ſiue vſualia eſſent, ea mancipia fiſco committerentur, ſi modo *nouitii* ſerui eſſent: ne ex verbi *nouitius* interpretatione multiplices lites orirentur, aut Edictum eluderetur, receptum eſt, vt *nouitii ſerui* omnes intelligerentur, qui nondum in Vrbe Roma annum integrum ſeruitutem ſeruiſſent: at qui hoc temporis ſpatio Romae ſeruiſſent, *veterana mancipia* intelligerentur, atque ita quaſi improfeſſa in commiſſum cadere non poſſent. Qua interpretatione res longe expeditior publicanis reddebatur, et domini ſecuriores reddebantur, quos ſeruos Romam ſecum aduehentes profiteri deberent, quippe cum facile eſſet probare ſeruum per annum Romae ſeruitutem ſeruiſſe. Verum haec tibi nimirum, o Valla, ignota fuerunt.



VALLA CAP. LX. 250

In eosdem de In annos, Quotannis, *ac* ſimilibus.

Nihil intereſſe Pomponius apud [1] Vlpianum ſcribit, *vtrum in annos ſingulos, vel quotannis: an in ſingulos menſes, vel quot menſibus: an in ſingulos dies, vel quot diebus legetur. Ipſe quoque huic ſententiae accedo. Proinde et* [2] *ſi quot anni legentur, tot anni idem erit dicendum.* Corrumpere eſt illud, Vlpiane atque Pomponi, Latinam linguam, non iuuare. Quis vnquam dixit, *quot diebus*, et non potius *quotidie?* quis etiam *quot menſibus*, et non *ſingulis menſibus?* Cur etiam non addimus *quot horis, quot noctibus, quot luſtris?* Quod ſi quis hoc modo loquatur, intelligemus quidem ex ipſa verborum ſerie quid velit: tamen vt barbare locutum reprehendemus, et ne deinceps ita loquatur, admonebimus. Non autem formulam aliis loquendi trademus, vt vos facitis. [3] Iabolenus melius: *Vini*, inquit, *Falerni, quod domi naſcetur, quotannis, vel in annos ſingulos binos culeos haeres meus Titio dato.* Quidam aduerbium hinc ducunt, quod eſt *annuatim*, vt Plinius 251

[4] *Lib.*

1 *Vlpianum*] *l. 12. §. 6. D. Quando dies legat. vel fideic. ced.*

2 *Si quot anni*] *Si annui legentur tot aurei, idem, etc.* Ed. Steph. et Colin. C. Et ita Vlpianus.

3 *Iabolenus*] Labeo *lib. 2.* Poſteriorum a Iauoleno epitomatorum *in l. 17. §. 1. D. de Annuis legat. et fideic.*

[4] *Lib. XII.* dicens: *Herodoto teste, qui tradit, singula milia talentum annuatim thuris pensitasse Arabes regibus Persarum:* si codex verus est.

4 *Lib. XII.*] *Cap. 17. C.* Recte dubitauit Valla de fide Codicis sui. Nam Editiones Plinianae nunc vulgo ibi exhibent *annua.* In Glossis Labbaei ex Onomastico veteri legitur: *Annuatim, κατ᾽ ἔτος.*

ALCIATVS AD CAP. LX.

Pomponium, inquit, atque Vlpianum corrumpere linguam Latinam, qui *quot mensibus*, vel *quot diebus* scripserint, pro *singulis mensibus*, *singulis diebus:* cui ego dixero, tale conuicium Plauto quoque, M. Catoni, et denique doctissimo omnium Varroni commune esse. Plautus *in Sticho I. 2. 3. Meministis quot calendis petere demensum cibum.* Cato *de Re Rust Cap. XLIII. Capita oleagina quot mensibus fodere oportet.* Varro *lib. IV. de L.L. Sacra quot mensibus feruntur in arcem.* quod ante nos et alii notarunt.

FLORIDVS AD CAP. LX.

Hic sane pro meo iure hoc dicere possum, me non tam Vallae addictum vnquam fuisse, vt eum quasi Deum quempiam nullo pacto dormitasse persuasum habeam: cum Latinae eloquentiae principem M. Tullium Ciceronem memoria
252 non semel lapsum fuisse, et alii obseruarint, et ipse de se multis in locis fateatur. Nam *Lib. VII. ad Atticum Epist. 3.* ita scribit: *Venio ad Pyraeeа, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Pyraeea scripserim, non Pyraeeum (sic enim omnes nostri locuti sunt) quam quod In addiderim. Non enim hoc vt oppido praeposui, sed vt loco: et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, et Nicias Cous nomen rebatur oppidi esse Pyraeea. sed de re videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non vt de oppido locutus sum, sed vt de loco.* Et XII. *ad Attic. 6. Macte virtute, mihi quidem gratum: et erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum, per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* Et *lib. XIII. ep. 44. Brutus mihi Titi Ligarii verbis nunciavit, quod appelletur L. Cursidius in Oratione Ligariana, erratum esse meum: sed, vt aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα· Sciebam Cursidium pernecessarium Ligariorum, sed eum video ante esse mortuum.*

mortuum. Itaque dabis negocium Pharnaci, Antaeo, Saluio, vt id nomen ex omnibus libris tollatur. His simillimum est, de quo *lib. XVI. eiusdem operis ep. 6.* agit: *De gloria*, inquit, *librum ad te misi, et in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id euenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum. ex eo eligere soleo, cum aliquod σύγγραμμα institui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum. Itaque statim nouum prooemium exaraui, et tibi misi. Tu illud desecabis, et hoc adglutinabis.* Quod mirum, si hic errasset Valla, cum Cicero errata sua non diffiteatur? Ac de Cursidio nescio an vnquam proprium lapsum agnouisset, nisi a Bruto fuisset admonitus, quemadmodum *in libro de gloria* factum est, in quo cum aperte aberrasset, neque ipse postea, neque eius libertus erratum animaduertit. De qua re Auli Gellii verba subiungam *lib. XV. Noct. Attic. cap. 6.* (1) *Qui est secundus de gloria, manifestus error est non magnae rei: quem errorem esse possit cognoscere non quiuis eruditorum, sed qui tantum legerit Ὁμήρου τὸ ή. Quamobrem non tam id mirabimur errasse eam rem M. Tullium, quam non esse animaduersum hoc postea, correctumque vel ab ipso, vel a Tyrone liberto eius, diligentissimo homine, et librorum patroni sui studiosissimo. Ita enim scriptum in eo libro est: Apud eundem poëtam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi caussa agit, vt sepeliatur, si sit forte victus: declaratque se velle, vt suum tumulum mul-* 253
tis etiam post seculis praetereuntes sic loquantur:

Hic situs est vitae iam pridem lumina linquens;
Qui quandam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur hoc aliquis. mea semper gloria viuet.

Huius autem sententiae versus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non Aiax apud Homerum dicit, neque Aiax agit, vt sepeliatur, sed Hector dicit, et Hector de sepultura agit, priusquam sciat, an secum depugnandi caussa congressurus sit Aiax. Quamobrem si Vallam hoc loco vel manifestissime hallucinatum esse, vt pro certo habet Alciatus, sciremus, quis non ei tam exiguum errorem condonaret? Sed an deceptus fuerit videamus. Pomponium atque Vlpianum reprehendit, quod *nihil interesse, vtrum in annos singulos, vel quotannis: an in singulos menses, vel quot mensibus: an in singulos dies, vel quot diebus legetur*, homines loqui doceant, et subdit: *Quis vnquam dixit, quot diebus, et non potius quotidie?* Cui ita respondet Alciatus, vt nullum locum latine hoc dictum

1 *Qui est secundus*] Lege, vt est apud Gellium: *In libro M. Tullii, qui est secundus*, cet.

esse ostendentem adducat, sed pro eo vnicum Plauti testimonium citet, nihil tamen ad rem, de qua agimus. Et ille quidem *quot calendis* semel tantum vsurpauit: quid hoc ad negocium? Negat Valla dici posse *quot diebus*, si latine loqui velimus, cum pro eo, (2) Quintiliano quoque teste, *quotidie* sit inductum. Tu Iureconsultum optime locutum asseris. Recte sane. Sed quodnam pro eo ex Romano aliquo autore testimonium adducis? An sic disserere aliud est, quam lectoribus risum mouere? At Plautus, inquit, semel scripsit, *quot calendis*. Pulchre: sed non magis ad interrogata respondes, quam si stipulanti, *Dabin' mihi centum minas?* diceres:

Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arua sonanti.

Quamuis nec etiam *quot calendis* recte diceremus, licet id semel legatur, nisi ex iis, quae raro inueniuntur, Latinitatem constare dicamus: quum veteri potius admoneamur prouerbio, vnam hirundinem ver non facere, et M. Crassus ἀγέλαστος vocatus fuerit, licet semel eum risisse in vita scripserit Lucilius. Deinde quod addidit Valla, *Quis etiam quot mensibus, et non singulis mensibus?* eodem spectat, tametsi hoc frequentius est aliquanto, quam *quot calendis:*
254 quippe quo semel M. Cato, nec saepius vsus fuerit Terentius Varro. Ac si eadem ratione *quot diebus* dicere poterimus, quid causae est, cur non illa addamus, de quibus agit Valla, *quot noctibus*, *quot lustris*, *quot horis?* cur enim id magis licebit, quam haec? Quod autem alios ante se hoc adnotasse fatetur Alciatus, nimirum intelligit Antonium Mancinellum, hominem sordidissimum atque impurissimum, qui inter caeteras feces (3) *Limam* quoque in Vallam scripsit, de qua re alibi diffusius agemus. Hoc pro certo habeo, longe melius honori suo consulturum fuisse Alciatum, si Mancinelli ineptias pro Apollinis responso non citasset, parum etiam animaduertens an ad ea, de quibus agebat Valla, pertinerent,

DEFEN-

2 *Quintiliano*] Huius sententiam non percepit, vel, quod magis credo, de industria peruertit Floridus, vt Vallae patrocinaretur. vid. *ad Defensorem. n. 1.*

3 *Limam*] Vid supr. *ad Defens. Cap. XLI. n. 21.*

DEFENSOR AD CAP. LX.

Ain tu, Laurenti, corrumpere hoc eſſe La-
tinam linguam, non iuuare, ſi *quot-menſibus*,
et *quot-diebus* dicamus, perinde atque *quot-
annis?* At vide quale ſit tuum ſupercilium, quam-
que ridiculum te poſteris praebueris. Tu quia
quot-menſibus, et *quot-diebus* non legeras, pu-
taſti corrupte dici. Nunc cum hae dictiones
apud Plautum, Catonem, Varronem, Vitru-
vium, et alios Latinae linguae proceres occur-
rant, etiam pueri noſtri roncho te ſuſpendunt.
Et merito. Nam cum tu ſub Pontificibus Ro-
manis natus et educatus, nondum ſatis erudito
ſeculo, veteres illos Iuriſconſultos, qui ſub
primis illis Imperatoribus floruerunt, tamque 255
pure, terſe, nitide loquuti ſunt, in linguae
Latinae proprietate reprehendere audes, quid
aliud facis, quam quod ὄνος πρὸς λύραν, aut
cum ὗς Ἀθήναν docere inſtituit? Itaque nil am-
plius miror, ſi te mortuo quidam iactarunt, non
audere iam Plutonem verba Latina profundere,
ne videlicet a te Momo et caſtigatore repre-
hendatur. Mirum vero, ni et gloriam illam
viuus affectaris, quam Naeuio Poëtae poſt mor-
tem a Romanis datam teſtatur Agellius *lib. I.
cap.* 24. hoc epigrammate:

Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,
Obliti ſunt Romae lingua Latina loquier.

Caeterum quid hic habes, quod reprehendas?
An repugnat linguae Romanae proprietas et

 puritas,

puritas, vt ſicut *quot-annis* recte dicitur, ita et *quot-diebus*, et *quot-menſibus* nobis dicere licet? Imo vero etſi nemo veterum ita locutus eſſet, nobis permittere debueras, vt quando id apte et concinne diceretur, hac ratione Linguam Latinam locupletaremus. Quod ſi nemo ex veteribus iſta, *quot-menſibus*, et *quot-diebus*, vſurpaſſet praeter Pomponium et Vlpia-
256 num *in l. nec ſemel.* 12. §. *nouiſſime.* 6. *D. Quando dies legat. ced.* Itemque *in l. cum hi.* 8. §. *ſi cui.* 24. *D. de Tranſaction.* ſufficere tibi debuerat: cum ſint ii Latinae linguae vel claſſici authores, contra quos non fuit tibi rixandum. Nunc cum ideo ſolum reprehenderis, quod apud alios non legeras, prolatis ex Plauto, Catone, Varrone ſimilibus dictionibus, faſtum et ſupercilium tuum omnibus deridendum praebuiſti. Horum ego authorum locos, ne quis me fingere ſuſpicetur, licet [1] a Mancinello ante notatos

1 *A Mancinello*] Leguntur etiam eadem omnia loca in notis Philandri ad Vitruuium *lib.* X. *cap.* 7. e quibus manifeſtum eſt falli Cenſores Iuriſconſultorum. *Quot diebus*, cuius auctoritatem oſtendi poſtulat Floridus, vſurpatum fuiſſe veteribus ſcribit Beroaldus ad Apulei. *lib. XI.* nec tamen vllo teſtimonio ex antiquitate confirmat. Gothofred. *ad l.* 12. §. 6 *D. Quando dies legat.* et ad Varronem *Lib. IV. de LL.* Liuium auctorem laudat in *lib. V.* quod ibi non inuenio, adeoque vel typographorum, vel ipſius Gothofredi potius erratum puto. Et tamen vſu receptum fuiſſe non ſinunt nos dubitare verba Quintiliani, qui *lib. I. Inſtit. Orator. cap.* 7. de Orthographia agens: *Frigidiora*, inquit, *his alia, vt quicquid c quartam haberet, ne interrogare bis videremur. Et quotidie, non cotidie, vt ſit, quot diebus. Verum haec iam inter ipſas ineptias euanuerunt.* In quibus non haec ſententia eſt, quam iis adfingit Floridus, pro *quot diebus* inductum eſſe

notatos aſcribere non grauabor. *Quot-menſibus* vſurpauit Cato *in Re Ruſt. Cap. XLIII. Si voles vinea cito creſcat, et olea, quam ſeueris, ſemel in menſe ſarrito ſulcos, et circum capita oleagina quot-menſibus, donec trimae erunt,* 257
fodere oportet. Itemque [2] Varro *de Lingua Latina*: *Viam ſacram eſſe* ait, *qua ſacra quot-menſibus feruntur in arcem.* Vtitur et Vitruuius *lib. IX. cap. 4.* et *lib. X. cap. 7.* Qua ſimilitudine cur non et *quot-diebus* nobis dicere licebit, cum [3] Apuleius *quot-dies* etiam dixerit?

eſſe *quotidie*; ſed fuiſſe nonnullos, qui exiſtimauerint non *cotidie* per *c*, ſed *quotidie* per *qu* ſcribendum, quo ſcilicet ex ipſa ſcriptura appareret eam vocem dici pro *quot diebus*. Eamdem rationem cur *quotidie* ſcribi debeat, non *cotidie*, adferunt etiam et probant Annaeus Cornutus *apud Caſſiodorum de Orthographia pag. 2283.* Ed Putſch. et Iſidor. I. *Origin. 26.* Quam etſi reiicit Quintilianus, tamen ob id non negat Latine dici *quot diebus*; verum etiamſi ita dicatur, tamen id non ſatis firmum argumentum eſſe putat, cur *quotidie* potius ſcribendum ſit, quam *cotidie*. Cur autem ita exiſtimauerit, non eſt huius loci inquirere, et peti poteſt ab iis, qui *de Orthographia* ſcripſerunt. Et perduraſſe *quot diebus* in infimam vſque Latinae linguae aetatem ex Auguſtin. *Lib. VI. Confeſſ. cap. 6.* cuius locum vulgata Lexica laudant, conſtat. *Quot horis*, *quot noctibus*, *quot luſtris*, quae tamquam barbara reiicit Valla, etiam ſine auctoritate veterum ſola analogia defendi poſſe exiſtimat Pincierus *Lib. II. Parerg. cap. 18.*

2 *Varro de LL.*] *Lib. IV.* Sed Scaligeri et Gothofredi Edd. ibi habent *quotquot menſibus*, idque etiam in ſcriptis, et aliis impreſſis eſſe monet Victor. IX. *Var. Lect. 23.*

3 *Apuleius*] *Lib. XI. Metam. pag. 267.* Ed Elmenh. quae cum aliis recte exhibet *miniſterium*, non *myſteriorum*. De *quot dies* eſt etiam locus Priſciani *Lib. XVIII. pag. 1193. Illi* (Graeci dicunt) *ὁσημέραι, καὶ ὅσαι ἡμέραι. Romani quotidie, vel cottidie, pro quot dies; et quot annis, pro quotquot erunt anni.* Horatius II. *Carm. 14. 5.* pro eo dixit, *quotquot eunt dies.*

Quot-dies, inquit, *obibam culturae sacrorum mysteriorum.* Sicut et Plautus [4] *quot-calendis* dixit *in Sticho I. 2. 3.* inquiens:

Vos meministis quot-calendis petere demensum cibum:
258 *Qui minus meministis quod opus sit facto facere in aedibus.*

Eadem vero similitudine, eodemque linguae Latinae locupletandae studio *tot-moda* dixit [5] Catullus *in Elegiacis*, pro tot modis diuersa, tam varia, tam omnimoda et omnifaria. Sed et Varro *omnifariam*, *totfariam*, et *aliquotfariam* aduerbia vsurpauit: quae si Criticus hic aduertisset, censurae suae iudicio, credo, subiecisset.

4 *Quot calendis*] Hoc etiam Varroni apud Nonium *in mactare* restituendum censet Gothofr. et Mercer. pro vulgato, *quod kalendis.*

5 *Catullus*] *Epigr. CXVI. Vno qui in saltu tot bona possideat.* Pro *tot bona* Scaliger e veteri scriptura, quam etiam Ach. Statius ibi laudat, reponit *totmoda*, eaque lectio in contextum Ed. Vossianae recepta est.

VALLA AD CAP. LXI.

In eosdem de Turba, *et* Rixa.

Inter turbam et rixam, testimonio [1] Vlpiani, *rectissime Labeo ait multum interesse. Namque turbam multitudinis hominum esse perturbationem, et coetum. Rixam etiam duorum.* Videntur Vlpianus et Labeo sentire, *turbam* suapte natura

1 *Vlpiani*] *l. 4 §. 3. D. Vi bonor. raptor.*

natura ſignificare *multitudinem:* ideoque *turbam* in altero ſenſu eſſe *perturbationem multitudinis.* Ego vero, primum et naturalem ſen-/ 259
ſum eſſe pro *perturbatione;* quod docet verbum ex ea ſignificatione ductum, *turbo, perturbo, diſturbo, deturbo, conturbo,* quae nequaquam ad ſolam multitudinem referuntur. Et *turbo turbinis:* et homo *turbidus,* qui eſt iracundus. Contraque vinum, et multa alia *turbida* dicuntur. Ipſaque Graeca origo *τύρβη* approbat hunc eundem ſenſum. Caeterum, quia multitudo non fere vacat perturbatione et ipſam appellamus *turbam;* vt *colluuiem,* homines viles, et contemptos dicimus, et *faecem,* et *ſentinam,* non quod homines ſint ſordes, faex, ſentina, ſed quod ſordidam et abiectam vitam agant. Terentius [2] *in Andria: Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet. Tum illae turbae fient.* Inter quos hae turbae fient? nempe inter Simonem et Pamphilum, in quem omnis culpa transferetur. Ergo *turba* erit *inter duos.* At idem [3] in eodem ait: *Dii veſtram fidem, quid turbae eſt apud forum? quid illic hominum litigat?* Ego non nego aliquando *turbam inter multos,* quemadmodum *rixam non ſemper inter duos,* cuius multa exempla ſunt, ſed etiam inter plures, vt apud [4] Liuium: *Eo anno Romae cum per ludos a Sabinorum iuuentute*

P 5

2 *In Andria*] *Act. II. ſc. 3. C. vers. 5.*

3 *In eodem*] *Act. IV. ſc. 4. C. vers. 5.*

4 *Liuium*] *Lib. II. C. cap. 18.*

260 *tute per laſciuiam ſcorta raperentur, concurſu hominum rixa ac prope praelium fuit.* Et non longe [5] poſt: *Cum conuerſus in Patres impetus eſſet, Conſulum intercurſu rixa ſedata eſt.* Sed Terentius fortaſſe ideo adiecit, *Quid hominum illic litigat?* quia per verbum *turbae* non ſatis ſignificatum erat perturbationem eſſe multorum. Quanquam et illud *turbae* non minus pro *multitudine hominum* accipi poteſt, quam pro *perturbatione*, quum praeſertim de perturbatione adiiciat, *Quid illic hominum litigat?* Sed de vno loco non attinet diſputare, vbi infinita ſuppeditant. Dixi a *turba* fieri *turbo*, cuius genitiuum Grammatici quidam volunt eſſe pro ludicro illo inſtrumento, [6] *turbonis*, quod vel in hoc falſum eſſe, documentum eſt, quod formam acumine faſtigiato vocamus *turbinatam*, ad ſimilitudinem ligni illius. Falluntur igitur Grammatici in *turbo turbonis*, quomodo in *cardo cardonis*, quod nec ipſum inuenitur.

5 *Poſt*] *Eod. lib. cap. 29.*
6 *Turbonis*] De hoc Scaliger *ad Tibull. I. 5. 3.* Erythr. *Indic. Virgil.*

261 ALCIATVS AD CAP. LXI.

Turbam non multitudinis hominum perturbationem, vt Labeo ſcripſit, *ſed ſimplicem perturbationem etiam duorum exiſtimat*, et a tali perturbatione *turbam* pro multitudine dictam, quod multitudo non fere vacet perturbatione: vnde vulgatum carmen, *Septem conuiuium ſunt, nouem conuicium.* Sed mihi haec controuerſia non admodum ei abſimilis videtur, quam Cenſorinus tradidit, priuſne ouum fuerit an gallina. Labeo prius ſignificatum *turbae*, id eſt, *multitudinis*, atque inde factam poſtea *perturbationem*: tu *pertur-*

perturbationem priorem contendis. Sed nec quos adducis autores, sententiam tuam adiuuant, qui *μεταφορικῶς* potuerunt *turbam etiam duorum* dicere, nec etiam Graecus sermo *τύρβη*, in quo eadem potest esse haesitatio: et vt demus opinionem tuam veriorem, in Edicto certe Praetoris, quod Labeo interpretatus est, probabilior est Iureconsulti sententia. Verba Edicti *in l. 4. princ. D. Vi bonor. raptor.* sunt: *Cuius dolo malo in turba damnum quod factum esse dicetur.* ea non possunt commode de *perturbatione* intelligi, quae semper eum afficit, cui damnum infertur: necessario igitur de *multitudine* accipiendum.

FLORIDVS AD CAP. LXI.

Haec non aliter quam superiora soluit Alciatus, vt a Valla citatos autores metaphorice, Iureconsultos autem proprie dicat locutos. Huius rei ratio erat in primis reddenda, cur si *turba multitudinis hominum perturbationem* significat, prout Labeo sentiebat, ab eo deducta verba, *perturbo, conturbo*, et similia, ad solam *multitudinem* non referantur. An non potius, cum simpliciter capiantur, proprium est *turbae* significatum, *simplicem* denotare *perturbationem*, cum etiam sit *inter duos*, vt apud Terentium legitur, *turba?* An 262
forte semel hac ille voce in eo significatu vsus est? Minime quidem. Sed et *Heautontim. I. 2. 15. Timet omnia, patris iram, atque animum amicae erga se vt sit suae: eam misere amat, propter eam haec turba atque abitio venit.* Inter quosnam haec *turba* venerat? Inter Menedemum videlicet et Cliniam filium. Ergo *turba* pro *perturbatione* etiam *de duobus* dicitur: et melius sensit Valla, quam Iureconsultus. Quod autem subiungit Alciatus, probabiliorem esse huius in Edicto Praetoris interpretando, quam Vallae sententiam, quo pacto id colligat, non video. A praecipua enim *turbae* significatione, quum *perturbationem* denotat, ad aliam transit, quum *hominum multitudinem* indicat, cum hoc inter eos quaeratur, significetne *turba simplicem*, an *multorum perturbationem?* Aliud enim esset, an de *hominum multitudine*, an vero de *simplici perturbatione* Edictum intelligat, scire velle. Illud etiam addo, Alciatum Vlpiani verba, quae sunt *in l. 40. §. 3. D. de Verb. sign. Vnicus seruus familiae appellatione non continetur, nec duo quidem familiam faciunt*, enarrantem ita scribere, arridere sibi ne a *turba gens* distinguatur, cum superius *turbam decem homines* requirere asseruerit, quod tamen apud Latinos autores non obseruatur. De *tribus* enim *turbam* dicit Virgilius *in III.*

Aen.

Aen. 232. quum de Harpyis loqueretur, quas tres tantum fuiſſe conſtat. quarumque erant nomina, Aëllo, (1) Cypete, et Celeno:

Rurſum, inquit, *ex diuerſo coeli, caecisque latebris*
Turba volans, praedam pedibus circumuolat vncis.

Easdem Harpyias *gentem* etiam nominat *Ibid. vers. 234.*

— — *Sociis tunc arma capeſſant*
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.

Ouidius de *duobus* quoque *turbam* dixit, cum de Pyrrha et Deucalione ab aquis ſeruatis loqueretur. I. *Metam. 354.*

Terrarum, quascunque vident occaſus et ortus,
Nos duo turba ſumus.

Turba etiam de *auibus* dicitur. Virgil. XII. *Aen. 248.*

Littoreas agitabat aues, turbamque ſonantem
Agminis aligeri.

263 Et *iaculorum multitudinem turbam* vocat Ouidius *lib. IV. de Ponto El. 7. 35.*

Nec te miſſa ſuper iaculorum turba moratur.

Gens vero et ad *equos* refertur. Virgil. *in III. Georgic. 122.* de equo:

Neptunique ipſa deducat origine gentem.

Et inferius *Ibid. vers. 158.*

Continuoque notas et nomina gentis inurunt.

Et *vers. 471.*

— — *Neque ſingula morbi*
Corpora corripiunt, ſed tota aeſtiua repente,
Spemque, gregemque ſimul, cunctamque ab origine gentem.

Et ad *canes.* Ouidius *lib. III. Metam. vers. 208.* de Actaeonis canibus:

Gnoſius Ichnobates, Spartana gente Melampus.

Et ad *apes.* Virgilius IV. *Georgic. 4.*

— — *Totiusque ex ordine gentis*
Mores, et ſtudia, et populos, et praelia dicam.

Et *Ibid. vers. 95.*

Vt binae regum facies, ita corpora (2) *gentis.*

Nec

1 *Cypete*] *Ocypete* forte ſcripſerat, vt apud Apollodor. I. 9. Seruium *in III. Aen. 209.* et alios. *Celaeno* quoque eſt apud Virgil. *l. d. vers. 211.* non *Celeno.*

2 *Gentis*] Legitur *plebis.*

Nec mirum, cum Homerus libro II. Iliados tam *viros*, quam *apes* ἔθνεα, id est, *gentes* vocet. Cumque Graeca ea vox *cognationem* quoque et *nationem* significet, nos Virgilium Ouidiumque, qui Graecos poëtas expresserunt, ἔθνος *gentem* vertentes iis in locis magis probamus. Homeri versus *lib. II. Iliados 87.* hi sunt:

> Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
> Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων,
> Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.
> Αἱ μὲν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα.
> Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
> Ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
> Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν.

Et inferius de auibus *vers. 459.* 264

> Τῶν δ' ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
> Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων.
> Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
> Ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον.

Oppianus quoque pisces ἔθνεα appellat. Vnde et illud Virgilianum in IV. *Georgic. 430.*

> —— *Eum vasti circum gens humida ponti*
> *Exultans, rorem late dispergit amarum.*

Rixam porro *de duobus non semper* dici recte censet Valla: et in eo significatu haec vox frequentissime reperitur. Livius *lib. III. ab V. C. cap. 11. Initium*, inquit, *erat rixae, cum discedere populum iussissent tribuni, quod Patres se summoueri haud sinebant.* Et *in V. cap. 25. Haec cum foedis certaminibus agerentur, (nam partem tribunorum plebis in suam sententiam traxerant) nulla res alia manibus temperare plebem cogebat, quam quod vbi rixae committendae causa clamor ortus esset, principes senatus primi turbae offerentes se peti atque occidi iubebant.* Horatius I. *Carm. 18. 8.*

> *Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero*
> *Debellata.*

Et inferius I. *Carm. 27. 3.*

> —— —— *Verecundumque Bacchum*
> *Sanguineis prohibete rixis*

Propertius *Lib. II. El. 15.* (al. 19.) 5.

> *Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras*

De

De *duobus.* Catullus *Epigr. XLI.*

Quis Deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Propertius II. *El. 12. 9.* (al. 15. 3.)

Quam multa oppoſita narramus verba lucerna,
Quantaque ſublato lumine rixa fuit?

Et III. *El. 6.* (al. 7.) 1.

Dulcis ad heſternas fuerat mihi rixa lucernas.

265 Recte igitur et de *multis*, et de *duobus* dicitur: ſicut et *turba ſimplicem*, et *multiplicem perturbationem* ſignificat.

DEFENSOR AD CAP. LXI.

Hoc quoque loco quid in Vlpiano et Labeone reprehendas *ad l. 4. §. 3. D. Vi bonor. raptor.* non video. Nam cum aiunt *turbam multitudinis hominum eſſe turbationem et coëtum* (ſic enim legendum eſt, non, vt tu, *perturbationem*) an non ſatis indicant, *turbae* nomen a *turbando* deduci? neque ſolum multitudinem ſignificare, niſi ea turbata et concitata ſit? Quod vel ex eo apparet, quod *rixae* opponitur, et quid inter haec duo diſtet ab his quaeritur, aiuntque *rixam etiam inter duos* exiſtere poſſe: *turbam* autem *in multitudine concitata* intelligi. Sed et Edicti verba ſatis ipſa per ſe id oſtendunt. Nam cum Praetor vi bonorum raptorum iudicium in eum ſe daturum pollicetur, *cuius dolo malo damnum in turba datum fuerit*, praeſupponit multitudinem illam hominum concitatam et impetu quodam agitatam fuiſſe. Alioqui vix cuiquam damnum datura ſit, ſi ſedata et quieta eſſet, vt cum ad Diuos caſte adeunt,

adeunt, aut noſtrae, id eſt, Chriſtianorum conciones. Neque praeſumendum, ſiquis in turba zonam ſecuerit, aut quippiam furatus ſit: 266
aut ſi puer a multitudine oppreſſus ſit, ſtatim vi bonorum raptorum iudicium competere. *At*, inquit, *videntur Vlpianus et Labeo ſentire turbam ſuapte natura ſignificare multitudinem: ideoque in altero ſenſu turbam eſſe perturbationem multitudinis.* Quid ſi negemus. Nec enim id [1] ex Vlpiani verbis colligere potes. Quid ſi dicamus, licet *turbae* nomen origine Graecum ſit, *τύρβη*, quod *θόρυβον καὶ τάραξιν* proprie ſignificat (nam et *τυρβάζειν* eſt *τὰ πράγματα ἀνακυκᾶν* ex Euſtathio: ad cuius ſimilitudinem Cicero *turbare Rempublicam*, et noſtri *turbare* vel *conturbare rationes* dixerunt) tamen quoniam haec in *turba*, id eſt, *hominum coetu* potiſſimum accidere ſoleat: ita *turbae* nomen *multitudini* aptatum eſſe, ex vſu loquendi, vt iam nihil aliud ſignificet, an tibi ſatis os obturatum eſſe fateberis? Quod ſi vel Piſanas Pandectas habuiſſes, vel ii, quibus vtebaris, libri Graecas dictio-

1 *Ex Vlpiani verbis*] Hoc verum arbitror. Nec refert quaerere, vtram Iuriſconſulti primam, vtram ſecundam ſignificationem vocis *turba* eſſe exiſtimauerint: cum vtrumcumque horum ſenſerint, ſemper vera futura ſit eorum expoſitio verborum Edicti, damnum *in turba* factum eſſe, quod fit *in multitudinis hominum perturbatione et coetu:* quae interpretatio neque ab vſu linguae Latinae recedit, qua et *multitudinem* ipſam *hominum*, et *perturbationem* ab hac ortam, *turbam* dici certum eſt. Itaque omnia illa, quae a Cenſoribus de varia ſignificatione vocabulorum *turba*, et *gens*, adferuntur, praeter rem dicuntur, nec Iuriſconſultis aduerſantur.

dictiones adſcriptas habuiſſent, quanto potius
267 id reprehendiſſes, quod in eadem *l. 4.* paulo
poſt Edicti Praetorii verba ſcriptum eſt: *Turbam autem appellatam Labeo ait ex genere tumultus, idque verbum ex Graeco tractum, ἀπὸ τȣ̃ θορυβεῖν.* Dixiſſes nempe pueriliter lapſos tam Vlpianum, quam Labeonem fuiſſe, cum ſatis appareat, τύρβης nomen e Graeco Latinum factum eſſe. Verum pro iis reſpondemus *turbae* etymon quaſi protritum et peruulgatum ab his praetermiſſum, et *Id* pronomen non ad turbam, ſed ad tumultum referri debere. At id quoque perſtringere videris, quod ſcripſit Vlpianus: *Duo turbam non facere, enimuero ſi ſint plures, puta decem, aut quindecim homines, tum turbam dici.* Adfers enim locum Terentii *in Andria: Tum illae turbae fient.* Et ſubiicis: *Inter quos hae turbae fient? Nempe inter Simonem et Pamphilum. Ergo turba erit* [2] *inter duos.* Mirum

2 *Inter duos*] Floridus ita argumentatur: quia etiam *duo homines turba* vocantur, et *turba inter duos venire* dicitur: ergo rectius ſentit Valla, quam Iureconſultus. Hoc eadem ratione procedit, ac ſi quis ex eo, quod Martialis XII. *Epigr. 88.* et Paulinus *Natali IV. Felicis* (notauit haec loca Gronou. *ad Phaedr. III. fab. 19.*) *vnum* hominem *turbam* appellant, quodque Terent. *Eunuch. IV. 1. 2.* et alibi, *vnum* hominem *turbas dare*, et *concire* dixit, conficere velit, non recte *turbam* ad *multitudinem* referri, et *in turba fieri*, item *damnum in turba dari* dicendum eſſe, quod quis ſolus nullo alio praeſente dat, facitue. Hoc autem ſi falſum eſt, nec Floridi argumentatio recta erit: nam Praetor in Edicto non magis de *turba duorum*, quam *vnius* ſentit. *Rixam* porro de pluribus, quam duobus dici, nihil attinebat tam operoſe probari, cum id Iuriſconſulti non negent.

Mirum vero, quod non et eum [3] Statii locum 268
produxeris *in Achilleide: Nos duo turba sumus.* Sed scito, in his locis, aut cum *turbae* ex duorum discordia dicuntur excitari, iam non ad numerum personarum, sed ad *perturbationem* et motum animorum verbum id referri: praeterea ex duorum etiam infimorum discordia magnos hominum coetus commoueri quandoque solere.

3 *Statii*] Est Ouidii I. *Metam.* 355. Quod autem Statium memorat, videtur in animo habuisse hoc eiusdem poëtae *lib. II.* (al. IV.) *Achill.* 235. *Immitis quoties tractabitur ensis, Turba sumus.*

VALLA CAP. LXII.

In eosdem, de Exauthoro.

Ignominiosa autem missio, si [1] Vlpiano credimus, *toties est, quoties is, qui mittit, adiicit nominatim, ignominiae se causa mittere: semper enim debet Imperator addere, cur miles mittatur.* [2] *Sed et si eum exauthorauerit, inter infa-* 269
mes efficit, licet non addidit, ignominiae causa se eum exauthorasse. Pace tamen Vlpiani *exauthorare*, est ducem ab imperio suo dimittere, vel missum

1 *Vlpiano*] *Iuliano.* Ed. Col. Steph. et Gryph. C. *Vlpiano* rectum est. vid. Defensor. Est autem *in l. 2. §. 2. D. de His, qui not. infam.*

2 *Sed et si*] *Sed et si ita exauthorauerit, vt insignia militaria detraheret: inter infames efficit, licet non addidit, ignominiae causa se ita exauthorasse.* Ed. Colin. C. et Basil. V. *ad Defensor. n. 2.*

missum militem facere, illumque donare missione militiae plerunque: vt apud Quintilianum [3] *in Milite Mariano: Pater huic emeritis bello stipendiis, tum, cum tota subnixum Numidia fregimus Iugurtham exauthoratas armis manus agresti labori subegit.* T. Liuius ab V. C. [4] *lib. XXV. Volonum quoque exercitus, qui viuo Graccho summa fide stipendia fecerat, velut exauthoratus morte ducis, a signis discessit.* Et [5] *in XXIX. Vbi hoc modo exauthoratum equitem cum gratia Imperatoris caeteri viderunt, se quisque excusare, et vicarium accipere.* Et [6] *in XXXII. Vbi is venisset, omnes milites exauthorati domum dimitterentur, praeter quinque millia socium: his obtineri circa Ariminum prouinciam satis esse.* Idem [7] *lib. XXXVI. Postero die concione aduocata, de rebus et a se gestis, et de iniuria Tribuni bello alieno se illigantis, vt suae victoriae fructu se fraudaret, cum disseruisset, milites exauthoratos dimisit.*

3 *In Milite*] *Declam. III*
4 *Lib XXV.*] *Cap. 20.*
5 *In XXIX.*] *Cap. 1.*
6 *In XXXII.*] *Cap. 1.*
7 *Lib. XXXVI.*] *Cap. 40.*

270 ALCIATVS AD CAP. LXII.

Iulianum improbat, qui *exautorationem* a Principe simpliciter factam ignominiae notam inurere scripsit: contra Valla, cum *exautorare* sit simpliciter militem missum facere, quod T. Liuii testimonio variis locis probatur. Respondeo: in veteri Republica haec sententia posset procedere, quo tempore ex solo commeatu vel ducis licentia milites *exautorabantur*: verum ordinata ab Augusto successoribusque militia,

militia, a qua non nisi post viginti stipendia mittebantur, tributa quoque illis sunt militaria insignia, quorum detractio infamiam irrogat, quoniam non nisi turpi missione dimissis detrahuntur.

FLORIDVS AD CAP. LXII.

Haec vt Alciato et Iuliano condonemus, neque Vallam, neque Iulianum reprehensione hoc in loco dignum existimo: quorum hic de Imperatorum temporibus, ille vero de veteri Republica intelligeret, vt Iulianus de militarium insignium detractione, hic de proprio eius vocis significatu egerit. Licet longe melius instituti essent milites, quos ante Augustum Romani habuerunt, quam qui sub Caesaribus adeo infames, adeo sacramenti, quo astricti erant, contemptores vixerunt, vt magis ipsi imperii habenas moderarentur, quam ii, quos pro suo arbitratu ad summam rerum vel efferebant, vel elatos nefarie trucidabant. Pro persona itaque, quam induerat Valla, recte *exautorationis* proprietatem ostendit, non ex Mamecrecto, aut Breuiloquo, sed ex T. Liuio, mirae, vt Quintilianus ait, facundiae scriptore.

DEFENSOR AD CAP. LXII. 271

Ecce autem Valla Iulianum in verbi *exauthoro* significatione reprehendere conatur, prolatis ex Quintiliano et Liuio testimoniis, quibus ostendit, *exauthorare* nihil aliud esse, quam *missum militem facere.* Primum parcendum homini, si corruptis exemplaribus vsus [1] Iulianum pro Vlpiano nominauit. Nam suo tempore capitum inscriptiones negligebantur, et pleraeque omnes corruptae habebantur. Est autem locus ille *l. 2. §. ignominiae caussa. 2. D. de His qui not. infam.* desumptus *ex Vlpiani libro sexto ad*

1 *Iulianum*] Ita etiam Floridus et Alciatus ipse, quo minus hoc Vallae vitio vertendum est.

ad Edictum. At quod locum [2] truncauit, et verba illa, *insignia militaria detraxerit,* quae
272 in omnibus sunt exemplaribus, non apposuerit, nescio an exemplaris vitio, an potius hominis morbo, nimio reprehendendi studio laborantis, tribuere debeamus. [3] Locus autem integer sic ab Vlpiano scriptus est. IGNOMINIAE CAVSA MISSVS. *Hoc ideo adiectum est, quia multa genera sunt missionum. Est honesta, quae emeritis stipendiis, vel ante ab Imperatore indulgetur: Est caussaria, quae propter valetudinem laboribus militiae soluit: Est ignominiosa. Ignominiosa*

2 *Truncauerit*] Mihi hoc in meliorem partem interpretari lubet, et credere, hoc vel vitio Codicis, quo Valla vsus fuit, vel incuria quadam factum esse. Non enim erat causa verba illa, *id est, insignia militaria detraxerit*, data opera ab eo praetermitti, quae si adderentur, nihilominus eadem relinqueretur difficultas. Quod autem in quibusdam Editionibus Vallae legitur, *Sed et si ita exauthorauerit, vt insignia militaria detraheret*, id non a Valla profectum, verum ex Haloandrina Editione Pandectarum interpolatum arbitror: tum quia hoc loco vulgata scriptura, quam etiam in Vallae libro fuisse credibile est, a Florentina non differt: tum quia ex altera illa lectione Valla conficere non potuit Iurisconsultum existimasse omnem exauctorationem ignominiosam esse, vtpote quae adiectis particulis *ita*, *vt*, generalem significationem exauctorandi ad vnam illius speciem restringat.

3 *Locus autem integer*] In Edit. Haloandr. ea, quae praecipuam continent difficultatem, ita leguntur: *Sed et si ita exauctorauerit, vt insignia militaria detraheret, inter infames efficit, licet non addidit, ignominiae caussa se exauctorasse.* Et sic quoque ediderunt Sennetonii, et Vintimillius, alii autem in marginibus suarum Editionum adposuerunt: omnes, ni fallor, ex Haloandrina. Vulgata et Florentina scriptura non alia est ab ea, quam Gothofredus edidit: *Sed et si eum exauctorauerit*, id est, *insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidisset, ignominiae causa se eum exauctorasse.*

miniosa autem missio totiens est, quotiens is, qui mittit, addit nominatim, ignominiae caussa se mittere. Semper enim debet addere, cur miles mittatur. Sed etsi ita exauctorauerit, vt insignia militaria detraxerit, inter infames efficit: licet non addidisset ignominiae caussa se eum exauctorasse. Est et quartum genus missionis, si quis euitandorum munerum caussa militiam subiisset. Haec autem missio existimationem non laedit, vt est saepissime rescriptum. Quibus ex verbis satis appa- 273
ret, Vlpianum [4] non de qualibet *exauthoratione* loqui,

4 *Non de qualibet exauthoratione*] Haloandri lectio plana est, nec quidquam habet, quod morari lectorem possit; Vulgata et Florentina satis obscura, ad quam illustrandam quae hic a Defensore disputantur, me quidem non multum ad percipiendam scripturae illius sententiam iuuant. Nam cum ex his, quae ipse adfert, constet *exauctorationem generalem*, quam vocat, aeque interdum ignominiosam, et aeque cum detractione insignium militarium coniunctam fuisse, quam *specialem* vnius, paucorumue; apparet inane esse discrimen, quod inter effectum earum *exauctorationum* statuitur. Cumque itidem certum sit, verbum *exauctorare* non tantum significare cum ignominia mittere, sed quacumque ratione sacramento auctorationis soluere; nec *exauctorationis* ignominiosae vnam solam speciem esse, eam scilicet, quae fit detractis insignibus militaribus; non sufficit ad tollendam difficultatem, quae est in verbis Iurisconsulti, post multas ambages denique hac interrogatione defungi, *an ideo tamen culpandus sit Vlpianus, qui exauctorauerit interpretatus fuerit*, id est, *insignia militaria detraxerit?* sed dilucide expediendum fuerat, qua ratione id ita interpretetur Vlpianus, vt videri possit existimasse, vel hanc solam *exauctorationis* speciem esse, vel cum omni *exauctoratione* ignominiam coniunctam esse. Petrus Faber *lib. I. Semestr. cap. 17.* scribit, haec verba, *id est, insignia militaria detraxerit*, addita esse a Iureconsulto ad coarctandam latiorem *exauctorationis* significationem, eo quod nec omnis *exauctoratio* ignominiosa esset, nec ignominiosa missio, siue *exauctoratio*, semper cum ademtione armorum fieret,

sed

274 loqui, ſed de ea, quae cum inſignium militarium detractione ſit, quam ſane ignominiam in ſe continere nemo dubitauerit. Quamuis autem Florentinus Codex ita habeat, *Sed et ſi eum exauthorauerit, id eſt, inſignia militaria detraxerit:* non tamen inferri poteſt, omnem *exauthorationem in genere* ſumptam ignominioſam fuiſſe, ſed *ſpecialem* illam, quae adiunctam habet inſignium militarium detractionem. Loci vero, quos profers, de *generali exauthoratione* loquuntur, cum vniuerſus exercitus, aut integra legio, aut milites omnes *exauthorati* dimittuntur. Quod etſi interdum ignominiae cauſſa fiebat, vtpote propter ſeditionem excitatam, aut deſerta ſigna, aut aliud aliquod delictum

ſed etiam non detractis armis et inſignibus militaribus, ita vt Imperator diceret, ſe militem ignominiae cauſa mittere. Verum enimuero quantumuis vera ſint, quae de *exauctoratione* dicit Faber, nondum tamen inde liquet verborum, *id eſt*, hanc vim et poteſtatem eſſe, vt iis adpoſitis latior alicuius vocabuli ſignificatio coarctari reſtringique poſſit, quod mihi teſtimoniis prolatis oſtendendum fuiſſe videtur. Nam qui *de Verborum, quae ad Ius pertinent, ſignificatione* ſcripſerunt, de hoc vſu nihil monent; ſed, *id eſt*, vel exempli loco, et παραδειγματικῶς poni, vel διασαφητικόν, et explicatiuum eſſe adnotant: quarum ſignificationum neutra in haec verba Vlpiani conuenit. Quantum quidem ex exemplis, quae in *Lexica Iuris* e Pandectis collata ſunt, intelligitur. Arrius Menander tamen verbis, *id eſt*, eadem plane ratione, qua Vlpianus, ac de eadem re, de *exauctoratione* ſcilicet, vtitur: niſi quod eorum adiectione *exauctorare*, non ad vnam ſpeciem ignominioſae miſſionis, quae ſit detractis inſignibus militaribus, ſed ad omnem ignominioſam miſſionem contrahit. Verba eius ſunt *in l. 29. D. de Liberal. cauſ. Qui de libertate ſua litigans, necdum ſententia data, militiae ſe dedit, in pari cauſa caeteris ſeruis habendus eſt, nec exonerat eum,* *quod*

lictum militare, quod ad vniuersos, non ad vnum aliquem pertineret (quarum missionum exempla sunt apud Suetonium *in Iulio Cap. LXIX.* et *LXX.* et *Augusto Cap. XXIV.* Herodianum *Lib. II. cap. 13.* et Lampridium *in Alexandro Cap. XII.* et *LIV.*) tamen sciendum *generalem* illam *exauthorationem* non tam ignominiosam fuisse, quam *specialem* hanc vnius alicuius, quia scilicet numerus dedecus tegit, et plus notatur is, in quem vnum spectantibus caeteris animaduertitur. Deinde, quia idem ille exercitus, vel legio, iidem illi milites, cum post aliquod tempus quasi poenae nomine *exauthorati* mansferant, solebant iterum sacramento militari adstringi: at non is, qui ob priuatum 275

 aliquod

quod pro libero habeatur in quibusdam. et licet liber apparuerit, exauctoratus, id est, *militia remotus*, *castris eiicietur.* Nam *militia remouere* de ignominiosa missione dici docet Salmas. *Cap. XXI. Obseruat. ad Ius Attic. et Rom.* Idemque, *exauctoratus*, ideo ab Arrio exponi *militia remotus* dicit, *quia exauctoratio non semper ignominiam infert, sed tum demum, cum fit ignominiae causa:* quae eadem ratio tollendae difficultatis est, atque ea, qua vtitur P. Faber *in l. 2. §. 2. de His qui not. infam.* Itaque etsi non satis apparet in aliis, quae e Pandectis adferuntur, verba, *id est*, ita sumi, vt iis generalis alicuius verbi significatio ad specialem coarctetur, tamen quia non perspicio, quomodo haec aliter accipi possint, fatendum videtur, saltem *in d. l. 2. de His qui not. infam.* et *l. 29. pr. de Liberal. caus.* hunc illorum vsum esse. Nam vt vel cum Haloandro scripturam Florentinam *in d. l. 2. §. 2. de His qui not. infam.* mutandam, vel cum Heraldo *in l. 29. princ. de Liberal. caus.* verba, *id est*, *militia remotus*, pro glossa habenda esse censeam, induci non possum. Nec verum esse, quod Heraldus ait, *vix exauctorationem vsurpari quotidiano vsu sine aliqua nota*, non modo ex aliorum scriptorum testimoniis probari potest, sed etiam ex ipsis Iurisconsultis ostendit ibidem Salmasius.

aliquod delictum militia ſic ſoluebatur, vt ei inſignia militaria detraherentur. Praeterea vniverſus exercitus olim *exauthorabatur* vel [5] morte Imperatoris, cui nomen dederant, et in cuius verba iurauerant, ſeque ſacramento obſtrinxerant, vt in illo loco Liuii *Dec. III. Lib. V.* a te adducto. Vel etiam confecto bello, ſtante Rep. videlicet, antequam legiones ad limites imperii ſeruandos perpetuo manſurae diſponerentur, vt in altero loco Liuii *Dec. IV. Lib. II.* Quod vtrunque ſine ignominia militum fieri debuiſſe omnes vident. At in priuatis militibus alia ratio fuit, vt niſi honeſtas miſſionis cauſſas haberent, ignominia miſſi intelligerentur, vt poſtea docebimus. Sed nihilominus in *generali* illa *exauthoratione* ignominioſa arma deponere milites iubebantur. Illius enim formulam Lampridius refert *in Alexandro Cap. LIV.* in haec verba: *Quirites diſcedite, atque arma deponite,* ſubditque, *Mirando exemplo depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diuerſoria varia receſſerunt.* Lo-
276 quitur autem de Alexandro Imp. qui apud Antiochiam legionem tumultuantem, et ipſi in concione obſtrepentem ita *exauthorauit.* De quo etiam Idem alibi *Cap. LII. Seueritatis tantae fuit*

5 *Morte Imperatoris*] Hoc vero neque ex illo, neque ex aliis locis Liuii, aut aliorum ſcriptorum, quod quidem ſciam, patet, et contra multis exemplis doceri poteſt, mortem Imperatoris inter *exauctorationis* ſpecies habitam non fuiſſe. Nam e volonum illorum apud Liuium facto ius conſtitui non poteſt, qui ſola licentia, haud dubie contra diſciplinam militarem, ipſi ſe *exauctorarunt.*

ſuit in milites, vt legiones integras exauctorauerit, ex militibus Quirites appellans. Quo etiam pertinent Lucani verſus *lib. V. v. 325.* de Caeſare legiones *exauctorante*:

Vadite, neque meis ad bella relinquite fatis,
Inuenient haec arma manus.

Et rurſus *Ibid. vers. 357.*

Iam certe mihi bella geram, diſcedite caſtris:
Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites.

Quod Tranquillus *in Iulio Cap. LXIX.* ita expreſſit: *Nonam legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius eſſet, totam cum ignominia miſſam fecit: aegreque poſt multas et ſupplices preces, nec niſi exacta de ſontibus poena reſtituit.* Quid igitur habet hic Valla, quod reprehendat? *Pace Iuliani,* inquit, *exauctorare eſt ducem ab imperio ſuo dimittere, vel miſſum militem facere*: Hoc vero [6] quod de Duce ſcribis, quo teſtimonio confirmabis? Imo Dux vel 277
Imperator, quod idem eſt, cum vnius tantum in caſtris eſſet imperium, non *exauctorari* dicebatur, ſed *reuocari, abrogari ei imperium,* vel ipſe *abdicare ſe, abire magiſtratu, deponere imperium*

 diceba-

6 *Quod de Duce ſcribis*] Valla hoc vult, *exauctorare* eſſe, cum Dux militem ab imperio ſuo dimittit, vel miſſum militem facit. Quamquam ſi aliter ſenſiſſet, defendi tamen poſſet: nam ſi etiam is, qui exercitui praeeſt, licet Conſularibus inſignibus vtatur, ignominiae cauſa ab Imperatore mitti poteſt, et ita miſſus infamiae nota laborat, vt e Pomponio ſcribit Vlpianus *in l. 2. princ. D. de His qui not. infam.* cur non licebit dicere, eumdem quoque ab Imperatore *exauctorari* poſſe?

dicebatur. Quod autem de milite miſſo vel miſſione donato ſubiicis: primum dico, *exauctorandi* verbum maiorem aliquam emphaſim habere, quam dimittendi, vel miſſione donandi. Quam emphaſim quo facilius omnes intelligant, placet verbi illius originem [7] ex Gul. Budaeo, et Fr. Hotomano, doctiſſimis viris, Iurisque et Antiquitatum Romanarum peritiſſimis, ciuibus meis, altius repetere. *Auctionis* nomen nemo non nouit ad iudiciarias venditiones et addictiones pertinuiſſe, ab *augendo* deductum, quod pretium augenti et vltimo licitatori res ſub haſtâ
278 addiceretur. Hinc *auctor* et *auctoritas* fluxere: vt *auctor* is proprie diceretur, cui propter ſummam auctionem et licitationem res addicta eſſet, [8] *auctoritas* autem ius ex ea auctione quaeſitum. Quod poſtea translatum eſt ad eos, qui rem quoquo modo abalienarent: vt cum quaereretur ab eo, qui rem acceperat, vnde ſibi ius in eam comparaſſet, ſuum illum quaſi aucto-

7 *Ex Gul. Budaeo*] *Ad h. l. 2. D. de His qui not. infam.* ex Hotomano *in Comment. Verborum Iuris*, et *ad Ciceron. pro Caecina Cap. X.* Ceterum non intelligo quid hoc ſit quod Decenior ex Hotomano *ad d. l. Ciceronis* ſcribit, *auctorem* proprie dici, cui res in auctione addicta eſſet. Nam hic non alius eſſe poteſt, quam emtor: *auctor* autem potius dicitur, a quo res profecta eſt, vt v. g. venditor, quemadmodum alii tradiderunt, et ipſi mox ſignificant, *auctorem* definientes eum, *qui ſuam alii auctoritatem tradidiſſet.*

8 *Auctoritas*] Hotomani, et aliorum definitiones huius vocis non placent Salmaſio, qui *Cap. VIII. de Vſur. pag. 209.* *auctoritatem* ait eſſe ἀξιοπιστίαν, qua ſe dominum rei ſpondet, qui eam vendit.

auctorem nominaret, qui suam sibi auctoritatem tradidisset. Quamquam aliis placet *auctores* ideo dictos, quod nos re auxissent, eos videlicet a quibus quid comparassemus *l. 4. §. vlt. l. creditor. 52. §. vlt. D. de Action. empt.* quod non reprobo. Caeterum verbum hoc sensim tractum est ad eos quoque, quorum consilium et sententiam sequimur, quasi ius quoddam ita sentiendi certum et constitutum haberent, consuetudine sermonis translatum est. Vnde *Iuris auctores* dicimus praecipuos illos legum Romanarum coryphaeos, quibus permissum erat, vt ait Imperator, [9] *Iura condere.* Quo etiam pertinet, quod olim institutum legimus, [10] *Vt legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium Patres auctores fierent.* Et quia maxime firmae erant huiusmodi venditiones, quae in publicis *auctionibus* fiebant, factum est, vt *auctoritas* pro fundamento, robore, firmitate poneretur *l. vlt. D. de Aqua et aq. pluu. arcend.* atque etiam pro titulo et iure quo quid possideretur *l. vlt. princ. D. de Pigner. act.* 279

Vnde

9 *Iura condere*] Hoc forte eo pertinet, quod in §. 8. *Institut. de Iure Nat. Gent. et Ciu.* nonnulli codices habent *Iura condere*, pro vulgaro *de Iure respondere*. Alibi Iustinianus Iurisconsultos etiam *Legislatores*, et *Iuris conditores* vocat, *Const. II. §. 20. et III. §. 20 de Veter. Iur. enucl.* Verba illa *tractum est*, quae paullo superius leguntur, superuacua sunt, sed ita editum erat.

10 *Vt legum*] Est apud Liuium VIII. 12. cuius loci sententiam exponit Gronouius I. *Obseru.* 25.

Vnde et [11] verſum illum XII. TAB. *Vt vſus auctoritas fundi biennis, caeterarum rerum annuus eſſet*, ita interpretor: vt qui fundum biennio, vel caeteras res anno poſſediſſet, perinde res eius fieret, atque ſi auctoritatem haberet, id eſt, eſſet auctione res ipſi addicta. Eſt enim in his rebus vſus ipſe auctoritas. At *aduerſus hoſtem aeterna auctoritas eſto.* Ab hac origine res *auctoratae* dictae ſunt, quaſi auctori addictae et obligatae: [12] *auctorare*, pro obligare, et *auctoramentum*, pro pretio, mercede, obligatione. Cicero *lib. I. Officior. cap. 42. Illiberales autem et ſordidi quaeſtus mercenariorum
280 omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis.* Liuius *Lib. VII. Dec. IV. cap. 10. Nec ante fides Piſiſtrato facta eſt, quam coram nuncio eius Polyxenidas ſua manu ſcripſit, ſe ea, quae pollicitus erat, facturum, ſignoque ſuo impreſſas tabulas miſit. Eo vero pignore velut auctoratum ſibi proditorem ratus eſt. Neque enim eum, qui ſub Rege viueret, commiſſurum fuiſſe, vt aduerſus ſe ipſum indicia ſua manu teſtata daret. Auctoratum* dixit, quaſi addictum,

11 *Verſum illum XII. TAB*] Apud Ciceron. *Topic. Cap. IV.* et *pro Caecina Cap. XIX.* vbi vid. quae notantur ab Interpretibus, et Salmaſ. *de Vſur. pag. 210* et *ſeqq.* quo loco explicat etiam illud e XII. TAB. relatum a Cicer. I. *Offic. 12. Aduerſus hoſtem aeterna auctoritas.*

12 *Auctorare*] De hoc, et aliis, quae hic tractantur, agit Salmaſ. *de Mod Vſur. p. 864.* De *auctoratione gladiatorum*, praeter Acronem, etiam alii Interpretes Horatii, et Petroniani *ad Satyr. Cap. CXVII.* item Lipſ. II. *Saturnal. 5.*

dictum, mancipatum, et plane obligatum. Hinc *auctorati* teste Acrone *in Horat. Lib. II. Serm. 7. 59.* antiquis appellati sunt, qui se ludo vendiderant, *auctoratio gladiatorum*, venditio. Et in *Declam. CCCII.* quae [13] falso Quintiliano tribuuntur. *Quidam*, ait, *vt patrem sepeliret, auctorauit se*, id est, vendidit, ludo mancipauit. Inde factum est, vt in re militari *auctorare milites* esset obligare eos, et stipendio obstringere, cui cum sacramentum adiungeretur, quod firmissimum obligationis vinculum apud Romanos habebatur, factum est, vt *auctorati milites* dicerentur, non solum stipendio, sed et sacramento obstricti, vt iam non sui arbitrii, sed Reipubl. quodammodo mancipes essent, et *exauctorare*, sacramento illo soluere, et a stipendii lege li- 281
berare. Has verborum origines perscrutari tibi fuisset honestius, o Valla, quam in reprehendendis Consultis rei militaris peritissimis immorari. Et ne tibi in orthographia huius verbi nimium placeas, ex Valerio Probo discere poteris scribendum esse [14] *auctorare* et *exauctorare*, apud quem nota AVC. *auctorem* significat. Idque etiam ex veterum monumentorum Inscriptionibus

13 *Falso*] Iudicia doctorum de auctore harum Declamationum congessit Vir. Cl. Ioh. Alb. Fabricius Biblioth. Latinae *Lib. II. cap. 15. sect. 5.* et *6.*

14 *Auctorare*] Hanc orthographiam nunc docti plerique probant. adeundi sunt, qui *de Orthographia*, et *Etymologiis* scripserunt, et Pierius *ad Virgil. XII. Aen. 159.*

bus confirmari pot-st. Verum [15] concedamus
tibi *exauctorare* nihil aliud esse, quam *missum*
militem facere, vel missione donare: an ideo ta-
men culpandus Vlpianus, qui *exauctorauerit*
interpretatus est, *id est, insignia militaria de-*
traxerit? Quid porro [16] Macro faceres, qui
282 *libro de Re militari secundo* scripsit, *milites etsi*
sine ignominiae mentione missi sint, nihilominus
ignominia missos intelligi l. milites 13. §. missi-
onum. 3. D. de Re milit. Quem sane locum huic
contrarium dicere posses, nisi alter ab altero
interpretationem acciperet, vt quod hic dicit
Vlpia-

15 *Concedamus tibi*] Cur non concedatur, quod verum est? Salmas. *Obseruat. ad Ius Attic. et Rom. Cap XXI p. 426.* *Milites auctorati ad militiam erant sacramento, quod dicebant. Quocumque modo liberarentur illo sacramento, siue honesta missione siue ignominiosa, siue etiam causaria vel gratiosa, exauctorari dicebantur. Quod contrarium est auctorari.* Nec aliter P. Faber I. *Semestr. 17.*

16 *Macro*] Haloander ibi legit *nihilo magis*, de quo Anton. Augustin. *Lib. I. Emendat. cap. 3.* P. Faber *l. d.* Macri verba ita exponit, vt illius sententia sit, etiamsi verba illa, *ignominiae causa*, in missione pronunciata non fuerint, per errorem forsitan, obliuionemue, aut breuitatis gratia, vel alia qualibet ex causa, nihilominus ignominia missum intelligi eum, cuius delictum, siue commune, siue militare, quod missioni causam dedit, palam a Duce exercitus, alioue prolatum fuerit: vt in exemplis illis ignominiosae missionis quae exstant apud scriptorem *de Bello Afric. Cap. LIV.* vbi nulla ignominiae mentione facta delicta tantum memorantur, ob quae cum ignominia mittebantur. Atque hac ratione ille Vlpianum cum Macro conciliari posse existimat. Tamen videndum puto an exempla, quae adfert, ad id, quod vult, probandum valeant. Nam cum ibi plures ignominiae causa mittantur, eaque verba in primo mittendo addantur, nihil attinebat eadem deinde in missione aliorum repeti, cum commemoratis eorum flagitiis facile posset intelligi, omnes in pari causa esse, et cum ignominia mitti.

Vlpianus, ignominioſam eſſe miſſionem, quoties addit Imperator ignominiae cauſſa ſe mittere, verum quidem ſit, ſi, quod facere debuit Imperator, ſpectemus. Semper enim addere debet, cur militem dimittat. Quod ſi facere praetermiſerit pudori forte vel ſuo, vel militis parcens: tamen omnes eum ignominia miſſum facile intelligent, qui nullam idoneam cauſſam oſtendere poteſt, cur miſſus ſit. Ratio eſt, quia ſeueritas Romanae diſciplinae exigebat, vt qui ſemel nomen in militiam dederat, quaſi ſe perpetuo Reipubl. mancipaſſet, a caſtris recedere nunquam deberet, niſi vel expleto militiae tempore, id eſt, [17] poſt viginti annorum ſtipendia, vel poſtquam ad quinquageſimum annum miles 283
perueniſſet, quae emerita ſtipendia dicuntur, vt miles ille Marianus, quem ex Fabio profers: et ea honeſta miſſio dicitur. Vel ſi ob valetudinem, morbumue animi vel corporis minus idoneus militiae renuncietur, quae cauſſaria miſſio dicitur: ſicut ad illum locum plenius notaui. Quod ſi diſciplinam Romanorum militarem percalluiſſes, non tibi tam nouum aut durum videretur, *exauctoratum* militem inter infames haberi: cum apud eos omnia fere delicta militaria capitalia fuerint: militi a ſignis ſine periculo diſcedere non licuerit, niſi commeatu petito, alioqui vel deſertor militiae, vel ſaltem emanſor habebatur *l. pen. D. Ex quib. cauſ. maior. tot. tit. D. de Re milit.*

VAL-

17 *Poſt viginti annorum ſtipendia*] Vid. Lipſ. *Lib. I. de Milit. Rom. dial.* 2. et *Lib. V. dial.* 19.

VALLA CAP. LXIII.

In eoſdem de Depectus.

Depectus, ſi [1] Vlpiano credimus, *dicitur turpiter pactus*. Mihi autem pro ſimplici potius accipi videtur, id quod in multis fit, vt *demiror*, *deambulo*, *deſumo*, *demonſtro*, *deoſcu-*
284 *lor*, *depingo*, *depoſco*, *deuito*, *deguſto*, *demoror*, *deprecor*, *demulceo*. Quod ſi quando reperiatur pro *turpiter pactus*, quod non memini legiſſe me, id ſit non magis vi praepoſitionis, qua hoc verbum componitur, quam vi ipſius verbi, quod citra compoſitionem nonnunquam *turpem pactionem* ſignificat. Cicero [2] *in Paradoxis: Si quotidie fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, aufers, ſi teſtamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, at ipſe ſupponis: haec vtrum abundantis, an egentis ſigna ſunt?* Exemplum vero, quod *depectus* non ſignificat *turpiter pactus*, ſed tantum *pactus* apud Terentium [3] *in Phormione: Ita me Dii bene ament, vt mihi liceat tamdiu, quod amo frui, Iam depeciſci morte cupio.* Tale eſt hoc Terentianum, quale eſt illud [4] Virgilii: *Vitamque volunt pro laude paciſci.* Illud quoque apud M. Tullium II. [5] *Rhetoric. Quidam cum circunſideretur, neque effugere vllo modo poſſet, depectus eſt cum hoſtibus, vt arma*

1 *Vlpiano*] *l. 3. §. 2. D. de Calumniatorib.*
2 *In Paradoxis*] *VI. Parad. 1.*
3 *In Phormione*] *Act. I. Sc. 3. C. vers. 13.*
4 *Virgilii*] *Aen. V. C. vers. 230.*
5 *Rhetoricor.*] *De Inuent. Rhetor. II. 24.*

arma et impedimenta relinqueret, milites educeret. Itaque fecit: armis et impedimentis amissis, praeter spem milites conseruauit Non est accipiendum pro *turpiter pactus* ab authore esse positum: quippe qui causam narrat, de qua 285
controuersia est, an ille *turpiter pactus* sit: non autem factum hominis damnat: et aliquoties factum hoc paulo post *pactionem* vocat. Et *in libris* [6] *ad Herenn.* hanc eandem rem gestam ita exponit, vt quod erat sui officii, neque accuset, neque excuset, sed tantummodo pactum inter Pompilium et Gallos ita fuisse significet: hancque controuersiam ab accusatore atque ab reo declamandam proponat.

6 *Ad Herenn.*] *Lib. I. cap. 15.*

ALCIATVS AD CAP. LXIII.

Depectum simpliciter *pactum* significare ait, ex autoritate Terentii *Phorm. Depacisci mortem cupio:* cum tamen Vlpianus in Edicto *de Calumniatoribus*, *depectus*, dicat, *est turpiter pactus.* Sed mihi videtur et verba Terentii ex Vlpiani declaratione posse intelligi, et etiam Ciceronis (1) *ad Herennium lib. II. Depectus cum hostibus, vt arma relinqueret.* Sed et Idem autor *in Verrem Actione V. cap. 24. Scitote biduum cibo tectoque prohibitum, biduum in foro custodiis detentum, neque ante dimissum, quam ad conditiones eius depactus est.* His accedit, quod huiusmodi praepositio, *de*, quandoque in malam partem accipitur, vt *desperatus*, *demens*, *dedecet*, *deformis*, *degener.*

1 *Ad Herennium*] Voluit scribere *de Inuent. Rhetor.*

FLORIDVS AD CAP. LXIII.

Alciato nimirum videtur et Terentii verba ex Vlpiani 286
declaratione posse intelligi, et etiam Ciceronis *ad Herennium libro II. Depectus cum hostibus, vt arma relinqueret. Sed et Idem autor*, inquit, *in Verrem*, etc. Vtinam sane Oedipus

essem,

eſſem, vt quo pacto ex Vlpiani interpretatione Terentii lo-
cum declarari debere colligat Alciatus, coniicere poſſem:
cum nihil in eo aliud *depaciſci*, quam ſimpliciter *paciſci* ſigni-
ficet, praeſertim quod nulla ſubeſt turpitudinis cauſa. Com-
modius ego ſane ex Terentii auctoritate non recte illum eius
vocis declarationem oſtendiſſe affirmare valerem, cum aliter
in Latinis ſcriptoribus obſeruetur. Cumque Valla, ſi quan-
do illud verbum compoſitum *turpem pactionem* denotat, non
tam ex praepoſitione, qua id verbum componitur, quam ex
ipſius verbi vi, quod ſine praepoſitione aliquando *turpiter
paciſci* ſignificat, fieri exiſtimet; vnicum ex Cicerone teſti-
monium citat Alciatus, quo ſibi Vallam procul dubio con-
feciſſe videtur. Idque vt certum eſſe omnes credant, addit
eiusmodi praepoſitionem in malam quandoque partem acci-
pi: oblitus, credo, infinitorum verborum, quae Valla non
magis compoſita, quam ſimplicia ſignificantia adduxit: quod
tamen quis nouum ducat, cum in eodem verbo duos ſen-
ſus maxime contrarios efficiat? Quid magis diuerſum, quam
Ciceronianum illud *pro C. Rabirio Cap. XI. Non ſupplicium
deprecarer, ſed praemium poſtularem*, et hoc eiusdem *in V.
Philipp. cap. I. Pacem vult Antonius, arma ponat, roget, de-
precetur*. de quo latius agit Gellius *lib. VI. Noct. Attic. cap.
16.* Quod autem *paciſci* ſimpliciter poſitum *turpem* denotet
pactionem, tum a Valla oſtenſum eſt, tum alia palam faciunt.
Cicero in V. *Verrina cap. 14. At iſta vis Septicium, et non-
nullos Septicii ſimiles non coërcet, qui ita dicunt: non tollam
priusquam paciſcor. his hoc apponitur: deportatam habeas ante
Calendas Sextiles: deportabo igitur. niſi pactus fueris, non
commouebis. Sic deportandi dies conſtituta tollere cogebat
ex area. cohibitio tollendi niſi pactus eſſet, vim adhibebat
pactioni non voluntatem.* Quo in loco *paciſci* nihil
aliud ſignificat, quam *turpiter paciſci*. Inſectatur enim
Verris auaritiam Cicero, quod edixiſſet, ne quis antea fru-
287 mentum ex area deportaret, quam cum decumanis ad Prae-
toris arbitrium non ſolum turpiter, ſed turpiſſime pactus
eſſet. Idem *in Criſpum Saluſtium Cap. VII. Ne cauſam di-
ceret, ſextertio duodecies cum Caeſare paciſcitur.* Liuius *lib. V.*
ab V. C. *cap. 48. Tum ſenatus habitus, tribunisque militum
negocium datum, vt paciſcerentur.* Et ſubdit: *Inde inter P.
Sulpitium tribunum militum, et Brennum regulum Gallorum
colloquio tranſacta res eſt et mille pondo auri pretium populi
gentibus mox imperaturi factum. Rei foediſſimae per ſe adducta
indignitas eſt. Pondera ab Gallis allata iniqua.* Idem *lib. IX.
cap. 42. Poſtero die vixdum luce certa deditio fieri coepta, et
pacti qui Samnitium forent vt cum ſingulis veſtimentis emitte-
rentur. Hi omnes ſub iugum miſſi: ſociis Samnitium nihil
cautum.*

cautum, ad septem milia sub corona venire. Hinc *pactio* in malam partem frequenter accipitur. Cicero *in V. Verrina cap. 28. Videbant Agyrinenses quicquid ad eos recuperatores Apronius attulisset, illum perfacile probaturum: condemnari cum istius inuidia infamiaque malebant, quam ad eius conditiones pactionesque accedere.* Et *in VII. cap. 45. Iam hoc quis tum fuit Syracusis, qui non audierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturae cum viuis etiam illis esse factas?* Et *in prima Oratione contra Seruilium Rullum Cap. III. Hinc vos quas spoliationes, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem iuris ac fortunarum fore putatis?* Et *pro P. Sextio Cap. XXXII. Quum Consules prouinciarum pactione libertatem omnem perdidissent.* Liuius *lib. VI. cap. 3. Cuius spei moram cum pati fortuna obsessorum non potuisset, confectaque paucitas oppidanorum opere, vigiliis, vulneribus, quae semper eosdem vrgebant, per pactionem vrbe hostibus tradita, inermes cum singulis emissi vestimentis, miserabili agmine penates relinquerent, eo forte tempore Camillus cum exercitu Romano interuenit.* Honestam pactionem eadem vox significat. Cicero *pro Cornelio Balbo Cap. XII. Nam quum ex omnibus ciuitatibus via sit in nostram Rempublicam, quumque nostris ciuibus pateat iter ad caeteras ciuitates, tum vero vt quaeque nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, foedere coniuncta est, ita mihi maxime communionem beneficiorum, praemiorum ciuitatis continere videtur. Pactum* quoque turpem significat pactionem. Liuius *lib. IX. cap. 5.* de turpi ac ignominioso foedere inter Romanos ac Samnites facto loquens, sic ait: *Et propter necessariam foederis dilationem, obsides etiam sexcenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur.* Et inferius *cap. 11. Quin tu, Spuri Posthumi, si Deos esse censes, aut omnia irrita facis, aut pacto stas?* Propertius de Tarpeia virgine, quae arcem Romanam Sabinis prodidit, IV. *El. 4. 79.*

Hoc Tarpeia suum tempus rata, conuenit hostem,
Pacta ligat pactis, ipsa futura comes. 288

Igitur nil mirum, si etiam *depactus* aliquando *turpiter pactum* significat. Addo etiam ex Cicerone locum vbi eundem illa vox habet significatum. Enimuero *pro Sexto Roscio Amerino Cap XXXVIII.* ita scribit: *Ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum: illum acuere, hos, qui simul erant missi, fallere: illum itidem monere vt caueret, hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia, horum consilia illi enunciare: cum illo partem suam depacisci, hisce aliqua fretum hora semper omnes aditus ad Syllam intercludere.* Et inferius

Cap. XXXIX. Ex eo Titus Roscius non paulum nescio quid in rem suam conuertit, sed hunc quoque funditus euertit bonis. Ipse tria praedia sibi depactus est, et voluntatem omnium decurionum, ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam fecit. Sed non hoc fuit Iureconsulti consilium, qui simpliciter *depactum, turpiter pactum*, non semel, sed semper significare docuit, quod tamen est absurdissimum. Verba Vlpiani haec sunt: *Hoc Edicto tenetur etiam is qui depactus est. Depactus autem dicitur, turpiter pactus.*

DEFENSOR AD CAP. LXIII.

Hoc loco Valla Vlpianum plane captum atque conuictum arbitratur, quod *depectum*, interpretatus sit *turpiter pactum*, quia Donatus contra ad illum locum Terentii *in Phormione, Iam depacisci morte cupio,* scripserit, *depacisci est pactione transfigere.* Et locum Ciceronis profert, in quo *depectus* pro simplici *pactus* positum est. Qui locus etsi ad turpem quoque pactionem trahi possit, concedamus tamen Laurentio
289 (quod verum est) vim huius compositi *depacisci* eandem pene esse cum simplici *pacisci*: et ad ea, quae profert testimonia [1] addamus Rescriptum Constantini *in l. 1. Cod. Theod. de Raptor. virgi-*

1 *Addamus Rescriptum*] Add. etiam locum Ciceronis e *Lib. IX ad Attic. ep. 7. In quo non extimesco periculum: cum enim tot impendeant, cur non honestissimo depacisci velim?* et Apuleii *Lib. X Metam. pag. 241* Ed. Elm. *Grandi denique praemio cum altero meo depacta est noctis vnius concubitum.* Quod autem Valla putat pactum de tradendis armis non esse turpe, in eo ipsi non omnino assentior. Natura quidem hoc turpe non videtur, vt qui vim hostium sustinere non possunt, [illegible] cum his pactum ineant. et, vt in alio argumento ait Iurisconsultus *in l. 1. D. de Bonis eor. qui ante sent. ignoscendum est iis, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluerunt.* Sed moribus plerarumque ciuitatum hoc probrosum fuisse non dubium est.

virginum: Si quis nihil cum parentibus puellae ante depectus inuitam eam rapuerit, etc. Et ex Cicerone *Verrina V. cap. 21. Equitem Romanum scitote biduum cibo tectoque prohibitum, biduum Leontinis in foro custodiis Apronii retentum atque seruatum, neque ante dimissum, quam ad conditiones eius depactus est.* Itemque ex *Oratione pro Roscio Amerino Cap. XXXVIII. Cum illo contra hos inire consilia, horum consilia illi enunciare, cum illo partem suam depacisci.* Et paulo post, *Cap. XXXIX. Sed hunc funditus euerit bonis, ipse tria praedia sibi depactus est.* Verum consideret Laurentius Vlpianum hoc loco Edictum *de Calumniatoribus* interpretari, in quo cum scriptum esset: *In eum, qui vt negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse,* [2] *depectusue esse dicetur, iudicium dabo:* 290
Quid aliud potuit, quam verbum illud [3] pro subiecta materia interpretari, *depectus*, id est, *turpiter*

2 *Depectusue esse*] Verba Edicti *l. 1. princ. ff. de Calumniatorib.* tantum de eo sunt, *qui pecuniam accepisse dicetur*, nec Praetor quidquam loquitur de eo, *qui depectus est*, ad quem poena Edicti interpretatione Iurisconsultorum producta videtur *l. 3. §. 2. eod.*

3 *Pro subiecta materia*] Cum dubitari non posit *depecisci*, siue *depacisci*, a Latinis tam eum dici, cuius aliqua *turpitudo* in eo pacto versatur, quam qui *honeste* paciscitur, omnis denique controuersia huc redit, vtrum Vlpianus existimauerit *depecisci* semper significare *turpiter pacisci*, quod Censores Iurisconsultorum dicunt, an interpretationem suam ad Edictum *de Calumniatoribus* accommodare voluerit, et hoc verbum pro argumento, in quo versabatur, ita exposuerit, quae Defensoris nostri, Scip. Gentilis I. *Parerg. 32.* Hotomani *in notis einsdem Scipionis ad Apul. Apolog. n. 723.* et aliorum sententia est. Ego hoc in medio relinquo. Nec tamen

piter pactus. Nam quin turpiter faciat, qui negotii faciendi, vel non faciendi caussa pecuniam accipit, aut aliquid sibi dari paciscitur, quis negare audebit? Neque sane nouum est praepositionem illam, *de,* licet interdum augeat in compositione, quandoque etiam nihil mutet, saepius tamen in deteriorem partem accipi, vt in his compositis, *demens*, *desperatus*, *degener*, *deformis*, *dedecet*, et eiusmodi.
291 Atque etiam locos illos Terentii *in Phormione*, et Ciceronis *lib. I. Rhetoricor.* et in *Oratione pro Sexto Roscio* turpem pactionem in se continere negari non potest. Praeterea Idem Cicero *lib. II. de Inuent. Quidam Imperator*, inquit, *cum ob hostibus circum obsideretur, neque effugere vllo modo posset, depactus est cum hostibus, vt arma et impedimenta relinqueret.* Vnde et *litium depactorem* vocat Apuleius *Apolog. II.* redemptorem litium, vel qui de quota litis paciscitur.

VAL-

tamen dissimulare volo, me non intelligere, cur Vlpianus addiderit haec verba, *depectus autem dicitur turpiter pactus*, si tantum eo loco hanc esse significationem huius vocis putabat. Nam cum ex his, quae proxime praecedunt, *hoc Edicto tenetur etiam is, qui depectus est*, nimirum, qui depectus est, vt pecuniam acciperet, quo calumniae causa negotium faceret, vel non faceret, satis intelligi possit, *depectum* ibi dici eum, qui *turpiter pactus* est, superuacaneum videbatur id inculcare: perinde ac si metui potuisset, ne quis, si hoc adiectum non fuisset, ibi de honesto pacto agi existimaturus esset.

VALLA CAP. LXIV.

In eosdem de Gemma, *et* Lapillus.

Gemmas lapilloſque [1] Vlpianus ſic diſtinguit,
dicens: *Gemmae ſunt perlucidae materiae, quas
(vt refert Sabinus ad Vitellium) Seruius a la-
pillis eo diſtinguebat, quod gemmae eſſent pellu-
cidae materiae, veluti ſmaragdi, chryſolithi,
amethyſti: lapilli autem contrariae ſuperioribus
naturae, vt Obſidiani, Veientani. Margaritas
autem nec gemmis, nec lapillis contineri, ſatis con-
ſtitiſſe, ibidem Sabinus ait: quia concha apud
rubrum mare et creſcit, et coaleſcit. Myr-
rhina autem vaſa in gemmis non eſſe Caſſius ſcri-* 292
bit. Hoc falſum eſſe, pace horum quatuor
Iuriſconſultorum, cum omnes authores pro-
bant, quorum [2] Plinius Titulum *de gemmis non
translucentibus* fecit, et [3] *myrrhina* in *gemmis*
numerat, et *omnes lapides pretioſos*, praeter
margaritam, vno nomine (quod tantum lingua
Latina habet) *gemmas* appellat: tum ipſa ratio.
Nam quis non videt, *lapillus*, quod generale
nomen eſt omnium paruorum lapidum, ſed
ſub intellectione *pretioſus*, idem eſſe, quod
gemmula? Nam *gemmas* etiam accipimus mul-
torum cubitorum inueniri: quas vt vere *lapi-
des*, non *lapillos*, appellare poſſumus, ita cum
minutae fuerint, *lapillos* appellare debemus.

1 *Vlpianus*] *l. 19. §. 17 et ſeqq. D. de Auro, argent. leg.*
2 *Plinius*] *Lib. XXXVII. cap. 8. C.*
3 *Myrrhina*] *Lib. XXXVII. cap. 2. C.*

Quod ſi lapides tam grandes translucidi non fuerint, ſiue perlucidi, quales ſunt imperfecti, nunquid vocabimus eos *lapillos?* Quid hoc magis ridiculum? Quod ſi etiam *omnis lapis perlucidus gemma* eſt, etiam *Parium marmor*, quod in modum vitri translucidum eſt, *gemma* erit. Poſtremo reperimus eiusdem coloris lapides quosdam permixtim conſtare ex perlucidis et non perlucidis, et ita permixtos natura, vt non poſſis partem appellare *gemmam*, partem *lapillum*. Curtius [4] *Lib. VIII.* cum dixiſſet, *Gemmas*
293 *margaritasque mare littoribus infundit*, paulo poſt de eisdem Indis ait, *Lapilli ex auribus pendent*, profecto perlucidi intelligendi ſunt. Et iterum [5] *Lib. IX.* de rege Indo: *Pendebant ex auribus inſignes candore ac magnitudine lapilli. Margaritam* vero, ſiue *margaritum*, quis negare *lapillum* poſſit, qui ſemper eſt puſillus lapis? Ego quidem candidos illos *lapillos* ex Indiae regis auribus pendentes *margaritas* interpretor. [6] Horatius cum inquit:

Nec magis huic inter niueos, viridesque lapillos:

De *margaritis* et *ſmaragdis* intellexit. *Margaritam* autem ſicut *lapillis* forſitan nego; ita *gemmis* fateor contineri: quod fere omnes concedunt. [7] Seruius tamen Grammaticus, quaſi multi

4 *Lib. VIII.*] *Cap. 9.*
5 *Lib. IX.*] *Cap. 1.*
6 *Horatius*] *Lib. I Sat. 2. C. vers. 80.*
7 *Seruius*] In illud I. *Aen. Colloque monile Baccatum, etc. C. vers. 654.*

multi aliter ſentiant, inquit: *Sane multi ſeparant gemmam a margarita: vt Cicero: Nullam gemmam aut margaritam. Et gemmas volunt dici diuerſi coloris, margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertuſas.* Haec Seruii opinio ab omnibus, et ab ipſa veritate diſſentit. Eſt enim *margarita,* quae in concha naſcitur, vnde *conchylium* dicitur, quam vulgo *perlam* appellant. Haec etiam vocatur *vnio* vt 294
Idem [8] Plinius ait, quia nunquam niſi diſtincta reperiatur, eſtque generis maſculini. Nam foeminini illud, quo nunc quidam pro *vnanimitate* vtuntur, nec autoritate nititur (neſcio enim [9] apud quem reperiatur) nec arte, quum deberet eſſe maſculini potius generis, vt *talio, ſtellio, curgulio.*

8 *Plinius*] *Lib. IX. cap. 35. C.*

9 *Apud quem*] Vetuſtiorem Hieronymo auctorem, qui ea ſignificatione vſus fuerit, laudari non inuenio. Itaque vno conſenſu tamquam parum Latinum notant Voſſius, Scioppius, Borrichius, et Cellarius. *Talio* maſcul. gen. eſt apud Tertullian. *lib IV. adu. Marcion. cap. 16.* Sed potiorem habendam auctoritatem Gellii, qui *lib. XX. Noct. Att. cap. 1.* foemin. gen. dixit, adſentior Voſſio I. *de Analog.* 22.

ALCIATVS AD CAP. LXIV.

Lapillum, ſi magnus eſt, *gemmam* eſſe aſſerit, quo nomine et *margaritam* dici poſſe arbitratur, aduerſus Sabini, Vlpianique ſententiam, *gemmas pellucidae materiae* eſſe exiſtimantium, vt ſmaragdos, chryſolithos, amethyſtos: *non translucentes* vero *lapillos*, vt Obſidianos, et Veientanos: at *margaritas* nec *lapillos*, nec *gemmas* eſſe, ſed conchas, ſeu vniones. Verum vt in ſententiam Iureconſultorum ego tranſeam, illud me in primis mouet, quod etymologia pro illis eſt: videtur enim *gemma* dicta, quaſi *gemina*, propter translucentem naturam: deinde videmus a ſimilitudine in

vitibus *gemmas* dici, vt Fabius autor est', et *in Catone Maiore* M. Cicero. Vnde ostenditur, non ideo dici *gemmas*, quia magnae sint. Idem et Plinii autoritate constat, *in annulis gemmas deferri* affirmantis: vnde et dactyliothecae dictae, quod profecto maioribus non conuenit. Ad haec, quae rationes a Valla adducuntur, sane quam frigidae sunt:
295 *Lapillus*, inquit, *generale nomen est:* bene sane. Sed cùm translucet, peculiari nomine *gemma* dicitur. Rursus, *gemmas*, inquit, *accipimus multorum cubitorum inueniri.* Accepit forte a Luciano *de Veris narrationibus:* miraculi certe loco refertur alueolus trium pedum in triumpho Pompeii ex duabus *gemmis.* Subiicit: *Quid si non perluceant, quia adhuc incomptae et imperfectae?* Atqui satis est, si natura sua pelluceant, possintque manu artificis in hunc vsum poliri. Addit: Hac ratione *etiam marmor Parium gemma esset*, quia transiucidae est naturae: quasi Iureconsultus omnia translucentia definiat *gemmam* esse, et hunc honorem etiam speculis tribuat, qui de *lapillis*, non de marmoribus loquitur. Postremo, inquit, *reperiuntur*, *qui partim perluceant*, *partim non perluceant.* Respondeo, de his nihil a Iureconsulto dictum, et forte ex regula Iuris qualitas potentior in his obseruaretur. Addit secum sentire et Curtium, itemque Horatium, quorum alter: *Lapilli*, inquit, *ex auribus pendebant candore et magnitudine insignes:* alter, *Niueos*, inquit, *viridesque lapillos.* Ipse quid horum verba sententiae nostrae obstent, non video, puta nec ipse Valla satis norat, cum absque scrupulo ex Iureconsultorum distinctione possint intelligi. Illud non diffiteor, differentiam hanc inter *gemmam* et *lapillum* non semper ab auctoribus obseruari, vt cum Catullus *Epigr. LXX.* dixit: *Aut pellucidul i deliciis lapidis:* aut Plinius cum generaliter sub capite *de gemmis* omnes *lapillos* descripsit. sed Iureconsultus de proprietate loquitur non de abusu et translatione.

Et haec quidem in Laurentium praeter animi mei sententiam, vt qui minime litigator, aut φιλαίτιος sim, scribenda duxi: quoniam eius exemplo adeo excreuerat quorundam Grammaticorum insolentia, vt in suis commentariis vbique errorem aliquem Iureconsultis nostris impingerent, nimirum quod ipsi non perceperant, errori statim adscribentes. Spero autem cum viderint, quibus hoc in argumento ipsorum primipilus Valla tenebris offusus est, modestiores eos, et alieno exemplo cautiores fore. Sed haec hactenus.

FLO-

FLORIDVS AD CAP. LXIV. 296

Ad ea quidem, quae ad Iureconſultos pertinent, ita reſpondet Alciatus, vt eo in primis, quare in illorum ſententiam tranſeat, moueri ſe dicat, quod etymus pro Iureconſultis ſit. *Videtur enim*, inquit, *gemma dicta, quaſi gemina, propter translucentem* (1) *naturam.* Iam Alciatus pro ſuo more ad etymum confugiens, non magis tutatur Iureconſultos, quam ipſe Valla. Iureconſultus ſane *gemmas* appellat, quae *perlucidae materiae* ſint: *lapillos* autem, quae *contrariae ſuperioribus naturae.* At hoc quomodo verum eſſe poſſit, non oſtendit Alciatus: niſi quod *gemma* quaſi *gemina* dicatur: quodque Vlpianus de proprietate, non de abuſu et translatione loquatur. Verum ſi non *gemmae*, ſed *lapilli* etymum animaduertiſſet, cum Valla diceret diminutiuum eſſe a *lapide*, ita vt omnes (ſi de pretioſis ſubaudimus) *gemmas*, etiam quae maxime ſint perlucidae, proprie comprehendat. Alioqui niſi de pretioſis intelligamus, ad alios etiam viliſſimos refertur. Virgil. de apibus *Georgic. IV. 194.*

— — Et ſaepe lapillos,
Vt cymbae inſtabiles fluctu iactante ſaburram,
Tollunt.

Ouidius XV. *Metam. 41.*

Mos erat antiquis, niueis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſoluere culpa.

Et mox:

Quae ſimul effudit numerandos verſa lapillos,
Omnibus ex albo color eſt mutatus in atrum.

Plinius *lib. IX. H. N. cap. 31.* de Echinometris loquens: *Tradunt ſaeuitiam maris praeſagire eos, correptiſque operiri lapillis, mobilitatem pondere ſtabilientes.* (2) Nam et lapide *gemmam* denotamus, ſi pretioſum ſubaudimus. Tibullus *Lib. I. El. 9.* (al. 8.) 39.

Non lapis hanc gemmaeque iuuant, quae frigore ſola
Dormiat, et nulli ſit cupienda viro.

Martialis *Lib. XI. Epigr. 50.*

Gemma vel a digito, vel cadat aure lapis. 297

Itaque de pretioſis intelligebat Horatius, quum dixit, *Niueos virideſque lapillos*, et Q. Curtius, cum *lapillos ex Indorum*

1 *Naturam*] Huc quoque Floridus contulerat integrum caput Alciati iisdem verbis, quae ſupra ſcripta ſunt.

2 *Nam et lapide*] Vid. *ad Defenſor. n. 2.*

rum auribus pendere: et praeter eos Propertius de perlucidis agebat, cum ita scriberet *Lib. I. El. 15. 7.*

Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Vt formosa nouo quae parat ire viro.

Et alibi. Idem Horatius *lib. I. Epist. 10. 19.*

Deterius Libycis olet, aut nitet herba lapillis.

Quos vt de translatione locutos credat Alciatus, nos certe maxime proprie *lapillos* in eo significatu nominasse videmus. Rursus quod *gemmae* dicantur *translucidae* tantum, somnium esse ostendit Plinius. Tum quod videt Alciatus, *gemmas a similitudine in vitibus,* Cicerone et Quintiliano testibus dici, est, vt aiunt, extra cantionem. Si enim ex his argumentis *gemmam* paruam esse, quia parua in vitibus sunt gemmina, comprobare nititur, de re laborat, de qua non quaeritur. quis enim *gemmas* neget esse tam paruas, quam etiam magnas? Non opus erat Plinii *gemmas in annulis deferri* affirmantis citare testimonium: quando nec Valla id, nec viuus quispiam, nisi imperitissimus, negare auderet. Sed illud est ridiculum, quod dactyliothecis nomen *gemmae* maioribus non conuenire persuadere conatur. Cumque Valla *multorum etiam cubitorum gemmas* inuentas esse affirmet, delirasse hac in re ei videtur. *Accepit*, inquit, *forte a Luciano de Veris narrationibus. Miraculi certe loco refertur alueolus trium pedum in triumpho Pompeii ex duabus gemmis.* Atqui si multa a Luciano accipere solet Alciatus, non tamen Vallam eiusdem criminis iure accusat, qui vt omnia ex optimis autoribus desumpsit, ita et hoc non in Luciani, sed in Plinii scriptis legerat. cuius e *trigesimo septimo Natur. Hist. libro. cap. 8.* haec sunt verba: *Egregia etiamnum topazio gloria est, suo virenti genere, et cum reperta est, praelatae omnibus. Id accidit in Arabiae insula, quae Chitis vocatur: in qua Troglodytae praedones cum diutius fame et tempestate pressi herbas radicesque effoderent, eruerunt topazion. Haec Archelai sententia est. Iuba Topazon insulam in rubro mari a continente stadiis trecentis abesse tradit, nebulosam, et ideo quaesitam saepe a nauigantibus, ex ea causa nomen accepisse. Topazin enim Troglodytarum lingua significationem habere quaerendi.*
298 *Ex hac primum importatam Berenicae reginae, quae fuit mater sequentis Ptolemaei, a Philaemone praefecto regis, ac mire placuisse, et inde factam statuam Arsinoae Ptolemaei Philadelphi vxori quatuor cubitorum, sacratam in delubro, quod aureum cognominabatur.* Atque vt eam *gemmam* esse Alciatum doceret, paulo post subiunxit: *Est autem amplissima gemmarum.*

(3) Theo-

(3) Theophraſtus quoque *in libro de Lapidibus*, Babyloniorum regi ſmaragdum quinque vlnarum longitudine, trium latitudine fuiſſe tradit. His addit, fuiſſe in Iouis templo obeliſcos quatuordecim vlnas longitudine excedentes. Sed haec ait aliorum fidem ſecutus: quanquam ipſe pſeudoſmaragdis tanta tribuit miracula. Contra Vlpiani igitur, Seruique, ac Sabini ſententiam non ita diſtinguuntur *gemmae* a *lapillis*. Et iidem parum recte *margaritas nec gemmis* vtique, *nec lapillis contineri* cenſuerunt. Vt enim *gemmis* forte non comprehendantur, *lapillis* certe eos contineri Horatius, Quintusque Curtius oſtenderunt. In illo itidem eſt erratum, quod Caſſius *myrrhina vaſa in gemmis non eſſe* ſcripſerit, quae Plinius in *gemmis* recenſeat. Hac enim ratione Iureconſultos excuſare, quod ab eis traditae definitiones, ſeu differentiae, non ſemper ab autoribus obſeruentur, non eſt aliud, quam Iureconſultos a bonis autoribus diſſenſiſſe. Caeterea per ſe ſatis clara non perſequar. Nam Vallae verba ſatis id oſtendunt, adeo ab Alciato non confutata, vt per accenſos carbones nusquam conſiſtens incedere videatur. quod tamen in eo negocio fieri neceſſe erat, quum manifeſtus Iureconſultorum error nullo colore, aut verborum ambitu defendi valeat.

3 *Theophraſtus*] Apud Plinium *lib. XXXVII. cap. 5.* vbi haec aliter referuntur.

DEFENSOR AD CAP. LXIV.

Tandem aliquando conquieſcit Laurentius, et reprehendendi finem in *gemmae, lapilli, margaritae* diſtinctione facit: verum ita, vt quatuor ſimul Conſultos falſi arguat. Vlpianum videlicet *in l. cum aurum. 19. §. gemmae. 17. D. de Auro et argent. leg.* qui Sabinum, Seruium, 299
et Caſſium auctores citat. Multisque argumentis, ſed praecipue authoritate Plinii, Curtii, et Horatii probare nititur, *gemmas* et *lapillos*

[1] eadem

[1] eadem prorſus eſſe. Ego vero cum non hoc ſolum in loco, ſed in multis Iuris partibus videam *gemmas, lapillos*, et *margaritas* [2] diſtingui, et tanquam ſeparata nominari: neque ſolum hic Vlpianum fretum authoritate trium nobiliſſimorum Conſultorum, ſed et eundem *in l. argumento. 25. §. 11. D. de Auro et arg. leg.* praetereaque Florentinum *in l. 3. D. de Rer. diuis.* Paulum *in. l. 1. §. 1. D. de Adquir. poſſ.* Tubo-

1 *Eadem prorſus eſſe*] Diſcrimen, quod Veteres Conſulti inter *gemmas*, et *lapillos* ſtatuerunt, *quod gemmae eſſent perlucidae materiae, lapilli autem contrariae his naturae*, ab aliis Latinis ſcriptoribus non ſeruari etiam Brodaeus *lib. X. Miſcell. cap. 17.* exiſtimat. Ad loca veterum a Valla, et Florido prolata addi etiam poſſunt teſtimonia Manilii *lib. IV. pag. 125.* Ed. Raphel.

Et perlucentes cuperet prenſare lapillos.

Et P. Syri *apud Petron. Cap. LV.*

Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Niſi vt ſcintillent? probitas eſt carbunculus.

Quibus omnibus in locis quemadmodum *lapides*, et *lapilli* dicuntur, qui perlucidae ſunt materiae, ita contra *lapides Veientani*, et *Obſidiani*, contrariae his naturae, vt aiunt Iureconſulti, a Plinio *Lib. XXXVII. H. N. cap. 10.* et Solino *Cap. II.* inter *gemmas* recenſentur.

2 *Diſtingui*] Etiam alii ſcriptores frequenter *gemmas* a *lapillis* diſtinguunt, verum alia ratione atque Iuriſconſulti *in d. l. 19 §. 17. D. de Aur. arg. leg.* Nam cum illi haec ſeparatim efferunt, *lapillorum* nomine vniones, ſeu margaritas, *gemmarum* vero, alios *lapides* pretioſos accipiunt, vt docet Vir Clar. Ianus Broekhuſius *ad hoc Tibulli I. El. 9. 39. Non lapis hanc, gemmaeque iuuent.* Hoc non ſatis intellexiſſe videtur Floridus, cum hunc locum, et alium Martialis, in quo idem diſcrimen obſeruatur, laudans ait: *Nam et lapide gemmam denotamus, ſi pretioſum ſubaudimus.* Rurſus aliter *gemmas* a *lapillis* diſtinguit Apul *in Florid. pag. 346 Gemmam et aurum iuxta plumbum et lapillos nulli aeſtimare:* nam *gemmas* ibi vocat omnes lapides pretioſos; *lapillos*, non pretioſos.

Tribonianum *in §. item lapilli. 18. Inſtit. de Rer.*
diuis. haec tanquam ſeparata ponere, non dubi-
tarim tantum tantorum virorum conſenſum non
ſolum Plinio, Curtio, Horatioque, ſed et qui-
buslibet aliis humanitatis authoribus, quos pro-
ferre poſſes, [3] anteponere. Maxime cum ve-
riſimile ſit illos ex vſu communi, et populi con-
ſuetudine, qui non tam accurrate diſtinguere
ſolet, loquutos fuiſſe: hos vero doctrinae gra-
tia diſtinguere voluiſſe, quid inter haec tria
diſcriminis eſſe poſſet, ſi cui forte *gemmae*,
alteri *lapilli*, alii *margaritae*, vel vniones *legati*
eſſent. Atque hanc diſtinctionem ad indagan-
dam teſtatoris voluntatem pertinere, *Titulus*
ipſe ſatis indicat, *De Auro, argento, ornamen-*
tis legatis. Et quidem *lapilli* generalis eſt ap- 301
pellatio, qua minuti lapides omnes continen-
tur: quaeque vulgi conſuetudine ad eos, quos
pretioſos vocamus, contracta eſt: vt hac in-
ſpecta origine etiam *gemmae* ſint in *lapillis.* Sed,
vt ſaepe dixi, nouum non eſt, generis appel-
lationem docendi gratia ad alteram ſpeciem
coarctari, vt *lapillus*, cum a *gemma* diſtingui-
tur, ſit is, *qui non pelluceat.* *Gemmam* autem
pelluci-

3 *Anteponere*] Hoc mihi ſine ratione dici videtur. Nam cum ipſe differentiam, quam Iuriſconſulti inter *gemmas* et *lapillos* ſtatuunt, ad legata reſtringat, ſatis fatetur eam non vbique locum habere; atque adeo non minus recte haec vocabula ab aliis ſcriptoribus promiſcue vſurpari, quam a Iureconſultis in materia legatorum ſeparari. Itaque ſi verum eſt hoc diſcrimen ad legata pertinere, melius, mea quidem ſententia, vtroſque recte ſentire, quam illos his anteponendos eſſe dixiſſet.

pellucidam intelligi, vel nominis etymon docet. Dicta est enim *gemma* [4] quasi *gemina:* quod propter pelluciditatem quasi *gemina* videatur. Caeteri *qui non translucent*, et tamen minuti *lapides* pretiosique sunt, in generali *lapilli* appellatione manserunt: ita tamen, vt *lapilli* nomen cum a *gemma* separatur, speciem aliam constituat *non translucentium.* At enim Plinius duo diuersa capita inscripsit: alterum, *De gemmis viridibus et translucidis:* alterum, *De gemmis viridibus non translucentibus.* An ideo tamen, si cui *gemmae,* alteri *lapilli,* tertio *margaritae* sint relictae, dicemus eos quasi re coniunctos ad idem legatum simul admitti, et concursu partes facere: an potius distinctionem hanc, quam gemmularii, et si qui magnum
302 horumce ornamentorum numerum habent, seruare solent, admittemus? Nam, quod et ipse profers, cum ex vno topazio statua quatuor cubitorum Arsinoae vxori Ptolemaei facta sit, vt scribit Plinius *lib. XXXVII. cap. 8.* cum rursus in triumpho Pompeii alueus lusorius cum tesseris, tres pedes latus, quatuor longus, duabus *gemmis* constans deportatus sit, teste Plinio *eod. lib. cap.* 2. an has *gemmas lapillos* dicemus? Atqui

4 *Quasi gemina*] Nescio cuius hoc Magistri putidum, vt mihi videtur, commentum sit, quod etiam Alciato placere potuit. Non minus ineptum est, quod adfert Isidor. *lib. XVI. Origin. cap. 6. Gemmae vocatae, quod instar gummi transluceant.* Tu vide, quae docent Salmas. *ad Solin. p. 69.* et Voss. *in Etymolog.*

Atqui repugnat [5] vis vocabuli. Maneant igitur *gemmae:* et quamuis imperfectae non pellu- ceant, tamen quia arte adhibita pellucere pos- sunt, *gemmae* nihilominus dicantur. Atque vt in- telligas *gemmas* inter *lapillos* eas proprie dici, *quae pellucent*, proferam Plinii locum *lib. XXXVI. cap 26. In genere vitri et Obsidiana numeran- tur, ad similitudinem lapidis, quem in Aethiopia inuenit Obsidius, nigerrimi coloris aliquando et translucidi, crassiore visu, atque in speculis pa- rietum pro imagine vmbras reddente. Gemmas multi ex eo faciunt.* Viden' quomodo ex [6] Ob- sidiano *lapide*, quem inter *lapillos* refert post Seruium Vlpianus *in l. 19. §. 17. D. de Auro et* 303 *arg. leg.* vel ex vitro Obsidiano (nam ad vtrum- vis referri potest) *gemmas* fieri dicat: [7] ideo quod transluceat, et in speculis parietum pro imagine vmbras reddat. Quid igitur vetat, obii- cit Laurentius, quin *Parium marmor* inter *gem- mas* numeretur? Sophisten agis, Laurenti, per- [illegible] inde

5 *Vis vocabuli*] Ergo non *lapillos* has *gemmas*, sed *lapi- des* dicemus, quo nomine Latini scriptores etiam multo mino- res *gemmas* appellant.

6 *Obsidiano*] Gothofred. *in d. l. 19. §. 17.* e Florentino edidit, *Obsiani*, *Venientani.* Priorem vocem etiam ita legi in scriptis Plinii *Lib. XXXVI. cap. 26.* et a Graecis semper λίθον ὀψιανὸν, non ὀψιδιανὸν dici, notat Salmas. *ad Solin. pag. 64.* Pro *Venientani* autem rectius in aliis *Veientani.*

7 *Ideo quod transluceant*] Salmas. *ad Solin. pag. 64.* et *pag. 69.* docet, *gemmas* Latine proprie vocari *lapillos*, qui includuntur annulis, et sculpti digitis gestantur ad signan- dum, et ita in hoc loco Plinii accipiendas esse *gemmas* ex Obsidiano lapide.

inde ac ſi tibi cum Raudenſi, aut Poggio, non
cum nobiliſſimo Iureconſulto negotium eſſet.
Quaſi vero quicquid pelluceat, id *gemmam* eſſe
dicat Vlpianus, ac non ſubiecto exemplo ſma-
ragdorum, chryſolithorum, amethyſtorum, ſa-
tis oſtendat, qua de re loquatur. Quod ſi in
perquirendis Plinii *gemmis* diligentior fuiſſes,
quantum Vlpiano inſultaſſes, eo quod Veien-
tana inter *lapillos* numeret, de quibus ſic Pli-
nius *lib. XXXVII. cap.* 10. *Veientana Itali-
ca gemma eſt, Veiis reperta, nigram materiam
diſtinguente limite albo.* Verum huic quoque
ſupra ſatisfactum arbitror. Nempe, licet gene-
raliter accepto nomine Veientana. Iam vero
[8] de *murrhinis* magnam nobis litem mouet
Valla: quae Plinius quidem *lib. XXXVII. cap.*
2. inter *gemmas* numerat: Caſſius contra, refe-
304 rente Vlpiano *in d. l. 19. §. 19. D. de. Aur. arg.
leg. in gemmis* ea *non contineri* ſcribit. Quam
vt expediamus, ſciendum, *murrham* eſſe humo-
rem ſub terra calore denſatum (contraria pror-
ſus ratione quam cryſtallum) qui in Carmania
Parthici regni prouincia plurimus effoditur:
Vere, vt ait Plinius *lib. XXXVII. H. N. cap. 2.
ſplendor ſine viribus, nitorque potius quam ſplen-
dor.* Nos *Caſſidonium* vocamus. Ex ea pluri-
mum Romani calices, et vaſa potoria conficie-
bant, quibus calidum biberent, ſicut econtra cry-
ſtallinis

8 *De murrhinis*] *Murrina* ſcribi iubet Idem Salmaſ.
lib. d. pag. 143. vbi plura de his legi poſſunt.

stallinis ad frigidos potus vtebantur. Martialis *Apophor. Epigr. 113.*

Si calidum potas, ardenti murrha Falerno
Conuenit, et melior fit sapor inde mero.

Itaque non magis inter *gemmas* numerari meretur, quam crystallus, aut succinum: de quibus eodem capite Plinius abunde disserit. Sed tamen quia *pellucet*, et magni fuit olim pretii, demus ei suum inter *gemmas* locum. Cur igitur Cassius *murrhina in gemmis non esse* contendit? Quia scilicet, cum ex *murrha* poculo, calices diatreti, aliaque vasa potoria, atque etiam capides, trullaeque conficerentur, *suppellectili* potius, quam *gemmis* ea annumerari receptum est. Paulus *in l. 3. §. 4 D. de Suppell. legat. De murrhinis et crystallinis dubitari potest, an* 305
debeant annumerari suppellectili, propter eximium vsum et pretium. Sed et de his idem dicendum est. Nec interest, cuius materiae sint res, quae sunt in suppellectili. Iauolenus *in l. vasa. 11. eod. tit. Murrhea autem vasa, et vitrea, quae ad vsum edendi, et bibendi caussa parata essent, in suppellectili dicuntur esse.* Illud non ferendum, quod Seruium Grammaticum indigne tractas, et acriter insectaris, quod Ciceronis authoritate fretus [9] *gemmas* a *margaritis*

 separa-

9 *Gemmas a margaritis*] Iureconsulti *margaritas nec gemmis, nec lapillis contineri* dicunt. Valla, et Floridus de his non idem sentiunt, ac ne ipsi quidem Vallae secum satis conuenit. Nam cum primo pronunciasset, negari non posse *marga-*

306 ſepararit: cum [10] Plinius auctor tuus, quoque potiſſimum niteris, haec duo non ſolum vocabulis, ſed et libris tractatibusque diſtinxerit. Nam de *margaritis lib. IX. cap. 35.* inter res marinas: *de gemmis* autem *lib. XXXVII.* et vltimo ſpecialem librum conſcripſit, prorſus vt Hiſtoriam Naturalem maxime mirabili naturae opifi-

margaritam lapillum eſſe, mox ſubdubitans ſe *margaritas* ſicut *lapillis* forſitan negare, ita fateri *gemmis* contineri ſcribit. Floridus autem eius, vt *gemmis* forte non comprehendantur, *lapillis* certe contineri auctoritate Horatii, et Curtii putat. Sane optimos quosque ſcriptores *gemmas* a *margaritis* diſtinguere obſeruat, et Curtii, Plinii Maioris, et Solini teſtimoniis probat Salmaſius *ad Solin. pag. 783.* Et ſic praeterea *Cicero IV. Verr. I. Nego in Sicilia tota ullam gemmam, aut margaritam fuiſſe.* Sueton. *Aug. Cap. XXX. Gemmasque ac margaritas.* Plin. V. *ep. 16. In veſtes, margaritas, gemmas.* Senec. *Conſol. ad Heluiam Cap. XVI. Non gemmae te, non margaritae flexerunt.* Nec tamen hoc perpetuum eſſe, et *gemmarum* appellatione etiam *margaritas* deſignari notat ibidem Salmaſ. ex Amm. Marcell. *extr. lib. XXIII.* vbi de *margaritis* agens: *Quod genus gemmae*, inquit, *etiam in Britannici ſeceſſibus maris gigni legique, licet dignitate diſpari, non ignoramus.* Quomodo et Propertius locutus eſt I. *El. 14. 12.*

Et legitur rubris gemma ſub aequoribus.

Et Senec. *Herc. Oet. vers. 661.*

Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in vnda.

Lapides autem et *lapillos* easdem vocant cum Ammian. Marcell. *l. d.* tum Horatius, Ouidius, Seneca, Martialis, aliique, quorum loca *ad Tibull. I. El. 9. 39.* congeſſit Doctiſſ. Broekhuſius. Itaque et Cuiacius X. *Obſeru. 18.* ad verba *d. l. 19. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri, ſatis conſtitiſſe ibidem Sabinus ait*, notat: *Iuriſconſultis ſcilicet. alii enim auctores refragantur.*

10 *Plinius*] Hoc etiam Salmaſius obſeruat, atque inſuper, Plinium ſtudioſe ſeruare, vt *margaritas* nusquam vel *gemmas*, vel *lapillos* vocet. Vid. eum *ad Solin. l. d.* vbi et alia huc pertinentia leguntur.

opificio clauderet. Quae duo dum diſtinguit ac ſeparat, et *margaritas* inter res marinas refert, videtur eandem rationem ſecutus, quam et Sabinus, cuius ſententiam *in d. l. 19. §. 19.* refert Vlpianus. his verbis: *Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri, ſatis conſtitiſſe ibidem Sabinus ait, quia concha apud Rubrum mare et creſcit, et coaleſcit.* Quod ſi non Ciceronis et Plinii auctoritate, praetereaque Sabini et Vlpiani Seruius niteretur, an non eae, quas affert differentias, ſatis oſtendunt multum inter *gemmas* et *margaritas* intereſſe? *Gemmae,* inquit, *ſunt diuerſi coloris: margaritae autem albae.* Nam etſi adamas *gemma* ad colorem album pertinere videatur, ſplendens tamen potius
et διαφανὴς, quam albus dici meretur: *mar- 307
garitae* vero nitent, non ſplendent, et lucidae potius, quam pellucidae ſunt. Rurſus Idem Seruius ait, *gemmae ſunt integrae, margaritae pertuſae.* An non id conuenit cum his, quae de *linea margaritarum* a noſtris tradita ſunt *in l. ſi quis vxori. 52. §. ſi linea. 25. D. de Furt.* et *l. ſi ſeruus. 27. §. ſi cum maritus. 30. D. ad Leg. Aquil.* de muliere, quae inſcio vel inuito marito *margaritas* perforauit, vt pertuſis in linea vteretur. Praeterea et in vſu communi veriſſimum id experimur.

Sint igitur haec reſponſa ad ea, quae hoc ſexto libro, quem *De Notis authorum* inſcripſit Valla, perſequitur. Verum inueſtigemus, annon

et ſuperioribus libris aliquid immiſcuerit, quod vel tuendum nobis ſit, vel etiam reprehenſione propria non careat. Ac primum *Lib. IV. cap. 67.* ita ſcribit. *Condictio a condico naſcitur. illud rarius eſt, quod ita Iuſtinianus (ſi credimus hominem Graecum Romanis iura potuiſſe praeſcribere) diffinit: Condicere eſt denunciare priſca lingua. Nunc vero abuſiue dicimus condictionem actionem in perſonam, quam actor intendit ſibi dari oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit. Ergo condictio erit vel haec actio, vel illa denunciatio* Quibus in paucis verbis quam multa ſunt reprehendenda? Pri-
308 mum, quod *condictionis* verbum rarius eſſe ſcribit, cum tamen nullum frequentius [11] in libris noſtris occurrat. Nam et actiones omnes perſonales generali nomine complectitur, et octo eius ſpecies totidem Titulis in Pandectis et Codice pertractantur. Deinde, quod miratur hominem Graecum Romanis iura potuiſſe praeſcribere. Quaſi vero non et Afri et Thraces, Britanni quoque et Perſae iura Romanis dederint, tum cum ex his nationibus orti ſceptra Romani imperii tenerent. Aut non tritum ſit et peruulgatum, [12] Iuſtinianum ipſum abecedarium fuiſſe, et literarum imperitum. Habuiſſe tamen penes ſe doctiſſimos Anteceſſores et Romani

11 *In libris noſtris*] Sed Valla haud dubie de aliorum ſcriptis ſenſit, in quibus rarius inueniri hanc vocem verum eſt. v. *n. 15.*

12 *Iuſtinianum*] V. ſupr. *ad Defenſor. Cap. XXXVI. n. 3.*

mani Iuris peritiſſimos, quorum opera in componendis Digeſtis, Codice, et Inſtitutionibus ſuis vſus ſit. Nimirum ignorauit Valla, Romanos eſſe non eos ſolum, qui Romae nati ſunt, ſed quotquot ciuitatem Romanam quacumque ratione adepti eſſent. Quam cum veteres Romani etiamnum ſtante Republ. omnibus municipiis Italicis, aliisque extra Italiam coloniis communicaſſent, Imperatores deinde multis aliis oppidis Iuris Italici dediſſent, ad extremum Imperator Antoninus omnibus, qui in Orbe Romano eſſent, id eſt, qui ſub ditione ac poteſtate Romanorum viuerent, eorumque legibus vterentur, generali lege tribuit *l. in orbe. 17. D.* 309
de Statu homin. Alciat. *Lib. II. Diſpunct. cap. 22.* Poſtremo quod legit, *actionem in perſonam, quam actor intendit ſibi dari oportere.* In quo et textum corrumpit. Nam in omnibus exemplaribus legitur, *actionem in perſonam* eſſe, [13] *qua actor*, etc. Et manifeſte oſtendit, ſe *condictionum*, id eſt, perſonalium actionum vim et effectum non intelligere. Siquidem relatiuum illud, *quam*, ad perſonas, non ad *condictionis* nomen refert. Quod ſi paulo diligentius in noſtrorum Conſultorum lectione et veterum libris verſatus fuiſſet, [14] latiſſimum ſane campum

13 *Qua Actor*] Ita etiam in Colinaei Editione Elegantiarum Vallae legi, notant Cantabrigienſes: vt hoc fortaſſis Vallae peccatum non ſit.

14 *Latiſſimum campum*] Pleraque eorum, quae hic adferuntur de *condictione*, et *condicere*, deque etymologia, et

nactus erat ad locum hunc illustrandum, et *condictionum* originem demonstrandam. Siquidem ex Festo Pompeio repetere poterat, *condictum*, vt et verbi compositio ostendit, nihil aliud esse, quam *simul dictum*. Vnde *Condictio est*, vt Idem Festus tradit, *in diem certum eius rei, qua de agitur*, [15] *denuntiatio*. [16] Moris enim fuit, vt iudicio

diuersis significationibus vocabuli *frugis*, Vallae non incognita fuisse arbitror: cur scribere ea debuerit, caussam idoneam adferri non video.

15 *Denuntiatio*] Seruius quoque *condictionem* in Iure augurali pro *denunciatione* dici tradit. Nam ad hoc *Virgilii III. Aen. 117. Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris*, ita scribit: *Hoc quidam iuxta speciem auguralem positum tradunt, quae appellatur condictio, id est, denunciatio, cum denunciatur, vt ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit.* Praeter Seruium autem, et Festum, qui auctores hoc vocabulo vsi sint, non scio. Obrechtus quidem apud Quintilianum *Declam. CCCXLI.* de re improfessa apud publicanos, quae ex lege in commissum cadebat, dicentem; *Ea res, de qua iudicatis, in professionem non venit: omni iure condictionis nostra est*, pro *conditionis* reposuit *condictionis*. Sed ego cuiusmodi hoc sit non intelligo: nam *condictio* ibi neque denunciationem denotare potest, neque actionem in personam, qua qui vtitur, non rem suam esse, sed aduersarium dare, facere, oportere intendit. Muretus quoque *lib. VIII. Var. lect. cap. 9.* in his verbis Ciceron. *pro C. Rabirio perd. reo Cap. V. Harum enim omnium rerum non solum euentus, sed etiam conditio, exspectatio, mentio ipsa denique indigna ciue Rom. atque homine libero est*, pro *conditio* substituendum conjiciebat *condictio*, id est, vt ait, *denunciatio*, cui et Gruterus accedit: verum inuitis libris scriptis, et aliis doctis. Clar. Graeuius ad hunc locum ita notat: *Status condictusque cum hoste dies Ciceroni notus est, et condicere ad coenam. sed condicere simpliciter pro denunciare, et condictio pro denunciatio, et Ciceroni, et omnibus melioris aetatis scriptoribus ignoratur.* Porro qui plura de significatione verbi *condicere* scire desiderat, adeat Gronou. I. Obseru. I.

16 *Moris enim fuit*] Vid. Interpretes *ad §. 15. Instit. de Actionib.* Sigon. I. *de Iudic.* 27.

iudicio a Praetore constituto diem ex suo commodo litigatores sumerent, quo in iudicium venirent. Hinc versus ille XII. TAB. ex Plauto *in Curcul. I. 1. 5.* et Agellio *lib. XVI. Noct. Attic. cap. 4.* repetitus: *Si status condictusue dies cum hoste.* Hinc et illa vox litigatoribus in ore frequens: *Hodie constat de fideicommisso, hodie agamus. l. 3. D. Vt in possess. legat.* Produxisset locum Asconii [17] *in III. Verrin. Comperendinare est ab vtrisque litigatoribus inuicem sibi denunciare.* 311
Itemque Ciceron. *in Oratione pro Q. Roscio Comoedo Cap. IX. Quid enim factum est? Venisti domum vltro Roscii, quod temere commisisses, in iudicium vt denuntiares.* Ab eo vero denuntiandi significato deduxisset elegantem illam loquutionem, *condicere alicui coenam,* pro denuntiare alicui se apud eum coenaturum, qua loquutione Cicero *ad Lentulum lib. I. famil. ep. 9.* et Suetonius *in Tiberio Cap. XLII.* vtuntur. Denique postremum illud, *Nulla enim hoc tempore eo nomine denuntiatio fit,* illustrasset ex Codice Theodosiano *l. si quis. 6. Tit. de Denuntiationibus vel editionibus.* Vbi Impp. Arcadius, Honorius, et Theodosius statuunt, vt si quis actionem instituat, is omissis denuntiationum ambagibus earumque interuallis, statim in iudicio rem caussamque suam exponat.

17 *In III. Verr.*] Siue *lib. I. in Verr. cap. 9.* vbi *comperendinatio*, et *denunciatio* legitur. Locus ex *Orat. pro Roscio Comoedo* ad hanc *denunciationem*, si Graeuii emendationem, et expositionem sequimur, non pertinet. De phrasi *condicere coenam* vid. Torrent. *ad Sueton. Claud. Cap. XXI.*

Rurſus *cap. 25. eiusd. lib. IV.* quam frigide, quam ieiune *frugis* appellationem et ſignificatum perſequitur? Tantum ex Priſciano repetit, nomine tamen eius ſuppreſſo, *fruges vocari, quicquid ex fructu terrae in alimoniam vertimus.* Idque duobus locis ex Plinio et Liuio prolatis confirmare nititur. Atqui ex memoria antiquitatis repetere debuerat, *frugis* antiquiſſimum
312 eſſe vocabulum, vtpote quo *Decemuiri in XII. TAB.* vſi ſunt, ex quibus Plinius *Lib. XXVIII. cap. 2.* refert haec verba: *Qui fruges excantaſſit.* Idemque *Lib. XVIII. cap. 3. Frugem quidem aratro quaeſitam nocte pauiſſe ac ſecuiſſe puberi XII. TAB. capitale erat.* Dein oportuerat etymon eius vocis [18] ex Feſto, Donato, Seruio tradere, qui *frugis* vocabulum a *frumine*, eminente ſub mento gutturis, ſiue gurgulionis parte, qua cibus in aluum demittitur, vel a *ferendo* cibo deriuatum ſcribunt. Poſtea et propriam *frugum* ſignificationem adſcribere, quae eſt eiusmodi, vt a *fructibus* ſeparentur: vt *fructus* quidem ſint, qui ex arboribus arbuſtisue colliguntur, *fruges* autem, quae ſatione perci-

18 *Ex Feſto*] Locum Feſti non inuenio. Donatus *fruges* a *fruor*, *fruor* autem a *frumen* deducit, *ad Terent. Eun. IV 7. 46. Frugi a frugibus, quae, quod his fruamur, dictae ſunt. Inde fructus et frumentum. Frui autem eſt veſci, a frumine, quae eſt ſumma pars gulae. A fruor* etiam Varro deriuat *lib. IV. de L. L.* cui adſentitur Salmaſ. *ad Solin. pag 208.* quo loco de ſignificatione vocum *frugis*, et *fructus* agit. Seruius *in I. Aen. 178.* a *frumen* eſſe ait. Plura de etymo huius vocabuli legi poſſunt in Etymologicis: de *frumine* apud Seruium *l. d.* et *in I. Georg. 74.* et Donat. *ad Terent. Adelph. V. 8. 27. Phorm. II. 2. 18.*

percipiuntur. Nam et Plinius *Lib. XVIII. cap. 7. fruges* in duo diuidit: frumenta, vt triticum, hordeum: et legumina, vt fabam, cicerem. Cui conuenit, quod Paulus *Lib. III. Sentent. Tit. 6. Frugibus legatis*, inquit, *tam legumina, quam triticum et hordeum continentur.* Aut, vt alibi Idem Plinius ostendit, *fruges* sunt, quae 313
vel spica, vel siliqua continentur. Atque hanc antiquissimam et maxime propriam esse vocabuli huius significationem apparet tam ex citatis iam XII. TAB. locis, quam ex eodem Plinio, qui *d. cap. 7. Lib. XVIII.* quem *De frugum generibus et natura* inscripsit, de frumentis tantum et leguminibus tractat: quo loco etiam Varronem authorem citat, *fruges quater nouenis diebus absolui, et nono mense meti.* Sed et ex inscriptionibus *cap. 17. De vitiis frugum et remediis*, et *cap. 18. De prodigiis frugum, eiusd. Lib. XVIII.* satis ostendit, se nomine *frugum* frumenta tantum et legumina complecti. Atque etiam in *d. cap. 17. fruges* a vineis separat manifesto discrimine, *Coeleste*, inquit, *frugum vinearumque malum, nullo minus noxium est rubigo.* Sed et *Lib. XXII. cap. 25.* quo loco medicinas ex *frugibus* persequitur, non alias describit, quam quae ex frumentis aut leguminibus conficiuntur. Interdum arctius quoque vocabulum id vsurpatur, nempe pro *frumento* tantum, vt ab eodem Plinio *Lib. XVIII. cap. 2. Numa instituit Deos fruge colere, et mola salsa supplicare.* Et ad finem capitis: *Ac ne degustabant quidem*

nouas

nouas fruges aut vina, antequam ſacerdotes primitias libaſſent. Quo pertinet citatus iam XII.
314 TAB. verſus: *Frugem aratro quaeſitam*, etc. At *fructuum* appellatio ad alias res omnes, quae terra gignuntur, maximeque ad ea, quae ex arboribus et arbuſtis percipiuntur, referri ſolet: qualia ſunt vinum et oleum, baccae, glandesque arborum, vt ex eodem Plinio *lib. XV. cap. 28.* quod *De ſuccis fructuum et arborum, et coloribus, et odoribus, et natura pomorum, et de commendatione fructuum* inſcripſit, ſatis apparet. Hinc illud Ciceronis *Verrina V. cap.* 7. *Senatus Conſulibus permiſit, vt vini et olei decumas, et frugum minutarum Romae venderent, legemque his rebus quae ipſis videretur, edicerent.* Item *lib. II. Officior. cap. 3. Neque enim frugum fructuumque reliquorum perceptio ſine opera hominum vlla eſſe potuiſſet.* Vnde etiam Paulus ſcribit *in l. frugem.* 77. *de Verb. ſignif.* [19] *Quod Iulianus ſcribit, fruges omnes eſſe quibus homo veſcatur, falſum eſſe. Non enim carnem, aut aues, ferasue, aut poma fruges dici.* Contra quam hic Valla ex Priſciano nobis praeſcribit. Fateor tamen conſuetudinem loquendi eo progreſſum eſſe, vt non ſolum fructus omnes terrae, quos in alimoniam vertimus, ſed et reditus omnes, quos ex praediis percipimus, atque
315 etiam genitale ſemen eo nomine contineretur. [20] De

19 *Quod Iulianus*] Gothofredi Edd. non habent τὸ *quod*, nec quemquam vidi, qui hunc locum adiecta illa vocula laudauerit. Fortaſſis hoc typographorum peccatum eſt.

[20] De terrae fructibus Priscianus id confirmat, et Plinius *caput. 1. lib. XV.* inscripsit, *Naturae frugiferarum arborum.* Sed et Cicero *fruges lentisci* dixit his versibus, qui a Plinio referuntur *Lib. XVIII. cap. 25.*

Iam vero semper viridis, semperque grauata
Lentiscus, triplici solita est grandescere foetu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat
arandi.

Praeterea Horatius *Lib. I. Epist. 16. ad Quintium vers. 9.*

— — Et quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuuat vmbra.

[21] De reditibus praediorum [22] Paulus, siue Vlpianus authoritate Iuliani id probat *in d. l.* 316
frugem.

20 *De terrae fructibus*] Arborum fructus *fruges* dici plurimis testimoniis confirmant Heins. *ad Ouidii Nucem vers. 19.* et Broekhus. *ad Tibull. I. El. 1. 5.*

21 *De reditibus praediorum*] Hic ipse Defensor in eo offendit, in quo aduersarium accusat. Non enim sufficiebat verbo tantum memorare e *l. 77. D. de V. S.* etiam *reditum praediorum frugem* dici: cum, qui id legat non sciens quo pertineat, facile in errorem induci, atque existimare possit eam esse mentem Iurisconsulti, semper perinde esse, siue quis *reditum praedii*, siue *frugem praedii* dicat, quod longe aliter se habet. Videant studiosi quae *ad d. l. 77.* scripserunt Cuiacius, et Fornerius, et Labittum *de Vsu Indicis Pandectarum pag. 295.* Ed. Lugd. Bat.

22 *Paulus, siue Vlpianus*] Non intelligo quo haec dubitatio pertineat, nec a quoquam alii, quam Paulo, *h. l. 77.* adscribi inuenio. Quod porro dicit, Paulum, siue Vlpianum auctoritate Iuliani probare *frugem* dici de *reditu praediorum*, indicio est eum existimasse omnia, quae in *h. l.* dicuntur, e Iuliano referri, quod etiam nuper Viri docti ad Festum v. *frugamenta*, secuti sunt. Haud scio tamen, an principium legis vsque ad verba, *Iulianus scribit*, potius sit Pauli, et quae inde sequuntur Iuliani.

frugem. 77. *D. de Verb. ſign.* De genitali ſemine Idem Plinius *lib. XVI. cap.* 26 *Ocyſſime autem ſalix amittit ſemen, antequam omnino maturitatem ſentiat, ob id dicta Homero frugiperda. ſecutaque aetas ſcelere ſuo interpretata eſt hanc ſententiam, quando ſemen ſalicis mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat.* Verum nouum non eſt, vocabula plerumque a propria ſua ſignificatione ad magis generalem traduci, et contra. Sed et *lib. I. cap. 6.* Valla inquit: *Donaria non locus repoſitionis donorum, ſed dona ipſa: licet* [23] *Seruius dicat, vbi dona oblata ſunt.* Verum ego Seruio nobili Grammatico potius, quam Vallae adſtipulari malim: cum videam *donaria* proprie dici loca, in quibus dona Diis oblata reponuntur a Virgilio III. *Georgic.* 531.

317 *Tempore non alio dicunt regionibus illis*
Quaeſitas ad ſacra boues Iunonis, et vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Et [24] Agellio II. *cap.* 10. *Vbi reponi ſolerent ſigna vetera, quae ex eo templo collapſa eſſent, et alia quaedam religioſe donariis conſecrata.* Itemque Apule-

23 *Seruius*] Ad locum Virgilii hic laudatum, et II. *Aen.* 269. Cum Seruio facit Fronto, cuius verba ſupra retulit Defenſor *pag.* 52. Sed tamen etiam *dona* ipſa ita appellari conſtat. Vid. Thomaſin. *de Donar. Cap. I.* ad. locum e Iure Papiriano apud Macrobium III. *Saturn.* 11. Beroaldo *ad Apul. lib. IX.* obſeruatum: *Ornamenta vero* (in fanis) *ſunt clypei, coronae, et cuiuscemodi donaria. neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur.* Tacit. I. *Annal.* 44. *Cui erant donaria militaria.*

24 *Agellio*] Ex huius loco propter varietatem ſcripturae nihil probari poteſt.

Apuleio [25] *lib. IX. Cantharoque, et ipſo ſimulachro, quod gerebam apud fani donarium redditis ac conſecratis.* Et *lib.* [26] *Floridorum: Ibi donarium Deae perquam opulentum, plurimum auri et argenti in lancibus, ſpeculis, poculis, et huiuscemodi vtenſilibus.* Verum haec Mancinello, Sipontino, aliisque Grammaticis notanda et obſeruanda relinquamus.

Et haec quidem ſuffectura confido ad defendendos Conſultos noſtros a Laurentii Vallae reprehenſionibus. Vereor ne cui etiam nimis longa videantur. Quod niſi otioſus, et in receſſu Sedanenſi poſitus haec ſcripſiſſem, non recuſarem quin me quis otio abuti, et bonas horas male collocare criminaretur. Caeterum negare nolim multa in Pandectis reperiri [27] non ſatis probatae Latinitatis, quaedam durius conſtructa, plaera- 318
que inſolita, neque ab aliis authoribus vſurpata. Vt omittam ea, quae Iurisprudentiae propria, et ipſius artis vocabula dici poſſunt. Quae neque Valla omnia obſeruare, et in vnum colligere potuit, vtpote in Digeſtorum lectione non ſatis verſatus, nec a me, qui ea diutina lectione collegi, praetermitti debuerunt.

VERBA

25 *Lib. IX.*] *Pag. 221.* Ed. Elmenh.

26 *Floridorum*] *Pag. 350.* eiusd. Edit.

27 *Non ſatis probatae*] Vid. ſupr. *pag. 6.* Atque haec ad primam partem libelli Defenſoris noſtri, in qua Vallae impetus in Iuriſconſultos Veteres retundere conatur, adnotaſſe ſufficiat. Nunc porro eiusdem veſtigia, Defenſoris partibus transactis, Cenſoris perſonam ſuſcipientis, perſequamur, et videamus, cuiusmodi ſint illa, quae in ſecundam opuſculi ſui partem, tamquam non ſatis probatae Latinitatis, vel ab vſu Linguae Latinae recedentia, vel Grammaticorum praeceptis non conuenientia, a Iuriſconſultis vſurpata, congeſſit.

VERBA NON SATIS PROBATAE LATINITATIS, AVT NON EX RECEPTA SIGNIFICATIONE, VEL CONTRA GRAMMATICORVM REGVLAS, A IVRECONSVLTIS VSVRPATA.

EX PRIMA PARTE DIGESTORVM.

[1] *Contemplatione alicuius*, quasi pro eo, et in eius gratiam, aut eius nomine aliquid facere.
319 Loquutio est [2] Vlpiano familiaris *l. si pupilli. 6. §. sed*

1 *Contemplatione alicuius*] *Contemplatio* pro consideratione, meditatione rei alicuius optimis scriptoribus infrequens est. *Consideratio, contemplatioque naturae.* Cicer *Lucull. Cap. XLI.* Ea significatione, qua Iurisconsulti vtuntur, demum apud recentiores inuenio. Iustin. *Lib. VII. cap. 5. Quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicauerat.* Et *Lib. VIII. cap. 3. Vt eum non contemplatione iustitiae eius, sed inuicem metuentes iudicem eligerent.* Quintilian. *Declam. III. pag. 40.* Ed. Obr. *Praeterita facultatum contemplatione vires tantum animosque spectasti.* Et V. *Decl. in fin. Ad misericordiam non memoria fratris, non patris contemplatione deflectitur.* add. Dict. Cret. *Lib. III. cap. 25.* et *Lib. V. cap. 14.* Apulei. VIII. *Met. in fin.* Inscription. ap. Spon. *Miscellan. Sect. IV. pag. 129.* et quae notat Bauldr. *ad Scriptorem de Mortibus Persecutor. Cap. XXXIV.* Dubitari tamen potest, an, apud Iureconsultos saltem, hic vsus vocis *contemplatio* antiquior sit. Nam *in d. l. 6. §. 6. D. de Negot. gest.* ita legitur: *Et mihi videtur verum, quod Labeo distinguit, et Pomponius libro vicesimo sexto probat: vt siquidem contemplatione tui negotia gessi peculiaria, tu mihi tenearis:* vbi quemadmodum auctor illius legis Labeonis sententiam suis verbis efferre potuit, ita nihil est, vnde probari possit eum illa non retinuisse.

2 *Vlpiano*] In Edd. Gothofredi Inscriptio *d. l. 6. de Neg. gest.* haec est. *Iulianus lib. 3. Digestorum scribit:* eademque etiam a Labitto *in Indice Legum* Iuliano adscribitur. Mihi hoc videbatur difficultatem habere. Certe non omnia, quae *in h. l.* scribuntur, Iuliani esse ex eo liquebat, quod ibi

sed si ego. 6. D. de Negot. gest. Et *in §. vlt. d. l. si contemplatione eius alius ad haec negotia non accessit,* id est, quia videt eorum negotiorum administrationem ab alio iam susceptam. Idem *in l. si non mortis. 25. princ. D. de Inoffic. testam.* donare filio *hac contemplatione vt in quartam habeatur,* id est, eo animo, et intentione ad id. Idem

ibi aliquoties laudatur Pomponius, quem post Iulianum scripsisse certum est. Hoc quoque scrupulum iniiciebat, quod nullo alio loco Pandectarum animaduertebam Inscriptionem ita conceptam, vt adderetur verbum *scribit:* cum huiusmodi principia legum in Pandectis compluribus locis legantur. Sic *l. 5. ad Exhib. Vlpianus* lib. 24. ad Edictum. *Celsus scribit, si quis merces. l. 17. de Rei vindic. Vlpianus* lib. 16. ad Edictum. *Iulianus libro sexto Digestorum scribit, si hominem.* et alibi saepissime. Haec pro captu sollertiae meae mecum voluebam, et iam prope suspicari coeperam, forte nomen Iurisconsulti, e quo *h. l. 6.* descripta est, excidisse, eiusque loco verbo illa, *Iulianus lib. 3. Digestorum scribit,* quae ad contextum ipsius legis pertinerent, locum Inscriptionis occupasse; cum a Viro Doctissimo, et harum rerum peritissimo, Alexandro Cunningamio, Scoto, meliora doctus sum. Is enim a me interrogatus, quid de Inscriptione huius legis sentiret, respondit, vitium esse librarii in Codice Florentino, qui omissa particula *vt*, quae erat ante *Iulianus* etc. *l. 5.* male in duas distraxerit, legendumque esse vno tenore, vt est ab Haloandro editum, *solus Sempronius mihi actione negotiorum gestorum tenetur, vt Iulianus lib. 3. Digestorum scribit, §. 1. Si pupilli tui negotia gessero,* et quae sequuntur. Idque iam dudum a Cuiacio, et aliis esse animaduersum. Deinde cum apud V. A. Corn. van Bynkershoek forte in eumdem sermonem de Inscriptione *d. l. 6.* incidissem, ab eo haec praeterea accepi. Perperam *d. l. 6. de Neg. gest.* tribui Iuliano, cum pars sit *l. 5. eod.* quae Vlpiani est. Dubitare quidem V. C. Gerardum Noodt. III. *Probab. 9.* vtrius sit: sed dubitandum non esse, quin Iuliani sit, auctoritate libri Florentini adfirmasse V. A. Vlr. Huberum in *Disputatione de Eunom. Rom. ad d. l.* Et tamen hunc deinde videri sententiam mutasse, cum haec in eiusdem *Comm. post. ad*

Idem *in l. si pro patre. 10. §. sed vtrum. 5. de In*
320 *rem verso.* et *in l. fideiussores. 6. ad Senatusc. Velleian. l. si cui legatum. 92. de Condit. et dem. l. generaliter. 24. §. quod si legatum. 16. de Fi-*
321 *deicom. libert.* Sed et [3] Papinianus *in l. arboribus. 58. de Contrah. empt. contemplatione arborum* fundum emere dixit, id est, propter arbores.

[4] *Habere affectionem*, vel *affectum* dixit Paulus *in l. atqui natura. 19. §. si libero. 2. D. de Negot.*

ad d. l. a V. C. Zacharia V. F. Hubero omissa sint. Ceterum non esse *d. l. 6.* Iuliani, non tam auctoritate Haloandri, quam ex re ipsa constare. Et hoc iam animaduertisse Giphanium *ad l. 3. C. de Contrah. et comm. stipul.* his vsum rationibus: quod Pomponii, et Pedii in ea fiat mentio: quod Basilica coniungant, quae hic disiunguntur: quod denique simile dispunctionis mendum sit *l. 18. et 19. eod. Tit.* Addebat V. A. et alia ad hanc sententiam confirmandam argumenta. Primum, Iulianum non posse meminisse D. Pii, qui *d. l. 6. §. 12.* memoratur, cum Iulianum post Pium vixisse, et scripsisse, nemo prodiderit: deinde, insolitam esse Inscriptionem *d. l. 6.* cum potius Vlpianus Iuliani sententiam referat ex *lib. 3. Digestorum* ea ipsa formula, qua vtitur *in l. 49. §. 6. ff. de Legat. 1.* Postremo, verosimile non esse, Iulianum, si auctor esset *d. l. 6.* toties secuturum fuisse Labeonem, quem, si vera esset Florent. Inscriptio, non semel, sed perpetuo sequeretur *in d. l. 6. §. 3. 4. et 6.* Atque his se rationibus adductum *d. l. 6.* male dispunctam, peius Iuliano tributam esse credere.

3 *Papinianus*] Idem *l. 65. §. 1. D. de Rei vind.* et Paulus *l. 34. §. 1. D. de Donation.* et II. *Sentent. 23. §. 4. et 6.*

4 *Habere affectionem*] Apud alios Latinos scriptores haec vocabula fere significant, quod apud Graecos πάθος, de quo Valla *loco hic adnotato.* Iurisconsulti alia, et, ni fallor, ipsis solis propria ratione his vtuntur: nam apud eos *affectionem tenendi, possidendi, negotii gerendi habere*, est animum habere, quomodo saepe iidem aliis locis loquuntur. Paulus *l. 1. §. 3. D. de Adquir. vel am. possess. Furiosus et pupillus sine tutoris auctoritate non potest incipere possidere: quia affectionem tenendi non habent.* Idem *l. 3. §. 3. eod. simulatque possidendi affectum habuero.* Et *in d. l. 19. §. 2. de Negot. gest. quia gerendi negotii mei habuerit affectionem.*

Negot. gest. pro in animo habere, ea intentione esse. Hoc si aduertisset Valla *Lib. IV. cap. 78.* nunquam omisisset.

[5] *Adfligere*, vel *infligere pretium*, pro damnare pretio, vel mulctare: pretium ab aliquo 322
exigere et exposcere. Iulianus *in l. ex facto. 30. eod. tit.*

[6] *Incolorate*, pro non magna cum ratione, inquit, sine vllo colore, aut praetextu aequi et boni, Vlpianus *in l. minor. 18. §. 1. D. de Minorib.*

[7] *Qualiter qualiter*, pro qualitercunque, quouis modo. Vlpianus frequenter vsurpat, *in*

T 2 *l. ait*

5 *Adfligere, vel infligere pretium*] *Pretium siliginis, quae in publicum empta erat, curatori adflictum esse, d. l. 30.* vbi in aliis esse *inflictum* notat Gothofr. quod mihi magis probandum videtur. Nam *adfligere alicui pretium* Latine dici non posse puto: *infligere* autem facile vel vsus ipse loquendi, vel Iurisconsulti potuerunt fingere ad similitudinem phrasium *infligere vulnus, plagam;* vt infligi pretium diceretur, quasi ea poena, vt pretio mulctaretur. Sic *infligere alicui vsuras* dicit Paulus *l. 11. princ. l. 17. §. 3. D. de Vsur.* et Vlpianus *l. 3. §. 4. Vbi pupill. educ.*

6 *Incolorate*] *Incolorate restitui desiderantem aduersus fratrem, d. l. 18. Colorem* Latinis saepe sumi pro specie, et praetextu notum est. *Colorare* eadem significatione habet Valer. Max. *Lib. VIII. cap. 2. 2. Libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. Colorate* Quintilian. *Declam. CCLXXXV. Colorate adfert quidem iste tale patrocinium.* Itaque nec *incolorate* reiiciendum opinor.

7 *Qualiter qualiter*] Cellarius *in Antibarb.* scribit in Foro Roman. pro hoc aduerbio citari Vlpianum *in l. 12. §. 3 ff. Ratam rem hab.* verum in Edd. Gothofr. et aliorum semel tantum poni *qualiter.* Hae Editiones sequuntur scripturam Codicis Florent. in quo ita legitur, pro quo Vulg. habet *qualitercunque*, et Haloandr. *qualiter qualiter* v. not. Gothofr. *ad d. l. 12. §. 3.* qua ratione etiam nonnulli emendare voluerunt *l. 12. D. Quemadm. seruit. amitt.* aduersus

quos

l. ait Praetor. 7. princ. D. de Minorib. l. ita
323 *autem. 5.* [7]*§. vlt. de Admin. tut. l. 1. §. si quis pignus. 15. de Separation. l. 11. §. ego. 12. Quod vi aut clam. l. quo enim. 12. §. 3. Ratam rem hab. l. inter omnes. 46. princ. de Furt. l. 1. §. non alias. 2. Si is qui testam. liber esse iussus.*

[8] *Relatiuum pro reciproco* positum est ab Vlpiano *in l. 1. D. de Constitution. Princ. populus ei et in eum omne suum imperium contulit:* pro

quos disputat Labittus *de Vsu Indicis Pandect. pag. 333.* Sed in compluribus aliis legibus Pandect. hic, et a Brissonio *in Lexico* congestis, ad quas nulla varietas scripturae adnotata est, *qualiter qualiter* legitur: quae tamen omnes leges ex Vlpiano sunt, ita vt is hac geminatione quodammodo delectatus videri possit, quae an etiam aliis illo vetustioribus placuerit, non scio. Huc quoque pertinet *qualis qualis*, pro qualiscunque, quo praeter Vlpianum etiam Paulus *in l. 88. ff. de Adquir. vel om. hered.* et Triphoninus *l. 12. §. 1. de Distract. pignor.* vtuntur. Cellarius *Cur. Poster. Cap. VI.* hoc refert ad Classem Latinitatis cadentis, et tamen putat ei e meliori aeuo aliquid praesidii esse in hoc Ciceronis XII. *ad Attic ep. 23. Sed quanti quanti* (liceant horti) *bene emitur, quod necesse est:* cui addi possunt haec Plauti *Poenul. III. 4. 28. Quantum quantum ad eum erit delatum.* Et Terent. *Adelph. III. 4. 31. Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es.* Et *Phorm. IV. 7. 10. Quanta quanta haec mea paupertas est.* Nec improbant hanc dictionem alii viri docti. Nam Budaeus *ad l. 12. D. de Distract. pignor.* ait hoc eodem modo dici, quo *quisquis*, pro *quicumque; quantus quantus*, pro *quantuscumque; quotquot*, pro *quotcumque*, et alia id genus. Et Vossius *Lib. IV. de Analog. cap. 9.* nihil referre putat, vtrum dicatur *quisquis*, an *quicumque; qualis qualis*, an *qualiscumque; quantus quantus*, an *quantuscumque.* Add. Stewech. *ad Veget. II. 4.*

8 *Relatiuum*] Quae de vsu reciproci disputauit Valla, dudum a doctis explosa sunt, qui ostenderunt sine discrimine licere vti reciprocis, et relatiuis, dummodo hoc obseruetur, ne ea commutatione sermo reddatur ambiguus. Vid. Bud. *Comm. Ling. Graec.* Sanct. *Mineru. Lib. II. cap. 12.* ibique

pro ei, et in ſe. Simile in *l. bona fide.* 27. §. *vlt. ad Senatuſc. Vellei.* vbi *creditori eius*, pro creditori ſuo poſuit Papinianus. Itemque *in l. 3. §. 1. in fin. de Adſign. libert.* Rurſus *reciprocum pro relatiuo* poſuit Idem Vlpianus *in l. ſi in aliam. 7. de Offic. Procons. laudesque ſuas*, pro laudesque eius. Nam de laudibus Ciuitatis, non Proconſulis loquitur. Idemque prorſus admiſit 324
Idem Vlpianus *in l. ſed ſi plures. 10. §. 1. de Vulg. et pupill. ſubſtit.* Sed et *duplex reciprocum pro duplici relatiuo* poſitum eſt a Scaeuola *in l. Lucius Titius. 88. § Damae et Pamphilo. 12. de Legat. 2.* Quae ſane in libello *de Sui et Suus* omittere non debuerat Valla.

[9] *Excitare* dixit Vlpianus, pro extare *in l. 1. §. 5. D. de Poſtuland.* Niſi librarii mendum eſt.

ibique Clar. Perizon. et Sciopp. *Mariang. Cap. VIII.* apud quos multa optimae notae ſcriptorum teſtimonia leguntur, quibus defendi poſſunt, quae hic, tamquam contra vſum Latini ſermonis a Iuriſconſultis vſurpata, adnotantur. Et fortaſſis quoque non omnia loca, quae Auctor noſter profert, interpretationem illius recipiunt. Certe *in l. 7. D. de Offic. Proconſ.* haec verba, *laudesque ſuas*, de laudibus Proconſulis, non Ciuitatis accipienda eſſe docuit nuper Ampl. Senator. Cornel. van Bynkershoek *Lib. II. Obſeru. Iur. Rom. cap. 6.* Idemque ad marginem huius libelli adſcripſerat, exemplum e *l. 1. ff. de Conſtitut. Princip.* non conuenire, quamuis plurimi Vlpianum ita interpretentur. Variae adferuntur horum verborum interpretationes. Ego veram puto ſententiam illorum, qui *ei*, *et in eum*, idem valere exiſtimant: quam etiam *Lib. I. Obſeru. cap. 3.* probauit Celeberrimus Anteceſſor Gerardus Noodt.

9 *Excitare*] In Edd. Gothofr. legitur, *extat quidem exemplum eius.* Hic quoque Idem A. Bynkersh. notarat, non reperiſſe ſe librum, in quo eſſet *excitat*: Florentiae autem eſſe *exſtitat*, idque forte voluiſſe dicere Auctorem.

[10] *Deuirginatam ancillam*, pro corrupta,
325 stuprata, vitiata, dixit Paulus *in l. vlt. D. de Offic. Praesid.* cum Nonius scribat: *Deuirginari dicebantur, qui ex ephebis excesserant.*

[11] *Malitatis* dixit Vlpianus, pro mali *in l. 5. D. Quod met. caus. Metum*, inquit, *accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed maioris malitatis.* Eodem scilicet modo, quo bonitatis dicimus, pro boni. Sic et *facti sceleritatem* dixit Martianus, *in l. 3. D. de Bonis cor. qui ante sentent. mort. sib. consciu.* Licet quidam Codices habeant *facti sceleritatem*, quod magis probo.

[12] *Posi-*

10 *Deuirginatam ancillam*] Hoc quoque modo laudatus V. A. *Lib. I. Obseruat. cap. 25.* recte defendet auctoritate Petronii *Cap. XXV.* vbi vid. etiam Interpretes, et Muncker. *ad Hygin. Fab. XXIII.* H. Stephanus *de Latinit. fals. susp. pag. 190.* hoc vocabulum adeo non improbat, vt existimet illud Vallae, qui in versione Latina Herodoti eo vtitur, licuisse fingere, etiamsi nulla auctoritate nixus fuisset.

11 *Malitatis*] Hoc loco plurimas Edd. habere *mali*, in MS. Charondae esse *malignitatis*, Russardum autem coniicere *calamitatis* accepi ab eodem V. A. Non scio, quid de hac re sentiant Doctores Legum: sed existimo variantes illas lectiones glossam sapere, et substitutas fuisse ab iis, qui insolentia vocis *malitas* offendebantur. Nam Graecos quidem hic non legisse *mali* argumento est, quod in Basilicis hoc verterunt μεγάλης κακοθελείας, qui si *mali* legissent, nulla ratio dici potest, cur id κακοθελείας potius, quam κακοῦ Graece reddere voluissent: quemadmodum Aristotel. III. *Ethicor. ad Nicom.* 1. φόβον μειζόνων κακῶν dicit, et *eod. lib. cap. 9.* φόβον προσδοκίαν κακοῦ definit. Etsi autem huic voci patronum ex antiquis scriptoribus aduocare nullum possum, tamen non temere eam reiiciendam censeam, cum et in Excerptis veterum Glossarum legatur, *Malitas*, κακία, et analogica ratione formata sit a genitiuo *mali*, vt *bonitas*, *castitas*, *sanctitas*, et sexcenta huiusmodi a genitiuis singularibus adiectiuorum in *vs* facta. Ne dicam, multa in eandem terminationem

exeuntia

[12] *Positiones*, pro partibus, seu membris 326
dixit Vlpianus *in l. 1. §. 2. de Iustit. et Iure. Huius studii*, inquit, *duae sunt positiones*, id est, duo membra, duae partes: quasi diceret, in his duobus positum est Iuris studium.

[13] *Vrbanicianos milites*, pro Vrbicis dixit Paulus *in l. qui mittuntur. 35. §. 4. D. Ex quib.*

exeuntia antiquis vsitata fuisse, quae, quia vel deinde in desuetudinem abierunt, vel apud alios probatos scriptores, qui nunc supersunt, non leguntur, non minus insolentia videntur, quam *malitas*. Huiusmodi sunt v. g. *magnitas*, *acritas*, *angustitas*, apud Accium; *lubidinitas*, et *deliritas* apud Laberium; *concorditas* apud Pacuuium; *prodigitas* apud Lucillium; *pestilitas*, *maximitas*, et *differitas* apud Lucretium; *opimitas*, et *opulentitas* apud Plautum; et alia id genus apud alios, quae suppeditabit Nonius: quorum exemplo etiam *malitas* a Labeone dici notat Salmas. *ad Solin. pag. 26.* Non multum dissimilis est ratio vocabuli *sceleritas*, quod etiam Glossae habent, et ἀνομία exponunt de quo ac de sententia *d. l. 3. ff. de Bonis eor. qui ant. sent.* vid. rursum Ampl. Bynkersh. IV. *Obseru. 4.*

12 *Positiones*] Cuiacius *ad l. 115. de Verb. sign.* interpretatur situs, et veluti sedes, et hanc formam loquendi a Stoicis sumtam dicit, qui τόπυς appellent, quae alii genera, vel species, partes. Ita Diog. Laërt. *in Zenone Lib. VII. sect. 39.* scribit, partes tres Philosophiae, Physicam, Ethicam, et Logicam, ab Apollodoro τόπυς dictas esse, a Chrysippo εἴδη, ab aliis γένη. Vid. ibi Menag. et Casaubon. *ad Laërt. Chrysipp. Lib. VII. sect. 189.* Palladius *Lib. III. de Re Rust. Tit. 11.* non multum diuersa ratione hoc vocabulo vsus est, cum de vineis loquens: *Vineae*, inquit, *in prouinciis multis generibus fiunt. Sed optimum genus est, vbi vitis - Aliud genus est, in quo - Vltimae positionis vitis est, quae per terram proiecta discumbit.*

13 *Vrbanicianos*] Hoc ita factum est, vt *Germanicianus* apud Suetonium *Tiber. Cap. XXV. Vespas. Cap. VI.* et in Inscriptionibus, et *Dacicianus*, vel *Daciscianus*, apud Trebell. Poll. *Claud. Cap. XVII.* Locus Spartiani hic laudatus est *Caracall. Cap. IV.* Idemque rursus *vrbanicianos* memorat *Get. Cap. IV.*

327 *cauſ. maior.* Quo loco quidam habent *Vrbicis,*
alii *Vrbanis,* cum Vrbicis dici deberet, ſicut
Vrbicam procurationem dixit Idem Vlpianus *in
l. verum vel de dolo. 11. §. ex facto. 2. D. de
Minorib.* *Vrbanicianorum* quoque meminit
Spartianus in Caracalla: *Cum Chilo,* inquit, *ite-
rum Praefectus et Conſul ſublata veſte ſenatoria
nudis pedibus ab vrbanicianis raptus eſſet, Anto-
ninus ſeditiones compreſſit.* Sunt autem, quan-
tum coniicio, non Praetoriani milites (nam hi
extra Vrbem in caſtris Praetoriis manebant) ſed
[14] ſeptem illae cohortes ab Auguſto inſtitutae,
vt in vrbe excubarent, ad arcenda incendia, qui
Vigiles vocabantur, iisque praeerat Praefectus
328 Vigilum, *tit. tot. de Offic. Praef. Virgil.* Sueton.
in Auguſt Cap. XXX. Dion. *Lib. LV.* Strabo
Lib.

14 *Septem illae cohortes*] Pancirollus *Cap. V. Notit. Dign. Imper. Occid.* putat, *vrbanicianos* a Paulo dici milites cohortium vrbanarum, quas praeter cohortes praetorias, et cohortes vigilum ad defenſionem Vrbis inſtituit Auguſtus, de quibus Tacit. IV. *Ann.* 5. Dion. Caſſius *Lib. LV.* et Lipſ. *de Magn. Rom. I.* 4. Nam hae proprie vrbanae cohortes dicuntur, eoque nomine non ſolum a praetorianis diſtinguuntur apud Tacit. *l. d.* et I. *Hiſtor.* 87. et 89. ac Sueton. *Aug. Cap. CI.* (vbi non video quam rationem habeat, quod Torrentius vrbanas cohortes de cohortibus vigilum exponit) et Claud. *Cap. X.* Sed etiam a cohortibus vigilum apud Tacit. I. *Hiſt.* 20. et III. *Hiſt.* 64. Dubito tamen an *in d. l. 35. §. 4. Ex quib. cauſ. maior. vrbanicianorum* nomine ſolae cohortes vrbanae contineantur. Nam quod ibi *vrbanicianis* tributum eſſe dicitur, vt pro abſentibus Reip. cauſa habeantur, id etiam ad vigiles pertinere oſtendit Vlpianus *in l. 15. §. 3 D. ad Leg. Iul. de Adulter.* Et quemadmodum vrbani militis nomen non ſemper ad cohortes vrbanas coarctatur, ſed interdum etiam praetorias continet, vt docet Sauilius *ad Tacit. I. Hiſt. 4.* ita *vrbanicianorum* appellatio etiam ad alios videtur poſſe porrigi.

Lib. V. Geograph. Vlpianus in *Institutionib. Tit. III.*

EX SECVNDA PARTE, DE IVDICIIS.

[1] *Moderare*, pro moderari dixit Vlpianus *in l. nonnunquam. 72. §. vlt. D. de Iudic.* Contra *moderatur*, deponens passiue ponitur *in l. Pomponius. 15. de Negot. gest. Condemnatio moderatur*, inquit Paulus, pro modus condemnationi adhibetur. [2] *Insidiare*, pro insidiari Callistratus *in l. 28. §. 11. D. de Poen. Igni cremantur* 329
plaerumque serui, qui saluti dominorum suorum

T 5 *insidia-*

1 *Moderare*] Notum est verba in *or*, quae nunc dicuntur deponentia, olim non minus significatione, quam terminatione fuisse passiua: et quamquam deinde significationem illam deposuerunt, vnde et deponentia dicta sunt, tamen multa ex iis apud scriptores Latinos et significatione, et terminatione actiuorum inueniri, et saepe terminatione passiuorum ita efferri, vt primam suam et naturalem significationem passiuam retineant. Vid. Voss. *Lib. III de Analog. cap. 6.* et 7. Perizon. *ad Sanct. Mineru. Lib. III. cap. 2.* et *3.* Horum in numero sunt etiam *modero*, et *moderor*; *molio*, et *molior*; *demolio*, et *demolior*, vt ostendit testimoniis prolatis Voss. *l. d.* quae huc transscribere nihil attinet. De *demolio* agit etiam Brisson. *in Pareg. n. 56.* et de eodem, ac de *modero* Scip. Gentil. I. *Parerg. 18.* *Molio* etiam legitur apud Valer. Max. *Lib. V. cap. 10. Rom. 2. Ne quid mali fortuna moliret.* Ita e libro Danielis edidit Colerus. Plura huius generis adferuntur infr. *n. 13. hoc cap.* et inter ea, quae e *Parte V.* et *VII. Digestorum* congesta sunt.

2 *Insidiare*] Huius solum Callistratum auctorem laudat Voss. *l. d.* Scipio Gentilis *Lib. I. Parerg. cap. 18.* e Diomede, et Seruio ostendere conatur, veteribus etiam *insidio* vsitatum fuisse, quod Grammatici illi versum Virgilii *in I. Aen. 718.* ita legant:

—— —— *Inscia Dido*
Insidiat quantus miserae Deus:

Non

insidiauerint. Et [3] *demolire,* pro demoliri, Vlpianus *in l. qui domum. 50. ad Leg. Aquil.* Itemque Alfenus *in l. qui insulam. 30. in princ. Locati,* et *in l. haeres. 12. de Vsu et vsufr. leg.* et *in l. damni. 43. §. 1. de Damn. infect.* Rursus autem (*demoliri* passiue) Vlpianus *in l. nam si 37. de Damn. inf.* Et [4] *munerare,* pro munerari *in l. Diuus 6. ad fin. D. de Bonis damnat.* Itemque *remunerare,* pro remunerari, Idem Vlpian. *in l. idemque 10. §. vlt. D. Mandati.*

330 [5] Satis ineleganter dixit Papinianus *videtur videri in l. nam etsi. 15. in fin. de Inoffic. testam.* *Nec*

Non *insideat*, quod vulgatum ait esse in omnibus excusis. Ego apud Diomedem hoc non inuenio. Seruius Danielis autem, referente Vossio III. *de Analog.* 7. non se, sed quosdam ita legere dicit, aduersus quos disputat ibidem Vossius. Haloander apud Callistratum legit, *insidiati erunt.*

3 *Et demolire*] Haec plane perturbata legebantur. Nam illa, *Itemque Alfenus*, etc. ante *insidiare* scripta, et alia quoque ita inter se confusa erant, vt intelligi non possent: quae ita, vt hic leguntur, digessi, atque etiam duo haec verba, *demoliri passiue*, sententiae intelligendae gratia mihi addere licere existimaui.

4 *Munerare*] Haec est lectio Norica. Liber Florentinus, et Edit. Gothofr. ac pleraeque veteres *in l. 6. de Bon. Damn.* habent *munerari*, et *in l. 10. §. vlt. Mand.* *remunerari.* Quamquam si *munerare* dixisset Vlpianus, non solum Prisciani, Diomedis, Donati, et A. Gellii, verum etiam M. Tullii, et aliorum auctoritate defendi posset, quorum in Lexicis, quae in omnium manibus sunt, prostant testimonia. *Remunerare* autem et M. Cicero dixit *in Orat. post redit. in Senat. Cap. XII.* vt ibi Graeuius edidit, et Quintus *in libro de Petit. Consulat. Cap. IX.* et Quintilian. *Declam. II.*

5 *Satis ineleganter*] Geminatio quidem illa non ineleganitior est in verbis Papiniani, quam in hoc Plauti *Curcul II. 2. 10.* *Hac nocte in somnis visus sum viderier procul sedere longe a me Aesculapium.* *Videri* autem apud Papinianum accipio pro esse, vt in sententiis Magistratuum, et Senatuscon-

Nec absurdum, inquit, *videtur, pro parte intestatum videri.*

Enim, ſine vllo praepoſito, pro nam poſuit Iulianus [6] *in l. ſi tibi. 17. D. Quib. mod. vſusfr. vel vſ. amitt.*

Actiones aguntur, pro intentantur, inſtituuntur, dixit [7] Vlpianus *in l. vti frui. 5. §. in his autem.* 331

natuſconſultis, *videri feciſſe, videri eſſe,* pro feciſſe, eſſe, de quibus Briſſon. *de Formul. Lib. II. et V.* Scriptores Hiſtoriae Auguſtae multi ſunt in hac locutione. vid. Caſaubon. et Salmaſ. *ad Capitolini Verum Cap. IX. Viſum eſt nonnullis, non tamen Marco, quod eius fraude putaretur occiſus,* id eſt, eſſet occiſus: Et *ad Lamprid. Alex. Seuer. Cap. LIX. Quae ſemper etiam minuſculis Imperatoribus ſubiecta videbatur,* pro ſubiecta erat. Item Caſaub. *ad Capitol. Maximinos Cap. VI. Vt octo pedes digito videretur egreſſus,* pro eſſet egreſſus. Poteſt etiam hoc referri ad Papiniani modeſtiam in reſpondendo, cuius cum alia multa in Pandectis exempla ſunt, tum hoc *in l. 93. ff. de Condit. et demonſtr. Filii videri ſidei commiſiſſe placuit.* quod genus loquendi plane ſimile eſt ei, de quo hic agitur.

6 *In l. ſi tibi*] In Ed. Gothofr. nihil eſt in *h. l.* quod huc pertineat, in qua ita legitur: *Dum enim proprietatem adquiris, ius omne legati vſusfructus amiſiſti.* Giſanius *in Indic. Lucret. V. enim,* profert verba Pauli ad Labeonem *l. 28. ff. de Probation. Et hoc id eſt, quod Graeci dicere ſolent ἐν πλάτει: enim poteſt hoc memoria teneri.* Ita ille diſtinguendum cenſet hunc locum. Sed lectio incerta eſt, et varie conſtituitur a Iuriſperitis, vt videre eſt *in notis Gothofr. ad h. l.* qui edidit: *ἐν πλάτει enim poteſt hoc memoria non teneri.* Nec tamen Plautus, Terentius, Cicero, aliique hac particula ſine vllo praepoſito certa quadam ſignificatione vti refugerunt. vid. Taubm. *ad Plaut. Epidic. V. 2. 36.* I. Fr. Gronou. *ad Liu. XXXIV. 32.*

7 *Vlpianus*] *In his autem actionibus, quae de vſufructu aguntur, d. l. 5. §. 3. Si vſusfr. pet.* et, *Pignoris obligatio etiam inter abſentes recte ex contractu obligatur,* Modeſtinus *l. 23. §. 1. de Pignorib.* Voſſius *de Conſtruct. Cap. XXII.* haec refert ad genus illud Atticiſmi, quo verba quaedam regunt accuſatiuum ſuae originis, vel cognatae ſignificationis. Add. etiam alios, quos ibi laudat, et Vechner. *Hellenol. I. 22.*

autem. 3. D. Si vsusfr. petat. Sic et *obligatio obligatur,* pro contrahitur, Modestinus *in l. creditor. 23. in fin. de Pignorib.*

Protelari admonitionem, dixit Vlpianus (vel [8] Tribonianus potius, vt ad eum locum notaui) *in l. 2. §. in omnibus. 7. D. de Iudic.* pro differri iudicium, litem comperendinari, [9] diem iudicii esse diffusum. De cuius verbi significatione et nota vide plura apud Nonium Marcellum, Festum Pompeium, et Donatum: quorum nullus hanc ei significationem, aut non absimilem tribuit, praeter vnum Donatum, qui pro *protraho* dicit vsurpari. Sed [10] nec Terentius, nec
332 Plautus, nec Sisenna in Historiis, quos illi authores laudant, in eum sensum accipiunt.

In

8 *Tribonianus*] De hoc videbunt Legum Doctores. Vlpianus autem rursum *in l. 4. princ. D. de Damn. inf.* eodem modo loquitur: *Dies cautioni praestitutus*, inquit, *si finietur, Praetoris, vel Praesidis officium erit, ex causa vel reum notare, vel protelare eum.*

9 *Diem iudicii esse diffusum*] *Diffundi diem* dicendum censent Bud. *ad l. 2 ff. Si quis caution. in iudic sist.* et Brod. X. *Misc. 6. Diffindi* Politian. *Miscell. Cap. XLI.* Cuiac. XII. *Obseruat. 18.* Sigon. *de Iudic.* I. 28. et V. C. Iac. Gronou. *ad Gell. XIV. 2.*

10 *Nec Terentius*] De *protelum*, et *protelare* multa scripserunt Salmasius *in fin. Exerc. Plin.* Vossii, pater, et filius: ille *in Etymologico,* hic *ad Catullum pag. 131.* quae ibi legi possunt. Turpilius, et Sisenna apud Nonium, Plautus *argum. sec. Merc. vers. 12.* et Terent. *Phorm. I. 4. 36. protelare* dixerunt, pro propellere, perturbare. Quia autem, quae propelluntur, longius remouentur, hinc *protelare* etiam videtur dictum pro differre, protrahere, prolatare, qua significatione apud Fulgentium, Symmachum, Isidorum, aliosque recentiores scriptores saepe legi notauit Muncker. *ad Fulgent. Mythol. prolog. Lib. I.* et *cap. 6.* et *ad eiusd. Continent. Virgil. pag. 166.* Ex antiquioribus, qui ita illo vsi fuerint,

In l. 2. de Haeredit. petit. dixit Vlpianus, [11] *ſuo nomine effecti ſumus haeredes*, ſi Florentinum exemplar ſequimur. Rectius autem dixiſſet *noſtro nomine*, vt quidam legunt. Itaque notat illic Accurſius pronomina tertiae perſonae conſtrui cum prima perſona verbi pluralis numeri, et eam eſſe malam Grammaticam dicit. Idem porro erratum eſt *in l. nouare. 20. de Novationib. Nouare poſſumus*, inquit, *aut ipſi, ſi* 333
ſui iuris ſumus, pro noſtri iuris.

Vlpianus *in l. ſed et ſi. 7. § 6. de Publician. Publiciana*, inquit, [12] *ad inſtar proprietatis, non poſſeſſionis, reſpicit*, pro competit, datur.

[13] *Arbitrari* cum deponenti liter ſemper dicatur, paſſiue vſurpauit Vlpianus in *l. ſi quis ſepul-*

fuerint, nondum inueni. Vrſini quidem MS. Salluſt. *Catilin. Cap. XLIII.* pro *dies prolatando*, et *Iugurth. Cap. XXVII.* pro *prolatandis conſultationibus*, habebat *protelando*, et *protelandis*, idque Aldo magis olere antiquitatem videbatur, ſed ab aliis, vt ceterorum MSS. conſenſui repugnans, rectius reiectum fuit. Nec adſentior Scip. Gentili I. *Parerg. 36.* ſcribenti Iuriſconſultum antique locutum eſſe, cum *protelari* dixit, pro produci, ac protrahi: nam Varro, Lucillius, et reliqui Veteres, quorum teſtimoniis hoc confirmari putat, vocibus *protelum*, et *protelare* in aliam ſententiam vſi ſunt.

11 *Suo nomine*] Prope eſt, vt adſentiar Accurſio, quamquam alioqui harum rerum iudici non admodum idoneo. Nec iuuat illud Virgilii VI. *Aen. 743. Quisque ſuos patimur manes*: eſt enim ellipticum. Vid. ibi Cerdam. Haloander *in l. 2. de Hered. petit.* legit *noſtro nomine*.

12 *Ad inſtar proprietatis*] Alii hic *reſpicit* exponunt conſideratur. Graeci vertunt, *μίμησιν ἔχει δεσποτείας*. Ego ſermonem Iuriſconſulti non intelligo.

13 *Arbitrari*] Vid. ſupr. *n. 1. hoc cap. Arbitrari* paſſiue dictum eſſe a Coelio, Seneca, et Gellio oſtenderunt Voſſ. III. *Analog. 6.* et Ampl. Bynkerſh. I. *Obſeru. 25* add. Cicer. *pro Muren.*

sepulchrum. 12. §. 5. de Religios. et sumpt. fun. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus, vel dignitate defuncti, pro aestimantur, statuuntur. Itemque *in l. diem proferre. 27. §. si quis litigatorum. 4. D. de Recept. arbitr.* et quidem *arbitretur*, ponitur pro arbitrium fertur, ab arbitro iudicatur. Idemque verbum passiue, aut etiam impersonaliter vsurpauit Idem Vlpianus *in l. si cuius. 13. §. 1. D. de VSusfr.* Quo etiam loco in fine legis, siue capitis actiuum pro pas-
334 siuo posuit, [14] *lauet*, pro lauetur. Eiusdem modi est, quod verbum [15] *pollicetur*, cum sit deponens, passiue vsurpat Vlpian. *Actio*, inquit, *non pollicetur*, pro non promittitur, non proponitur, *in l. 1. §. sed ex contrario. 18. de Exercit. action.* vt quidem Florentinae legitur. Nam vulgati libri habent, *actionem non pollicetur*,

Muren. Cap. XVI. Frontin. *Strat. IV. 2. 2.* Quintilian. *Declam. CCCX.* et quae notantur *ad Plaut. Epid. II 2. 82. Arbitro* est apud Plaut. *Stich. I. 2. 87.* et *Pseud. IV. 2. 57.*

14 *Lauet, pro lauetur*] *Lauare* κατ' ἔλλειψιν pronominis, vel alterius partis, eadem significatione apud optimos linguae Latinae auctores dici, qua *lauari*, notius est, quam vt testimoniis probari debeat, quae si quis desiderat, adeat Voss. III. *de Analog. 3.* et Brisson. *in Lexic. Iur.* Sed tamen curiuscula videtur dictio Iurisconsulti *in l. d. si id* (balneum) *locare coeperit, vt publice lauet*, pro vt populus lauet, vel, vt publice lauent. Idque etiam Ampl. Bynkersh. putabat, qui conuenientius videri *lauent*, adscripserat.

15 *Pollicetur*] Ita etiam Metellus Numidicus apud Priscian. *Lib. VIII. pag. 792. Polliceo* Varro apud Nonium. Vid. Voss. *lib. d. cap. 6.* et 7 Participium *pollicitus* Ouidius passiua significatione saepe effert. Adi Heins. *ad Epist. Hypsip. vers. 110. Cur tua pollicito pondere verba carent?*

tur, ſcilicet Praetor. Sic et Paulus [16] *interpretantur* paſſiue poſuit, pro exponuntur [17] *in l. in teſtamentis. 12. de Reg. Iur.*

[18] *Geritionem pro haerede*, pro geſtionem dixit Vlpianus *in l. et ſi quis. 14. §. plerique 8. D. de Religioſ. et ſumpt. fun.* 335

[19] *Meliorare*, dixit Vlpian. pro meliorem facere *in l. ſi cuius. 13. §. inde 5. de Vſufr.*

[20] Non

16 *Interpretantur*] A Gellius *Lib. XV. cap. 13.* ex eo, quod Cicero *Lib. I. de Diuinat. interpretata* paſſiue dixit (reſpicit forte ad ea, quae leguntur *d. lib. cap. 52. Male coniecta, maleque interpretata falſa ſunt)* putat intelligi *interpretor* verbum commune eſſe. Nec improbat Voſſius III. *de Analog. 6.* Eadem ratione participio *interpretatus* rurſum vtitur Cicero *de Haruſp. reſp. Cap. XVII.* et II. *de Legib. 12.* item Liuius XLV. 29. et Sueton. *Neron. Cap. XIII.* Et *interpretatum eſt* ita dixit Salluſt. *Iugurth. Cap. XVII. interpretatum eſſe*, Cicer. I. *de Diuin. 25.* quae pleraque loca iam ab aliis obſeruata ſunt. Sed Cellarius *Cur. Poſter. Cap. VI.* dubitat, an florente Latinitate alio tempore huius verbi, quam perfecto, paſſiue vſi fuerint. Poſteriore autem aeuo frequentem fuiſſe etiam in aliis temporibus illum vſum exemplis confirmat.

17 *In l. in teſtamentis*] *In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur*, *d. l.* Saepe laudatus Senator Bynkersh. adnotauerat, *niſi ibi legamus, interpretamur:* quod ratione non caret. Nam et exigua mutatio eſt, et Iuriſconſulti hoc verbo plerumque ſignificatione deponentis vtuntur. Sed tamen et paſſiue ab iis dici inuenias, vt in hoc Macri *in l. 4. §. 1. D. de Appellat. Ita tamen, vt in cauſis appellationis reddendis hoc ſolum quaeratur, an iure interpretatum ſit:* quomodo etiam apud Marcellum *in l. 24. de Reb. dub. interpretari* accipiendum exiſtimat P. Faber *ad l. 12. de Reg. Iur.* Itaque fortaſſis nihil mutandum eſt.

18 *Geritionem*] Hoc ſolius Vlpiani auctoritate laudatur.

19 *Meliorare*] Inter verba Latinitatis cadentis recenſet Cellar. *Cur. Poſt. Melioreſco*, quod hic e Colum. *Lib. II. cap. 10. in fin.* refertur, vbi tamen aliae Edd. habent *melior exit*, etiam in Gloſſis Vet. legitur, item *melioratio*.

[20] Non minime quam quod Columella *meliorescit* vsurpauit, pro melior efficitur. *Napus,* inquit, *glareosis, sabulosisque aruis meliorescit.*

[21] *Praeualentiam,* pro conditione plus valendi, et praestantia dixit Paulus *in l. in rem. 23. §. in omnibus 4. ff. de Rei vindicat.*

[22] *Ducatorem* quoque, pro ductorem dixit
336 Vlpianus, (siquidem [23] Florentinum exemplar sequimur) *in l. quemadmodum 29. §. si nauis 4. ad Leg. Aquil.*

EX

20 *Non minime quam quod*] Ita editum erat, haud dubie culpa typographorum. Quid scripserit Auctor, diuinare non facile est.

21 *Praeualentiam*] Nec hoc apud alium legi. *Valentia* Naeuius, ac Titinnius dixerunt apud Nonium: *inualentia* A. Gellius *Lib. XX. cap. 1.* quod tamen, tamquam ab illo noue vsurpatum, improbat Scioppius *Indic. de Styl. histor. pag. 170.*

22 *Ducatorem*] Stewech: *ad Veget. Lib. I. cap. 13.* hoc firmat auctoritate Glossarum vet. Ampl. Bynkersh. IV. *Obseru. 17.* Tertulliani esse ostendit, nec vetustior his auctor profertur. Alpheno quidem, qui sub Augusto floruit, adscribit *l. d.* Stewech. sed hoc pro certo adfirmari non potest, cum Vlpianus Alpheni sententiam suis verbis exposuisse potuerit. *Ducatrix* apud Apuleium *Lib. II. de Doctr. Platon.* legitur in plerisque Editt. *Vitiorum ducatrices iracundia, et libido.* Ita Scaligerum emendasse e MS. notat Colvius, pro *ductrices,* vel *doctrices,* quae antea ibi legebantur.

23 *Florentinum*] Nam in aliis *ductorem* esse notat Gothofr.

EX TERTIA PARTE, DE REBVS CREDITIS.

[1] *Contrahere alicui*, pro cum aliquo dixit Vlpianus *in l. quamuis 8. §. 14. D. ad Senatusc. Vellei. Si, cum essem tibi contracturus, mulier interuenerit, vt cum ipsa potius contraham.* Sed et *contineri* cum datiuo posuit Idem Vlpianus *in l. 3. in princ. Vsufructuar. quemadm. cau.* cum 337
tamen ablatiuo iungi soleat. *Omnes casus*, inquit, [2] *continentur huic stipulationi* (siquidem Florentinum exemplar sequimur) pro hac stipulatione. Itemque *in l. 5. princ. illo eod. tit.* Caeterum permultas alias ἀντιπτώσεις, a Consultis nostris vsurpatas, collegit Vir doctiss. Dn. B. Brissonius *in Parergis*, ad quem lectorem remitto.

Reprae-

1 *Contrahere alicui*] Non habeo aliam auctoritatem antiquorum, qua hoc confirmem. Videtur tamen referri posse ad eam formam loquendi, qua verba quaedam, in primis coniungendi, ac miscendi significationem habentia, et datiuo iunguntur, et ablatiuo cum praepositione, de quibus Voss. *de Construct. Cap. XXXVII.* Sic *constituere alicui*, et *cum aliquo*, apud Terentium, Ciceronem, et alios, quos laudat Gronou. I. *Obseru. 1. seruare fidem alicui*, et *cum aliquo*, Plaut. *Cap. V. 1. 10.* et *Curcul. I. 2. 49. nubere alicui*, et *cum aliquo*, Cicer. XV. *Famil. 3.* Terent. *Phorm. V. 3. 34. conuenire alicui*, et *cum aliquo*, Hygin. *Fab. CV.*

2 *Continentur huic stipulationi*] Haloand. *hac stipulatione.* Brissonius *in Parergis* praeter hunc locum quatuor alia e Pandectis profert, vbi verbum *contineo* datiuo iungi ait, e quibus in Edd. Gothofredi tria aliter leguntur. Si quis tamen hoc ratione antiptoseos defendi posse existimabit, ne exempla illius desint, adeat Nonium *in fin. Cap. IX.* et Muncker. *ad Hygin. Fab. XV.* Huc pertinent exempla casus sexti pro tertio, quae e Pandectis Florentinis IV. *Obseru. Iur. Rom. 25.* notauit Ampl. Bynkershoekius.

Repraestauerit, scripsit [3] Paulus *in l. Lucius Titius. 47. D. de Action. empt.* siquidem Florentinum illud exemplar probatissimum sequimur, pro praestiterit, praestauerit, aut repraesentauerit, quod alii substituunt. Simile est *in l. mulier. 22. in princ ad Senatusc. Trebell.*

338 Sed et [4] *incestum* neutro genero dixit Papinianus *in l. vlt. in fin. de Condict. sine caus.* vt quidem Florentiae legitur. Itemque Martianus *in l. si quis viduam. 5. de Quaestion.* Vlpianus quoque *in l. etiamsi. 56. de Ritu nupt.* Idemque *in incesto,*

3 *Paulus*] Et *repraestandum* Vlpianus *d. l. 22. ad SC. Trebell.* Cuiacius III. *Obseru. 15.* legendum censet *repraesentauerit*, et *repraesentandum.* at rursus XIII. *Obs. 35.* vtriusque loci Florentinam scripturam magis probat, neque tamen vllum pro ea ex antiquitate testimonium profert. Ac ne hoc quidem satis certum est, an recte dicatur *praestaui*, pro *praestiti.* Nam loca Propertii II. *El. 34.* (al. 25.) 53. Vegetii *Lib. I. cap. 1.* et Ammiani Marcellini *Lib. XXXI. cap. 11.* e quibus hoc probari putant Voss. III. *Analog. 20.* et Morhof. *in Epistola ad Iuuenem cum Professoribus suis de Latinitate in Digestis litigantem*, controuersa sunt, et varie leguntur tam in scriptis, quam in editis. Nec multum iuuat hoc Festi: *Adstassent, statuerunt:* cum nec auctorem suum laudet, et alterutram harum vocum corruptam esse apertum sit.

4 *Incestum neutro genere*] Etiam Brissonio *in Parergis* animaduertendum visum fuit, apud Iurisconsultos *incestus*, et *incestum* inueniri, quasi et hoc ad singularia illorum pertineret. Aliter sentit Vossius, qui cum *Lib. I. de Anal. cap. 36.* hanc vocem in catalogo eorum, quae in *us* et *um* exeunt, praetermisisset, *in Addendis* adscripsit, satis notum esse. Sic, si quis forte exempla requirat, *incestu* dixit Cicer. *Partit. Orat. Cap. XXXIV.* et *pro Milon. Cap. XXII.* et Liu. *Lib. IV. cap. 44.* *Incesti* Liu. II. 42. *Incesto* Id. VIII. 15. *Incesta* Cicer. IV. *Tusc. 35.* *Incestis* Id. II. *de Legib. 16.* eaque declinatio est omnibus locis, quae hic, et a Brissonio *l. d.* et *in Lexico* e Iurisconsultis proferuntur. Nec aliter fere Tacitus, ac Suetonius loquuntur.

inceſto, pro inceſſu, ſecunda declinatione pro quarta protulit *in l. 4. de Quaeſtion.* et [5] *in l. vim paſſam. 39. §. pen.* et *vlt. ad Leg. Iul. de adulter.* Itemque Papinianus *in l. ſi adulterium cum inceſto. 38. in princ.* et *in l. vlt. illo eod. tit.* Simile eſt, quod [6] *abortum*, pro abortu dixit Vlpianus *in l. cum quidam. 30. §. 4. de Adquir. haered. abortum factum eſt*, pro abortum fecit. Itemque quod [7] *lectum* neutro genere pro maſculino: nempe *legatum lectum*, pro legatus lectus 339
dixit Vlpianus *in l. librorum. 52. in fin. de Legat. 3.* et *in l. cum aurum. 19. §. lectum. 8. de Auro et argent. leg.* Et [8] *concordium*, pro concordia, Idem Papinianus *in l. ſi liberis. 27. de Pact. dot. tanquam venali concordio*, Fl. vbi alii Codices habent *concordia*. Item *alimonia, orum*, Paulus

5 *In l. vim paſſam*] Haec quoque Papiniani eſt, non Vlpiani.

6 *Abortum*] Gothofred. huic patronum aduocat Feſtum, apud quem ita ſcriptum eſt: *Abortum grauidae mulieris dicitur, quod non ſit tempeſtiue ortum.* Eſt etiam in Gloſſis: *Abortum*, ἔκτρωμα. Et ibid. inter ea, quae Latine neutro, Graece foeminino genere efferuntur: *Hoc abortum*, ἡ ἔκτρωσις.

7 *Lectum*] Voſſius ſolius Vlpiani auctoritate inter ea recenſet, quae *us* et *um* in fine habent: nec ab aliis teſtimonia vetuſtiorum citari video. Gloſſae rurſus: *Lectum*, κλίνη.

8 *Concordium*] Giſanius *in Indic. Lucret. V. arteria*, exiſtimat hoc ſatis defendi poſſe exemplo aliorum, quae in *a* et *um* deſinunt, quae ratio mihi non ſatis firma eſſe videtur. Ampl. Bynkerſh. putabat vitio ſcribentis legi *concordio*, pro *concordia*, quod Haloander edidit.

lus [9] *in l. mutus. 73 §. 1. de Iure dot.* Et [10] *papyrum,* neutro genere, pro papyrus. *Chartis legatis,* inquit Vlpianus *in l. librorum. 52. §. chartis. 6. de Legat. 3.* papyrum non continebitur. Et [11] *caſtelli*, pro caſtella, Idem Vlpian. ex iisdem Pandectis Florent. *in l. caetera. 41. §. ſed*
340 *ſi. 10. de Legat. 1.* Quae quamquam et Latina ſunt [12] et recepta, tamen huc retuli, quia Valla ea incaſtigata non praeteriiſſet, ſi aduertiſſet.

Affectionem [13] *amicalem,* pro amantem, et beneuolam dixit Vlpianus *in l. idemque. 10. §. ſi quis*

9 *In l. mutus*] Et *in l. 4. ff. de Agnoſc. et al. lib.* Briſſonius *in Parerg.* oſtendit *alimonium* Varronis eſſe *lib. I. de Re Ruſt. cap. 8.* et *lib. III. cap. 16.* cui Vitruuium iungit Voſſius. Add. Tacit. XI. *Annal. 16.* Iſidor. XX. *Orig. 2.* inter *alimoniam*, *alimentum*, et *alimonium* nimis quam ſubtiliter diſtinguit.

10 *Papyrum neutro genere*] Celſus *Lib. V. de Medicin. cap. 28. ſect. 12. papyrum intortum*, et Plinius *in Hiſtor. Nat.* compluribus locis eodem genere. Vid. Voſſ. *in Addend. ad Lib. I. de Anal. cap. 36.*

11 *Caſtelli*] Gothofr. *caſtella* edidit: et ita Plinius, Vitruuius, et Frontinus *in libro de Aquaeductibus* ſemper loquuntur, item Feſtus in V. *diuidicula.* Tamen etiam *caſtellus*, quod Florentiae eſt, ſaltem poſterioribus temporibus, dictum fuiſſe, non abſurde ex eo colligas, quod Graeci recentiores receptacula illa aquarum καϛέλλυς vocant. Vid *Gloſſar.* Meurſ. et Cang. Sed et in Gloſſis Vet. eſt: *Caſtellus*, Φρέριον.

12 *Et recepta*] Hoc de *abortum*, *lectum*, *concordium*, et *caſtellus* credam proferenti teſtimonia ſcriptorum veterum.

13 *Amicalem*] Ita eſt in Florent. in aliis, *amicabilem*, quod Plauti auctoritate probant H. Steph. *de Latinit. falſ. ſuſp. pag. 76.* Goclen. II. *Problem. Grammat. 57.* Voſſius IV. *de Vit. Serm. 31.* et II. *de Analog. 33.* Locum Plauti non deſignarunt; ſed reſpiciunt, ni fallor, ad *Milit. IV. 4. 8.* vbi Camerarius, Lambinus, aliique ediderunt: *Vos modo porro, vt occepiſtis, date operam amicabilem.* Verum Lipſius I. *Antiq.*

quis ea. 7. Mandati. Est verum, inquit, *eum, qui non animo procuratoris interuenit, sed affectionem amicalem promisit in monendis procuratoribus, et in regendis consilio, mandati non teneri.*

Abundare, [14] pro superare, et praetergredi dixit Neratius *in l. si fundum. 35. Mandati. Vt* 341 *non abundet,* inquit, *mandati quantitatem,* pro vt non superet, vel egrediatur.

[15] *Antidotus,* masculino genere, et *antidoti,* numero plures significante, dixit Caius *in l. quod*

 saepe.

Antiq. Lect. 13. e libris Vaticanis emendauit *adintabilem;* quod etiam Taubmannus, Pareus, et Gronouius in contextum receperunt. Alii MSS. aliter ibi legunt; sed quia tamen constat variare illius loci lectionem, nihil in eo praesidii potest esse voci *amicabilis.* Nec auctoritas Glossarum vet. in quibus ea legitur, impedit, quo minus inter vocabula recentioris Latinitatis referatur.

14 *Pro superare*] Etiam alii Latini scriptores hoc verbo nonnumquam significatione non dissimili vtuntur, vt cum de fluminibus super ripas effusis dicit Lucret. VI. 265.

Nec tanto possent haec terras opprimere imbri,
Flumina abundare vt facerent.

Et Virgil. I. *Georg. 116.*

—— *Incertis cum mensibus amnis abundans Exit.*

Sed haec multum differunt a sermone Neratii, qui non absolute, vt illi, sed adiecto casu, *abundare quantitatem,* dixit, cuius exempla alibi, quod quidem sciam, non leguntur.

15 *Antidotus masc. gen.*] *Vt ex his antidoti, et alia quaedam salubria medicamenta conficiantur,* Gaius *in d. l. 35. Hoc antidotum* dicunt Cels. V. *de Medic. 27.* Plin. XXIX. *H. N. 1.* Iustin. XXXVII. 2. et Paulus *in l. 5. princ. ff. de Penu leg. Haec antidotus* Gell. XVII. 16. Seren. Samonic. *pag. 28.* et *35.* Ed. Keuchen. idque solum videtur probare Caper Grammaticus. Vid. Voss. I. *de Analog. 36.* Hoc autem etiam secundae declinationis esse, liquet e priore loco Sereni, in quo est, *antidotos Ponticos.* Itaque parum recte scribit Auctor, omnes scriptores Latinos dicere *antidota* neutro genere, et Gaium *antidoti* masc. gen. efferre: nam de genere e verbis Gaii nihil colligi potest.

ſaepe. 35. §. 2. *de Contrah. empt.* ſiquidem Florentinum exemplar ſequimur: cum alii Codices, et omnes Latini autores *antidota* neutro genere dicant.

EX PARTE QVARTA, DE PIGNORIBVS.

Conſanare dixit Vlpianus *in l. item Offilius.* 10. *pr de Aedil. Ed.* pro conſaneſcere, ſanari, ad ſanitatem redire. *Si homini,* inquit, *digitus*
342 *ſit abſciſſus, membriue quid laceratum, quamuis conſanauerit, ſi tamen ob eam rem eo minus vti poſſit, non videri ſanum eſſe.* Quo loco ſi vna litterula dempta [1] *conſanuerit* legeretur, elegantius, et latinius diceretur. Sed repugnant vetuſta exemplaria, licet quaedam habeant *conſolidauerit.*

[2] *Cura-*

1 *Conſanuerit*] Ita etiam Gifanius *in Obſeruationibus Ling. Lat.* legendum ſuſpicatur, a *conſaneſco*, quo ſaepe vtuntur Celſus, et Columella. Celſus *Lib. VII. cap.* 12. *ſect.* 4. *Et plerique quidem, vbi conſanuerunt, loquuntur.* Colum. IV. 27. *Celeriter conſaneſcit.* Et *ſaneſco* Iidem compluribus locis. vid. Celſ. V. 26. 6. Colum. VI. 7. Apud Ciceronem quoque IV. *Famil. ep.* 6. *Hoc tam graui vulnere etiam illa, quae conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt.* Ita ibi plerique docti malunt, non *conſenuiſſe*, quod probat Manutius. Et Gronouius ibi *h. leg.* laudans *conſanuerit* in ea legit, non *conſanauerit..* Sic *reſanuit* apud Ouidium I. *Amor.* 10. 9. et II. *Amor.* 9. 27. e ſcriptis reſtituit Idem Gronou. II. *Obſeru.* 21. quorum lectionem priore loco etiam Heinſius ſequitur. *Conſanare* quidem etiam Columella dixit, ſed alia ratione quam Vlpianus: nam actiue effert *Lib IV. cap.* 29. *Frigoribus omnis ſurculus rigore torpet, nec propter gelicidia corticem mouet, vt cicatricem conſanet.* Et paſſiue *Lib. IV. cap.* 24. *in fin. Nec plagae conſanentur.* Apud Plinium tamen *Lib. XXIV. H. N. cap.* 10. *praeſanauere* eadem forma legitur, qua apud Iurecconſultum *conſanauerit: Cortex eius interior cicatrices, quae praeſanauere, aperit.* Sed variare huius loci ſcripturam adnotatum eſt ab Editoribus. Haloander *in d. l.* 10. pro *conſanauerit* edidit *conſolidauerit.*

[2] *Curacem*, vel, vt eſt Florentiae, *curracem* dixit Caius *in l. ſi quid. 18. in princ. de Aedil. Edict.* pro ſollicito, et diligenti: itemque [3] *vigilacem*, pro vigilanti: inſolenter ſane. Caeterum quidni id liceat, ſicut *emacem* et *vendacem* dixit Cato *Cap. II. de Re Ruſtic.* 343

[4] *Excuſſatum*, pro excuſſo, vel diſcuſſo poſuit Paulus *in l. Lucius Titius. 46. §. cum teſtamento. 6. de Admin. tutor.* *Cum Magiſtratus*, inquit, *plures tutores dant, non prius ad eos reuerti pupillus poteſt, quam omnes tutores excuſſati fuerint.* Vbi quidem Codices habent *ex-*

2 *Curacem*] Hoc videtur placere Scip. Gentili *ad Apul. Apolog. n. 599.* et ita etiam Heinſius *ad Ouid. II. Amor. 6. 23.* ex *h. l.* laudat. at *curracem* Idem Gentilis I. *Parerg. 17.* probat auctoritate Ruffini, Interpretis Ioſephi. Sed hoc diu ante Ruffinum vſum fuiſſe Gratium *in Cyneg. v. 89.* docuit Voſſius II. *de Analog. 33.* qui et Gloſſarum teſtimonium citat.

3 *Vigilacem*] Voſſius III. *de Vit. Serm. 55.* hoc ex Sidonio adferens ad infimam aetatem Latini ſermonis reiecerat. Gentilis *l. d.* a Scaligero Propertio *in IV. El. 7. 15.* reſtitutum obſeruat, cui Borrich. *in Cogit. de Ling. Lat.* Columellam VII. *de Re Ruſt. 12. et VIII. 2.* addidit. Etiam Heinſius hanc vocem *in Ouid. II. Metam. 779.* et Broekhuſ. *in Tibull. IV. Eleg. 6. 11.* repoſuerunt, pro *vigilans.* Vid. praeterea, quae notauit Heinſ. *ad Ouid. II. Amor. 6. 23.* et Ampl. Bynkersh. I. *Obſeruat. 25.*

4 *Excuſſatum*] Gothofr. *l. d. excuſati.* Et ſic eſt in Pand. Flor. pro quo Taurellus monet ſe reſtituiſſe, et edidiſſe *excuſſati.* Sane *excuſati* non videtur conuenire rei, de qua ibi agitur. *Excuſſare* autem etſi nulla auctoritate veterum poſſum defendere, tamen neque analogia obſtat, quo minus ab *excutere* dicatur *excuſſare*, vt a *quatere quaſſare*, a *concutere concuſſare*, a *ſuccutere ſuccuſſare*: et frequentatiua forma verborum, obſeruante Scaligero *ad Varr. princ. Lib. I. de Re Ruſt.* crebro vtebantur veteres, vt *dolitare*, *tortare*, *reperitare*, *extentare*, quae apud Catonem, Varronem, et Lucretium leguntur, et alia apud alios, quae vid. in Gifanii *Indic. Lucret. V. frequentatiuis.*

cuſſi, id eſt, quam diſcuſſerit eorum facultates, et eos non ſoluendo eſſe apparuerit.

Mutuare et *mutuari*, pro eodem poſuit Vl-
pianus, et quidem vno in loco, nempe *in l.* 3.
344 §. *1. de Contrar. tut. et vt. act.* Vtrumque vero
non pro mutuum dare, foenerari, [5] vt vulgo
ſumi ſolet, ſed pro mutuam pecuniam accipere,
foenori ſumere. *Conſequitur autem pecuniam*
(et loquitur de tutore contraria tutelae actione
experiente) *ſi quam de ſuo conſumpſit, etiam cum
vſuris, ſed vel trientibus, vel his, quae in regione
obſeruantur, vel his, quibus mutuatus eſt (ſi
neceſſe*

5 *Vt vulgo ſumi ſolet*] Non puto verum eſſe, quod ſentire videtur Auctor, et *mutuare*, et *mutuari* eſſe *mutuum dare*, non accipere. Recentiores quidem *mutuare* dixerunt, pro *mutuum dare*, ſed antiquis illud idem erat, quod *mutuari*. vt docent Voſſ. *lib. I. de Vit. Sermon. cap. 34.* et Salmaſ. *de Vſur. Cap. I. pag. 13.* *Mutuari* autem apud omnes eſt *mutuum accipere*, non *dare*, quod teſtimoniis probari, cum notiſſimum ſit, nihil attinet. Beroald. ad Apulei. I. *Metam. Mutuari*, inquit, *non ſignificat mutuam pecuniam dare. vt ſemidocti literatores opinantur; ſed mutuum ſumere.* Hos ſi intellexit Noſter, cum vulgo ita ſumi ait, non recte notauit Vlpianum, qui eos ſecutus non fuerit. Praeterea in eo quoque parum recte mihi loqui videtur, quod *mutuum dare* idem eſſe putat, quod *foenori dare*, et *mutuum accipere*, quod *foenori accipere.* Id enim non modo Iuri Ciuili, quo, ſi recte memini, vſurae (quae hic nihil differunt a foenore) non ex mutuo, ſed e ſtipulatione adiecta debentur; verum etiam ſcriptorum veterum, et Grammaticorum auctoritati repugnat, e quibus *mutuum ſumere*, et *foenore ſumere* diuerſa eſſe ſcimus. Plautus *Aſinar. I. 3. 95.* *Nam ſi mutuas non potero* (ſumere viginti minas) *certum eſt ſumam foenore.* add. Terent. *Phorm. II. 1. 69.* et Non. Marcell. V. *mutuum.* Denique pro *foenori ſumere*, cum Plauto, Terentio, aliisque probatioribus, malim dicere *foenore ſumere.*

necesse habuit [6] *mutuare, vt pupillo ex iusta causa prorogaret) vel his, quibus pupillum liberauit.*

[7] *Foedus,* pro foeditate et re foeda dixit 345
Paulus *in l. senatoris.* 47. *de Ritu nupt.* ibi de

6 *Mutuare*] Gothofred. *mutuari.* Nec tamen, si *mutuare* dixisset Iurisconsultus, quidquam peccasset: cum etiam *mutuare* sit *mutuum sumere*, vt dixi.

7 *Foedus*] Hoc alibi ea significatione non reperiri, et a quouis alio potius, quam a Paulo, profectum arbitror. Elmenhorst. *in Indic. Apul.* inter alia loca veterum, in quibus *foedus* est matrimonium, de quo nemo dubitat, etiam *h. l.* profert, et non audire se illos ait, qui ibi *foedus* interpretantur *scelus.* Debuerat igitur docere, quid ibi esset *foedus.* Nam si pro matrimonio accipiendum putat, ego quidem non magis illum audio, quam ipse alios: cum nullam aliam in verbis *d. l.* sententiam perspicere possim, quam non habendum honorem filiae Senatoris, quae tantam in se turpitudinem admisit, vt quaestum corpore, vel artem ludicram fecerit, vel crimen commiserit, e quo iudicio publico damnata fuerit: ideoque eam impune libertino nubere. Ampl. Bynkersh. ad marginem notarat, lectionem corruptam videri, et in libro Charondae esse, *quae in tantum se deduxit foedius*, id est, quae tanto se gessit foedius, quam si libertino nupsisset. Idemque praeterea et haec adscripserat: *In tantum se deduxit foedius*, fore, tanto magis ab honestatis tramite deflexit: locutione, vt videtur, haud absimili illi, qua Tertullianus vtitur ad Vxorem *Lib. I. cap. 9. Per otium se veritate deducunt*, id est, deflectunt. Eaque significatione *deducendi* vocem forte Persio vsurpatam *Sat. V.* 35.

> —— *Et vitae nescius error*
> *Deducit* (ita ibi legunt quidam libri, quod in aliis est *diducit*) *trepidas ramosa in compita mentes.*

De muliere etiam Iustinianum dixisse *in tantum dedecus sese prodere l. vn. §. 2. Cod. de Rapt. virg.* Quibus addi possunt haec non multum diuersa a Iustiniani locutione Valer. Max. *Lib. III. cap. 4. princ. In aliquod deuoluti dedecus*, et Quintilian. *Declam. CCLX. Si in latrocinia se praedasque miserint.* Sed ex his vt forte defendi possit phrasis *deducere in se dedecus*, pro turpiter se gerere, dedecus admittere; tamen nondum liquere puto *deducere se* absolute, et non adiecto eo, in quod quis se deducit, dici posse pro gerere se, vti id exponen-

Senatoris filia, quae corpore quaestum fecit, loquens. *Nec enim*, inquit, *honos ei seruatur, quae se in tantum foedus deduxit*, si Florentinum exemplar sequimur, cum alii Codices habeant *scelus*.
346

[8] *Vinarium*, pro vinoso et ebrioso vsurpauit Vlpianus *in l. ob quae. 4. §. 2.* et *in l. aediles. 25. §. 6. de Aedil. Ed.* Cum Plautus *Asinar. II. 4. 30.* Tranquillus *Claud. Cap. XL.* et Lampridius *Alex. Seuer. Cap. XXXIII.* verbum id pro vini venditore et propola vsurparint, *tauernier, vinotier*.

[9] *Metuiri*, pro metuendum esse dixit Mo-
347 destinus *in l. fideiussor. 26. §. 1. de Pignorib.*

[10] *Inno-*

exponendum videtur in ea lectione, quam habet liber Charondae. In Haloandr. *h. l.* legitur *scelus*: quod suppositum videtur ab iis, quibus non placebat *foedus*.

8 *Vinarium*] H. Stephan. *de Lat. fals. susp. pag. 123.* scribit, se aliis quaerendum relinquere, an ita liceat loqui cum Vlpiano. Scio equidem *vasa vinaria*, *vtres vinarios*, *vrnas vinarias* recte dici, quibus vinum continetur; sed *vinarium* pro homine vinoso nusquam legi, nisi apud Vlpianum, et in Glossis vet. in quibus est: Οἰνοπότης, *vinarius*.

9 *Metuiri*] Ant. Augustin. *Lib. II. Emend. cap. 2.* corruptum esse putat in libro Florent. pro *metui*. Scaliger ad Catull. *Epigr. LXXVII.* scribit METVIRI ibi esse *metutum iri*, e more scripturae illius libri, scil. vt *datuiri*, *restituiri*, *debituiri*, et plura eiusdem generis, quae recenset *l. d.* Ant. Augustin. Quae sententia fortassis non est improbanda Nam antiquos dixisse *metutum* apparet, vt Vossius III. *de Analog. 32.* obseruat, ex hoc Lucretii V. 1139. *Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.* Itaque si quis ita verba Iurisconsulti accipiat: *Quaerebatur an Seius hanc domum optimo iure possidere possit, nec metutum iri* possit (hoc enim ex superioribus reperi nihil vetat) *ex hoc solo*, et quae seqq. non video, quid in iis insit, quod magnopere a ratione Latini sermonis abhorreat. Nec enim aliter dicitur, *potest iri metutum*.

[10] *Innotuit tutor*, pro tutori innotuit, actiua pro deponenti significatione Vlpianus *in l. ita autem. 5. §. vlt. de Administr. tutor.*

Manifestus est [11] soloecismus a Callistrato admissus *in l. non tantum. 17. §. 2. de Excusation. tutor.* 348

metutum, quam *oportet iri concessum* apud Ciceronem, et alia id genus, quae habet Sanctius III. *Mineru. 11.* et ibi Cl. Perizonius. Atque haec quidem pro confirmanda opinione Scaligeri dici posse existimo: nec tamen dissimulabo mihi totam huius legis dictionem incultam, et horridiorem quodammodo videri. Haloander hic edidit, *nec metuere debeat.*

10 *Innotuit tutor*] Verba *d. l. 5. §. vlt.* in Ed. Gothofr. haec sunt: *Ex quo innotuit tutori, se tutorem esse, scire debet periculum tutelae ad eum pertinere. innotescere autem qualiter qualiter, sufficit, non vtique testato eum conueniri. nam etsi citra testationem, scilicet vndecunque, cognouit: nulla dubitatio est, quin debeat periculum ad ipsum respicere.* Florent. *innotuit tutor*, quod qua ratione intelligi, exponiue possit, equidem non animaduerto: altera autem lectio plana est, in qua quod primo dicitur *innotuit tutori*, mox alio verbo idem significante exponitur, *cognouit.* Scip. Gentilis I. *Parerg. 6.* putat haec verba, *se tutorem*, a glossa esse, legendumque, *ex quo innotuit tutor esse*, more Graecorum, vt in illo Vlpiani *in l. 3. §. 1. ff. Naut. caup. stabul. Vt innotesceret Praetor curam agere reprimendae improbitatis hoc genus hominum*, pro vt innotesceret Praetorem curam agere. Cuiusmodi etiam sunt haec eiusdem Vlpiani *l. 22. §. 8. D Solut. matrim.* quae tamen ab alia manu subiecta esse dudum sibi deprehendisse visi sunt Iurisconsulti doctissimi: *Nullamque ei competentem curam inferre manifestissimus est.* Et *ibidem*: *Sin vero dotem ita dissipaturus, ita manifestus est, vt non hominem frugi oportet.* Salmas. *ad Capitol. Maxim et Balbin. Cap. II.* et *ad Vopisc. Aurelian. Cap. XXXVIII.* ait *in d. l. 3. §. 1. Naut. caup. stabul. innotescere* positum esse pro notum facere, vt *insuescere* pro insuefacere, *requiescere* pro quietum facere, et ea significatione *innotescere* a recentioribus quibusdam vsurpatum ostendit Mancker. *ad Fulgent. Contin. Virgil. pag. 141.* Malim tamen adhaerere illi sententiae, quae Hellenismum in verbis Vlpiani *in d. l. 3.* statuit.

11 *Soloecismus*] In Florentino libro, cuius lectionem Gothofredus secutus est, hic locus ita legitur: *Eos, qui in corpori-*

tutor. Eos, inquit, *qui in corporibus ſunt, quosque immunitatem habere diximus, etiam circa tutelarum extraneorum hominum habebunt excuſationem.* Vbi accuſatiuum *eos* pro nominatiuo *ii* poſuit. Aut ἀντίπτωσιν eſſe dicamus, cum caſus pro caſu ponitur, veluti [12] in illo Virgilii verſu I. *Aen.* 573.

Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt.

Simile eſt *in l. interdum.* 21. *de Adquir. poſſeſſ.* vbi genitiuus pro accuſatiuo ponitur. *Interdum,* inquit Iauolenus, *eius rei poſſeſſionem, cuius ipſi non habemus, tradere poſſumus.* Quamquam excuſari poteſt hoc modo, *cuius* [13] ſcilicet rei, *ipſi non habemus*, ſcilicet poſſeſſionem.

corporibus ſunt, veluti fabrorum, immunitatem habere dicimus, etiam circa tutelarum exterorum hominum adminiſtrationem habebunt excuſationem; in qua oratione nihil ſoloeci ineſt. Lectio ab Auctore expreſſa referri poteſt ad Anacoluthon, quemadmodum et hoc Marciani *l. 114. §. 14. D. de Legat. 1. Diui Seuerus et Antoninus reſcripſerunt, eos, qui teſtamento vetant quid alienari, nec cauſam exprimunt, propter quam id fieri velint,* etc *nullius momenti eſſe ſcripturam,* de quo vid. Clar. Perizon. *ad Sanct. Mineru. Lib. IV. cap. 12*

12 *In illo Virgilii*] Hoc non eſt ſimile ſuperiori. Nam ex canone Grammaticorum ita expletur: *ea vrbs, quam vrbem ſtatuo, veſtra eſt:* quae ellipſis ad hunc locum explendum non conuenit.

13 *Scilicet rei*] Recte ita exponitur. Plura eiusdem locutionis exempla qui deſiderat, adeat Cl. Perizon. *l. d.*

349 EX PARTE QVINTA, DE TESTAMENTIS.

Tueri, cum ſit deponens paſſiue vſurpat Papinianus *in l. filio praeterito.* 17. *D. de Iniuſt. rupt.*

rupt. irritoque fact. teſtam. *Voluntas*, inquit, *teſtatoris tuebitur*, pro defendetur. Itemque [1] Caius *in l. conſilio. 7. princ. de Curator. furioſ. l. 5. §. ad eum. 7.* et *l. nam ſecundum. 7.* et *l. vlt. §. 1. de Legat. praeſt. l. ſi duobus. 17. in fin. de Noxal. action.* Quod tamen exemplis ex Varrone et Vitruuio petitis tuetur, ac defendit Dn. [2] Briſſonius *in Parergis.* Similiter autem [3] *exequi*, pro executioni mandari dixit Vlpia- 350
nus *in l. cum quaedam. 19. princ. de Iurisdict. omn. iud.*

Si quis [4] *in graui valetudine affectus opem domino ferre non potuerit,* dixit Vlpianus *in l. 3. princ.*

1 *Caius*] Immo Iulianus *lib. 21. Digeſtorum*, vt recte Edd. Gothofredi: nam Caius Digeſta non ſcripſit. Leges ſeqq. diuerſorum auctorum ſunt: ſed non in omnibus illis *tueri* paſſiue videtur ſumi. Alia deponentia paſſiue ſumta e Pandectis adnotauit Auctor ſupr. *pag. 328. et 333.*

2 *Briſſonius*] *De Verb. ſign. v. tueri*, e Varr. *Lib. III. de Re Ruſt. cap. 1.* et *Vitruu. praef. Lib. VIII* add. Voſſ. III. *de Analog. 6.* Etiam *tutantur*, pro defenduntur habet Plautus *Amphitr. II. 2. 20.* et *tuantur*, pro videantur Lucret. IV. 362. Quin et *tuto* antiqui dicebant. vid. Non. Marc. *Cap. VII.* et Ciaccon. *ad Salluſt. Iug. Cap. XIV.* *Tueo* quoque legitur in Inſcriptione apud Reineſ. XVII. 170. et Spon. *Miſcell. pag. 24.*

3 *Exequi*] *Quaerebatur, an prioris iudicis ſententia exequi poſſit, d. l. 19. de Iurisd.* Emporium Rhetorem ſimiliter locutum obſeruauit Voſſ. *l. d.* et Iuſtinum VII. 3. *exſecutus* participium hac forma vſurpaſſe Idem IV. *Analog. 11.* *Adſequi* paſſiue eſt apud Cicer. II. *Verr. 73.* *Conſequi, ſectari, adſectari, conſectari* apud alios v. Muret. VII. *Var. Lect. 11.* et *ad Propert. I. El. 10* Voſſ. III. *Anal. 6.* Qua auctoritate autem Titulus *de Iurisdictione* hic auctior duabus vocibus, *omnium iudicum*, proferatur, non ſcio.

4 *In graui valetudine affectus*] Etiam Sciopp. I. *Veriſimil. 4.* ſcribit, hic abundare *in*, vt ſaepe apud alios, quorum ibidem teſtimonia quaedam adfert. Add. Celſ. II. 12. 2. *In corpore*

princ. ad Senatusc. Silan. quo loco praepositio *in* abundat: vt et [5] *in l. Qui testam. fac. poss.* Eandem praepositionem *in*, pro *de* posuit Caius *in l. in quantitate. 73. in fin. princ. ad Leg. Falcid. Necesse est*, inquit, *legatariis cum haerede* [6] *in portione legatorum pacisci.* Sed *oppositum iusiurandum*, pro impositum posuit Paulus *in l. adigere. 6. §. 4. de Iure patron.* Itemque Papinianus, [7] *In*
351 *accusationem viduae filiae* [8] *habet pater ius praecipuum,*

corpore infirmo, diuque in aduersa valetudine exhausto, et quae notantur ad Petron. *Cap. VI. In cursu fatigatus.* In quibus etiam *in* pro *a* vel *ex* potest accipi. Scip. Gentil. I. *Parerg. 14.* coniunctim legit, *ingraui valetudine adfectus*, et *ingrauis* vult dici, vt *incanus* apud Virgilium, et alia, in quibus *in* augendae significationi est. Non adspernarer, si quemquam veterum *ingrauis* dixisse potuisset ostendere. Iam ante Scipionem Gentilem fuisse, qui *ingrauis in d. l. 3. princ. ad Senatusc. Silan.* vno verbo dici putauerint, vt *incanus* apud Virgilium, intelligo ex Alciato *in fin. Lib. IV. de Verb. sign.* qui praepositionem *in* eiiciendam esse arbitratur.

5 *In l. Qui testam.*] Non apparet de qua lege senserit, quod et nota numeri, et principium illius omissum erat.

6 *In portione*] Gothofr. ibi e Florent. *in portionem.* Et *in l. 6. §. 4. de Iur. patron. ius-iurandum, quod liberto in hoc impositum est.*

7 *In accusationem*] Heins. *ad Ouid. I. Amor. 1. 5.* ostendit, melius dici *habere ius in aliquam rem*, quam *in re.* Idemque *in II. Am. 4. 7.* e scripto legit: *Nam desunt vires in me mihi iusque regendum*, pro vulgato *ad me.* Itaque nec male dicas, *habere ius in accusationem filiae*, vel *in filiam accusandam.* Praeterea, etiamsi accusatiuum pro ablatiuo vsurpasset Papinianus, tamen non solus ita locutus esset, sed fecisset exemplo optimorum auctorum, quorum neminem non ita loqui toties obseruatum est, vt prope in Homericum τὸν δ' ἀπαμειβόμενος abierit, quod de illo, *esse in potestatem*, dicit I. Fr. Gronouius *ad Liu. II. 14.* Vid. quos laudat Broekhus. *ad Propert. II. El. 7. 50.* Heinsium et *Ouid. Ep. Parid. v. 138.* et Interpretes Ciceron. *ad Orat. pro Quintio Cap. V.* et *pro Archia Cap. V.*

8 *Habet pater*] Gothofr. *non habet pater.* Forte culpa typographorum hic excidit particula negatiua: nam nulla varietas

cipuum, pro in accuſatione *l. nec in ea. 22. §. 1. ad Leg. Iul. de adulter.* Itemque *in l. extrario. 17. in princ. de Quaeſtion.* ſecundum [9] Noricum exemplar. Contra autem Martianus, [10] *in vſu aliquo acceptam pecuniam*, pro in vſum aliquem, poſuit *in l. 4. §. ſed et qui. 4. ad Leg. Iul. peculat.*

A liberis non nubere, pro [11] quamdiu liberos habebit, aut poſt ſuſceptos liberos, dixit
[12] Terentius Clemens *in l. ſed ſi. 62. §. vlt. de* 352
Condit.

varietas lectionis adnoratur. Quam etiam nullam eſſe ex eo coniicio, quod Cuiacius VI. *Obſeru. 14.* de ſententia *d. l. 22. §. 1. ad Leg. Iul. de adulter.* diſputans, et in ea *occiſionem* pro *accuſationem* ſubſtituens, nihil de ea re memorat.

9 *Noricum exemplar*] Nam in aliis eſt: *Seruos in adulterii quaeſtione contra dominum interrogari placuit.*

10 *In vſu*] Cicero aliique vetuſtiores dicunt, *ad vſum*, et *in vſum*. Vid. Graeu. *ad Cicer. V. Philipp. 9.* Nec tamen alterum reiiciendum eſt: cum non minus ſaepe huic praepoſitioni iungatur ablatiuus pro accuſatiuo, quam accuſatiuus pro ablatiuo. Columell. XII. *de Re Ruſt. 48. Lauri turiones in hoc vſu mittito, vt oliuas deprimant.* Ouid. *Ep. Hypſipyl. v. 20. In mihi promiſſi parte recepta tori.* Valer. Max. III. 3. *ext. 1. in cuius brachio carbo ardens delapſus eſt.* Adi Voſſ. *de Conſtruct. Cap. LXV.* Muncker. *ad Hygin. Fab. XCII.* et V. C. Iac. Gronou. *ad Macrob. Somn. Scip. I. 4.* Plures huiusmodi locutiones inferius *e parte VI. Digeſtorum n. 1.* colligit Auctor noſter, vbi vid. quae notaui.

11 *Quamdiu liberos habebit*] Ita etiam Briſſon. hoc accipit *in Lexico V. a.* Verba Iuriſconſulti ſunt: *Cum vir vxori, ſi a liberis ne nupſerit, in annos ſingulos aliquid legauit:* quae etiam ita videntur accipi poſſe, ſi nubendo non diſceſſerit a liberis, ſi, vt eſt in *l. 6. §. 3. Cod. de Secund. nupt.* liberorum affectione ſeruata ad alias nuptias non migrauerit: ita vt particula *a* in hac phraſi notet tranſitum ab vno ad aliud, vt cum dicimus *ſeparare*, *ſegregare ſe ab aliquo*, et ſimilia vnde et *tranſire, migrare ad ſecundas nuptias* frequenter legimus in Codice. *Enubere e Patribus* dicit *Liu. X. 23.* pro nubendo exire, et in gentem plebeiam tranſire.

12 *Terentius*] Vel teſtator, cuius ibi verba proponit Terentius.

Condit. et demonſtr. Quod vt verum et Latinum, tamen inſolens eſſe, fatendum eſt.

Satis ineleganter dixit Vlpianus, [13] *Credo quod iure militari teſtabitur,* pro puto eum iure militari teſtaturum, *in l. ſi quis filio. 6. §. ſed et ſi. 6. de Iniuſt. rupt. irr. fact. teſtam.*

[14] *Reficere,* pro iterum facere. *Reficere teſta-*
353 *mentum,* pro teſtamentum denuo condere, ite-
rum teſtari, Vlpianus *in l. idemque. 9. de Milit. teſtam.*

[15] *Praeſtari* paſſiuum, pro actiuo *praeſtare,* aut etiam pro futuro *praeſtaturum eſſe,* poſuit

13 *Credo quod*] In Florent. quam Gothofr. ſecutus eſt, deeſt *quod:* ſed alia e Pandectis exempla ſuggerit Voſſius *de Conſtruct. Cap. LXII.* Vtrum autem recte dicatur *credo, dico, ſcio, quod,* et ſimilia, nec ne, non conuenit inter eruditos. Damnant id genus loquendi Sanctius *Lib. III. Mineru. cap. 14.* et I. Fr. Gronouius locis ibi a Cl. Perizonio notatis, et *ad Liu. XXXIV. 57.* et *XXXVIII. 10.* probant Manutius, Stephanus, Scioppius, et Voſſius a Cl. Perizonio, qui ei ipſe huic ſententiae accedit, *ad Sanct. l. d.* laudati, et praeterea Linacer *Lib. V. in fin.* et *Lib. VI. cap. de Ellipſi coniunctionum,* Manutius *in Cicer. ad Attic. IX. Ep. 19.* et *X. Ep. 4.* Giſanius *in Obſeru. Ling. Lat.* et Vorſtius *de Latinitate falſ. ſuſp. Cap. XXIV.* Atque horum ſententia mihi verior videtur.

14 *Reficere*] *Idemque erit dicendum, et ſi nato filio, viuo ſe maluit eodem teſtamento durante decedere. nam videtur iure militari refeciſſe teſtamentum, d. l. 9.* *Reficere* non tantum eſt inſtaurare, reparare collapſa, ſed etiam plane nouum facere vetere amiſſo, vel ſublato. Salluſt. *Iug. Cap. LXVI. Arma, tela, aliaque, quae ſpe pacis amiſerat, reficere, aut commercari.* Nec fere alia ſignificatio huius verbi eſt, cum Liu. *Lib. VI. cap. 35. 36. 38.* et alibi, *Magiſtratus* in ſequentem annum *refici* dicit. Ita *reficere teſtamentum,* eſt nouum facere.

15 *Praeſtari*] Gothofr. in *d. l.* edidit: *Nec inſtitutum, eum bonae fidei poſſeſſor fuerit, quod inde ſeruari non potuiſſet, praeſtare.*

posuit Papinianus *in l. militis. 36. §. 2. de Milit. testam.*

[16] *Facere totum,* pro dominari, vim omnem habere, dixit Vlpianus *in l. ex facto. 35. §. rerum. 3. D. de Haered. instit. Et facit quidem totum* 354 *voluntas defuncti. Nam quid senserit spectandum est.*

[17] *Signifacere*, pro significare dixit [18] Mar-

praestare. Florentiae est, *praestari.* In aliis, *nec institutus praestabit.* Anton. Augustin. I. *Emend.* 2. putat in Florent. vitiose scribi *praestari*, pro *praestare:* cui fere adsentior. Si quis tamen scripturam illam defendere velit, is dicere queat, passiuum esse pro actiuo, vt *palpari*, pro *palpare; bellari*, pro *bellare;* et plura huiusmodi apud Nonium *Cap. VII.* Voss. III. *de Analog.* 5. Salmas. *ad Flor. II.* 17. item *ad Lamprid. Commod. Cap. XI.* et *Anton. Diadum. Cap. VII.* Sed tamen hoc interest, quod pleraque horum aliis temporibus scripta efferuntur, in quibus non tam facilis est lapsus scribentis, quam mutatio τοῦ E in I. quae et alibi obuia est.

16 *Facere totum*] Similiter horridus, sed, Scaligero, ac Vossio iudicibus, satis Latinus Scriptor *Belli Hispan. Cap. XXVIII. Ita hac opinione fretus totum se facere posse existimabat.* H. Steph. *de Latin. fals. susp. pag.* 206. hoc non improbat. Nec videtur magis a ratione linguae Latinae abhorrere, quam si dicas v. g. *virtus multum, plurimum, facit,* Cicero de re, in qua omnia sita sunt, dicit *totum est*, et, *in eo totum est.* Vid. *Lib. V. ad Attic. ep.* 20. Add. Columell. XII. 4. et Senec. IV. *de Benef.* 36. *Dominari*, quod hic expositionis loco dicit Auctor, eadem significatione habet Columella I. 8. *Vnum enim ac solum dominatur in rusticatione, quicquid exigit ratio culturae semel facere.*

17 *Signifacere*] Scioppius I. *Suspect. Lect.* 9. et Voss. *in Etymolog.* nullum alium huius vocabuli auctorem laudant, quam Iurisconsultum. Existimant autem in eadem forma dici, qua apud Plautum *Epidic. V.* 2. 41. in quibusdem libris est *ludifecisti*, a *ludifacio.* Gothofredi Edd. quas vidi, in *h. l.* male exhibent *significare:* nam *signifacere* eum voluisse edere, quod est in Florent. ex eo intelligi potest, quod notat Haloandr.

[18] Martianus, siquidem Florentinum exemplar sequimur, *in l. seruo. 65. §. si pupillo. 3. ad Senatusconsf. Trebell.* Sic et [19] *magnificiebat*, pro magnifaciebat ex eodem exemplari Vlpianus *in l. 1. §. pen. D. Quod vi aut clam.*

[20] *Adsumptionem*, pro adiecto, aut circumstantia, dixit Martianus *in l. his verbis. 48. in fin.*
355 *de Haered. instit.* Aliter atque *in* [21] *l. adsumtio. 6. Ad Municipal. et de incol.*

Minus polite dixit Triphoninus, [22] *Permittitur militem filio facere testamentum*, pro permitti-

Ioandr. habere *significare.* Quod porro Sciopp. *l. d.* et Brisson. *in Parergis e l. 60. §. 4. ff. Locat.* et *l. 10. §. vlt. Solut. matrim. aedifacere* proferunt, id in Gothofr. neutro loco legitur, sed illo *aedificare*, hoc *lucrifacere.*

18 *Martianus*] Maecianus voluit, opinor, scribere, e cuius *libro 5. Fideicommissorum h. l. 65.* in Pandectas relata est. Martianus de Fideicommissis non scripsit.

19 *Magnificiebat*] Ita etiam Brisson. *l. d.* e Florent. Gothofredus *magni faciebat.* Ego *magnificio* nusquam alibi inueni. Gifan. *Indic. Lucret. V. desipientia*, et Taubm. *ad Plaut. Menaechm. I. 2. 1.* scribunt, etiam *beneficere*, et *maleficere* esse in libro Florent. sed loca non notarunt. Nec Brisson. quidquam de his monet. Pro *maleficio*, quod est in Glossis Cyrilli, aliae Glossae habent *malefacio.*

20 *Adsumptionem pro adiecto*] Vel pro ea, quam etiam demonstrationem nominant Iurisconsulti. *Si in patre, vel patria, vel alia simili adsumptione falsum scriptum est, l. d. 48.* Ne hoc quidem temere reiecerim: cum Cicero II. *de Orator. 39.* et *Topic. Cap. II.* argumenta, quae ex circumstantiis, quas vocant, sumuntur, *foris assumi* dicat, et I. *de Inuent. 11. assumtiuam partem* in genere iudiciali eam, quae ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit.

21 *Leg. 6. ad Municipal.*] Vbi Vlpianus: *Adsumtio*, inquit, *originis, quae non est, veritatem naturae non peremit.*

22 *Permittitur militem*] Hoc puto referri posse ad illud genus loquendi, quo totam orationem pro supposito poni dicunt

mittitur militi, *in l. miles. 41. in fin. de Testam. milit.*

Coniunctionem *Vt* cum futuro Indicatiui 356 modi coniungit Vlpianus, non ex Grammaticorum praescripto, *in l. haeres instit. 32. §. vlt. de Adquir. vel om. haered.* *Etsi*, inquit, *eius conditionis*

X 2

dicunt Grammatici, vt apud Corn. Nep. *Pausan. Cap. V. Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse.* et Gell IV. 11. *Videtur caussam erroris fuisse*, de quo Cl Perizon. *ad Sanct. Mineru. III. 1.* Forte etiam, cum idem sit *permittitur*, quod *licet*, exponi queat ea ratione ellipseos, quae est in his Ciceronis, *liceat esse miseros, medios esse non licet*, et hoc Tibulli I. *Eleg. XI. 43. Sic ego sim, liceatque caput candescere canis, Temporis et prisci facta referre senem.* in quibus supprimi datiuum personae apertum est, et integram orationem esse, *liceat nobis nos esse miseros, liceat mihi me senem referre.* Qua ratione verba Iurisconsulti ita suppleri poterunt, *permittitur militi militem facere testamentum.* Idque eo minus repudiandum est, quod *concedo*, cuius eadem vis est, quae *permitto*, etiam forma actiua ita ponitur, vt explenda sit oratio datiuo personae, vt in hoc Catulli *in Carm. de Nupt. Pel. et Thetid. v. 29. Tene suam Tethis concessit ducere neptem?* quod dicitur κατ' ἔλλειψιν pronominis *tibi*, vt integrum sit, *concessit tibi te ducere.* Quod si exemplo Catulli dicere licet, *concedo te hoc facere*, non possum vllam satis firmam rationem videre, cur non eodem modo forma passiua dici possit *conceditur*, vel *permittitur te hoc facere:* quamquam nullum mihi huius locutionis exemplum suppetit, nec aliter hoc dici inuenio, quam *mihi permittitur hoc facere*, vel, *ego permittor hoc facere.* Quorum posterius cum in Strada reprehendit Scioppius *Infam. Fam. pag. 90.* et *188.* oblitus erat ita loqui Senecam I. *de Ira 7. Animus, si in iram, amorem, aliosque se proiecit affectus, non permittitur reprimere impetum:* et IV. *de Benef. 12. Latronibus circumuentum defendo, vt tuto transire permittatur:* nec non Quintilianum *Declam. II. pag. 31.* Ed. Obr. *Dum ad colligendum pondus dextra redire permittitur.* Quomodo et *concedor*, et *sinor* a probatissimis auctoribus dici invenimus. Virgil. III. *Aen. 700. Fatis numquam concessa moveri Apparet Camerina procul.* Manil. IV. *Astron. pag. 90. Quae fastidito concessa est iure potiri:* quod Graecorum more dictum ibi notat Scaliger. Cicero *pro P. Sextio Cap. XLIV. Accusare*

ditionis erit, [23] *vt testari poterit*, pro potuerit, vel possit.

[24] *Profugere villam suam*, pro a villa sua,
357 dixit Callistratus *in l. 2. de Senatusc. Silan.* Sicut

Accusare eum per senatus auctoritatem non est situs. Columell. VI. *de Re Rust. 36. Id ne fiat, degener et vulgaris asellus admonetur, qui solicitet obsequia foeminae. Neque is tamen inure sinitur.* Ita ibi est in vetustis quibusdam Editionibus, quod et sententia postulat, non *his*, vt aliae habent.

23 *Vt testari poterit*] Ita Florent. Gothofredus *potuerit.* Florentinam scripturam ab Vlpiano profectam esse etiamsi certissimis argumentis demonstrari posset, non tamen inde sequeretur, eum tam imperitum fuisse constantis omnium Latine scribentium consuetudinis, vt existimauerit *vt* causali, quod Grammatici vocant, sine discrimine Indicatiuum, et Subiunctiuum posse adiungi: sed id argumentum esset incuriae cuiusdam, et animi magis ad res, quam ad verba attenti. Idem accidit Viris Magnis, Seruio, Scaligero, Lipsio, Thuano, et aliis quam plurimis, quos, quia huic particulae Indicatiuum adiunxerunt, Latine nesciuisse, praeter maledicentissimum Scioppium, dixit nemo. Vid. Titium *Manud. ad Excerpend. Sect. XXXIII. et XXXV.* Est etiam exemplum huius constructionis in his Gaii *in l. 4. D. de Pignorib. Fiunt enim de his scripturae, vt quod actum est, per eas facilius probari poterit.* Sed pro *poterit in l. 4. de Fide instrument.* vbi eadem verba Gaii repetuntur, rectius legitur *possit.*

24 *Profugere villam*] Gothofr. et hic a Florent. discedens edidit: *Cum constiterit apud te, Piso carissime, Iulium Donatum, posteaquam conterritus aduentu latronum profugerat in villam suam, vulneratum esse, mox testamento facto purgasse officium seruorum suorum. Profugere* cum accusatiuo habet Seneca *Agamemn. v. 121. Vel Mycenaeas domos Coniuncta socio profuge furtiua rate*, et aliis locis, quae ibi notauit Gronouius. Item, vt obseruauit *ad Hygin. Fab. vlt.* Munckerus, Curtius X. 2. *Ne serui quidem vno grege profugiunt dominos.* add. Columell. I. 3. *Et propter iniuriam vicinorum sedes suas profugerint.* In his omnibus accusatiuus est pro ablatiuo cum praepositione. Eaque fortassis causa fuit mutandae lectionis Florentinae, quod putarent sententiam requirere, vt Iulius Donatus in villam, non a villa profugisse intelligeretur. Nec tamen hoc e verbis Callistrati apparet, et quantumuis verum esset, tamen defendi posset recte dici *profu-*

ut et [25] *erumpere vincula*, pro e vinculis, Vlpianus *in l. 5. §. subuenitur. 6. eod. tit.* Et [26] *imbecillos* secunda declinatione, pro imbellices, vt in tertia formatur, Vlpianus *eodem loco* §. 8. *Imbecillitatem* autem non solum corporis, sed et animi, quam [27] *pusillanimitatem* dicimus, aut nimium metum, accipit Vlpianus *in l. 1. §. si* 358
quis. 10. D. Quod vi aut clam.

[28] *Vulgo fatebatur*, impersonaliter, pro fatebantur omnes, vel in confesso erat, inusitate

X 3 sane

profugere villam, pro in villam, vt *proficisci exsilium*, *venire villam*, et alia huiusmodi, quae vid. ap. Sciopp. *ad Sanct. Mineru. IV. 6.*

25 *Erumpere vincula*] Virgil. I. *Aen.* 579.

—— *Et fortis Achates,*
Et pater Aeneas iam dudum erumpere nubem
Ardebant.

Et apud Sueton. *Aug. Cap. XIV.* optimus liber Torrentii: *A manu gladiatorum, quae oppidum eruperat.* Sic *excedere* et *egredi vrbem.* Liu. XXIV. 20. XXIX. 6. et XXXIV. 28. *euadere*, et *elabi custodiam* Florus, et alii. add. Pier. *ad Virg. I. Aen.* 357.

26 *Imbecillos*] Hoc apud plerosque bonos auctores forte crebrius reperias, quam *imbecillis*. Ciceronis quidem veteres libros omnibus locis, vbi vulgo est *imbecillis*, habere *imbecillus* notat Fr. Fabricius *ad II. Officior. 8.* Et Lucretium, Horatium, Sallustium, Celsum, et Columellam frequentius dicere *imbecillus*, quam *imbecillis*, certum est.

27 *Pusillanimitatem*] Non puto aliam significationem huius vocabuli esse in his Ciceronis I. *Famil. ep. 4. In hac praesertim imbecillitate Magistratuum.* et *ad Brutum ep. 16. Ista vero imbecillitas, et desperatio et Caesarem ad cupiditatem regni impulit.* Caesar quoque VII. *B. G.* 77. *imbecillitatem animi*, et *mollitiem animi* pro eodem dicit. add. Tacit. IV. *Ann. 8.* et *XV. 56. Imbecillus* quoque de eadem re recte dicitur.

28 *Vulgo fatebatur*] Gothofr. e Florent. *fatebitur*, vbi et *h. l.* inscribitur Vlpiano e *lib. 21. ad Sabinum.* Cicero quoque ita hoc verbo vtitur *in II. Agrar. 21. Hunc agrum excipere*

ſane et noue dixit Paulus *in l. cum ſeruus legatus 39. §. ſcio. 6. de Legat. 1.* Similiterque Vlpianus *in l. a Diuo Pio. 15. §. ſed vtrum. 9. de Re iudic. nomen quod confitetur* dixit, pro quod in confeſſo eſt, aut, vt ſupra dixerat, *confeſſum nomen. Debte recougnenë.*

[29] *Tantos quanti inueniantur*, pro tot quot inuenti fuerint, Caius *in l. ſi ita legatum. 65. de Legat. 1.* pronomina ſcilicet quantitatis conti-
359 nuae pro diſcreta. Eodem pertinet quod Vlpianus *quantum quantum vellet*, pro ſimplici quantum vellet, aut recte pro tantum quantum vellet, et in Florentino, et in Norico exemplari ſcripſiſſe legitur *in l. 1. §. 2. in fin. Si quid in fraud. patron.*

Sufferri, pro offerri, aut exſolui poſuit Idem Caius *in l. ſi ſeruus. 70. in fin. de Legat. 1. Vt ob hoc delictum*, inquit, *quaſi litis aeſtimatio*

excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur. Vid. ibi Interpr. et Voſſ. III. *de Analog. 6. Confiteor* etiam Gellius XV. 13. et Priſcian. *Lib. VII. pag. 794.* inter communia recenſent. *Confeſſus* autem, et *profeſſus* participia paſſiue ſumi nemo ignorat. Adi Voſſ. IV. *de Analog. 11.* et quae notata ſunt *ad Phaedr. IV. Fab. 6. et 25.*

29 *Tantos quanti*] Graeca locutio, εἰς τοσούτους, ὅσοι εὑρίσκονται, ait Grotius *in Flor. Spars. ad h. l.* quod etiam Ant. Auguſtin. II. *Emendat. 1.* animaduerterat. Optimos quoque ſcriptores Latinos *tantus* pro *tot*, et *quantus* pro *quot* dixiſſe, multis teſtimoniis oſtenderunt Thomas *ad Turſellin. de Partic. Ling. Lat. Cap. CXLVII.* et Brockhuſ. *ad Propert. I, 5. 10. I. 12. 4. et II. 16. 7.* *Pro quantum quantum vellet*, quod in Florent. et Noric. eſſe dicit Auctor *in l. 1. §. 2. Si quid in fraud. patr.* Gothofr. *quanti vellent.* Non probo. Vid. quae dixi *pag. 322. n. 7.*

tio [30] *sufferatur legatario.* Simile est quod *exsequi*, pro persequi posuit Triphoninus [31] *in l. tutorem. 22. de His quae vt indign.* Rursus *sequi* pro consequi, simplex pro composito positum est *in l. auia. 77. §. vlt. in fin. de Condit. et demonstr.* 360

[32] *Vsionem*, pro vsu scripsit Alfenus *in l. eum quaereretur. 60. §. lana. 2. de Legat. 3. Habiturus*

30 *Sufferatur legatario*] Hoc ita dictum videri potest, vt apud Plaut. *Amphitr. III. 4. 19. Deinde illi actutum sufferet suus seruus poenas Sosia.* Iurisconsulti compluribus locis, quae congessit *in Lexico* Brissonius, dicunt *sufferre aestimationem*, quod si pro *pati aestimationem*, quod saepe alibi apud eos legitur, positum accipiamus, non magis ab vsu Latini sermonis abhorret, quam *sufferre exsilium, poenam, mulctam.* Sed iidem nonnumquam alia, et fortassis ipsis propria ratione, *sufferre aestimationem* dicunt, pro *offerre*, vt videtur, vel *praestare.* Vt *in l. 1. princ. ff. Si famil. furt. fec. dic. Enimuero si maluerit aestimationem offerre, tantum offerat, quantum si vnus liber furtum fecisset*, et *§. 1. ibid. Nec vna aestimatione, quam homo liber offerret, defungi poterit. l. 22. princ. ff. de Action. rer. amot. Qui litis aestimationem suffert, emptoris loco habendus est: ideo si mulier, cum qua rerum amotarum actum est, aestimationem litis praestiterit. l. 22. §. 8. Solut. matrim. Mulieris sustentationem sufferre, et alimenta praestare. l. 1. §. 19. de Ventr. in possess. mitt. Qui cibum, potum, vestitum, tectum mulieri praestet. l. 2. §. vlt. Pro empt. l. 6. de Sepulc. viol. l. 21. §. 2. de Euiction. Qui litis aestimationem sustulerit.* vbi *sustulerit* non potest esse a *suffero* pro *patior.* vt Grammaticorum canones docent.

31 *In l. tutorem. 22. de His quae vt indign.*] Ibi Iurisconsultus: *Et si tutor*, inquit, *reum aliquem postulauerit pupilli nomine, et ideo non sit exsecutus, quod interim ad pubertatem pupillus peruenerit:* in quo nihil noua significatione dici animaduerto, vti nec in eo, quod adfertur e *l. 77. de Condit. et demonstr. Quod aduersus inuitum hodie iure publico sequi non potest.*

32 *Vsionem*] Hoc apud Catonem esse notauit Ant. Augustin. II. *Emendat. 2.* et apud Varronem Gothofr. *ad h. l.* Varronis locus est apud Nonium *v. vsus*, et *v. bellum est.* Cato saepe habet. Vid. *Cap. XXXIX.* et ibi Victor. *Cap. CXLVI.*

biturus vsioni, inquit, pro in vsu habiturus. Itemque Vlpianus *in l. Quintus Mutius 27. §. cui legatum. 4. de Auro et arg. leg.* Sicut et [33] *apparationes*, pro apparatu ludorum, Idem Alfenus *in l. cum in testamento. 28. eod. tit.*

Manifestus est [34] soloecismus a Paulo, vel a testatore, cuius verba refert, admissus *in l.*
361 *quaesitum 78. §. 1. de Legat. 3. Argentum omne*, inquit, *et suppellectilem quodcumque habeo tibi dono*, pro quamcumque habeo. Quamuis Haloander eam distinctione seu parenthesi interposita excusare conatus sit hoc modo: *et suppellectilem (quodcumque habeo) tibi dono.*

[35] *Penum*

Cap. CL. Addit Augustinus, etiam Gellium, non bonum Latinitatis auctorem, eo vti *Lib. IV. cap. 1.* Verum ibi non Gellii, sed Scaeuolae est, in definitione penoris, quam e Scaeuola Gellius recitat: quod nec Vossius IV. *Instit. Orat. 12. 2.* Gellium ab Augustini censura defendens animaduertit. Hinc patet probam esse vocem *vsio*, quam etiam Ciceronis aetate in vsu fuisse verosimile est, eo quod *abusio* apud eum legitur. Et tamen Lipsius, quod in Epistola quadam dixerat, *crebra vsio frigidorum*, acerbissimi Censoris Scioppii notam effugere non potuit, in *Lib. de Styl. Histor. pag. 200.*

33 *Apparationes*] Cicer. II. *Offic. 16. In laudanda magnificentia, et apparatione publicorum munerum.* Auctor ad Herenn. II. 4. *apparatio*, et *inapparatio.* Vitruu. II. 8. *De parietibus, et apparatione generatim materiae eorum.* Et V. 9. *Difficilis et molesta est apparatio.* Et VI. 3. VII. 5. et 6.

34 *Soloecismus*] Nihil minus. Est ellipsis non multum dissimilis ei, quae est in his Caecilii apud Festum *in reluere*, a Cl. Perizon. *ad Sanct. Mineru. Lib. IV. cap. 4. de Ellipsi v. negotium*, citatis: *Vt aurum, et vestem, quod matris fuit, reluat, quod viua ipsa opposuit pignori.* Vid. ibi plura huius generis, et add. quae habet Ampl. Bynkersh. I. *Obseru. 25.* Nec tamen, etiamsi manifestarius esset soloecismus, cuiquam mirum videri deberet, orationem vulgi eo vitio laborare. Non enim Pauli, sed testatricis sunt verba, quae proponuntur *in d. l. 78.*

[35] *Penum* in neutro genere, non ex Grammaticorum regulis, neque ex vsu communi dixit Pomponius *in l. 2. de Tritic. vin et ol. leg. Omne penum*, inquit, *praestabit.* Quamquam diserte Paulus scripserit nomen *penoris* omnibus generibus dictum esse *in l. nam quod liquidae. 4. §. 3. de Penu leg.* Sed et Iulianus *penum* tam secunda quam tertia declinatione, et tam foeminino quam masculino, vel neutro genere effert, nempe [36] *in l. cum fine 19. Quando dies leg. ced.*

Indeuotionem haeredis dixit Vlpianus *in l. 1.* 362
in fin. de Penu leg. pro contumacia, et parum

X 5 pia

35 *Penum*] Hic sibi non satis constat Vossius. Nam II. *de Analog. 20.* probat hoc *penum peni;* at idem reiicit I. *de Vit. Serm. 20.* tamquam obsoletum, et solius Afranii testimonio apud Priscianum subnixum. Sed etiam Plautum ita loqui ostendit Sciopp. *Animadu. in Voss. n. 37.* et post eum Borrich. *in Cogitat. de Ling. Lat. pag. 190.* Is locus est *in Captiu IV. 4. 12. Dicam, vt sibi penum aliud ornet.* Pro *omne penum praestabit*, quod hic Auctor adfert e *l. 2. de Tritic. vin* in Flor. et Gothofr. est, *omne penum ad alium legatarium pertinebit.*

36 *In l. 19*] Ibi, *omnem penum*, et, *penoris causa*, et, *tradita peno.* Ex his duo priora extra controuersiam sunt: sed *penus peni*, foem. gen. et sec. declin. quis dixerit, quaeri potest. Nam Seruius in Virgil. II. *Aen. 704.* masculini et foem. generis, et quartae declinationis esse dicit; de secunda nihil memorat. Nec Priscianus inter ea in *us*, quae in secunda, et quarta declinantur, *penus* recenset. Legitur quidem genitiuus *peni* apud Plautum *Pseud II. 2. 14.* Gell. IV. 1. et Nonium. Verum nihil obstat, quo minus ille sit a recto *penum:* idque Voss. II. *Analog. 20.* Sosipatro, et Cledonio imposuisse putat, *penus peni* in secunda dici adfirmantibus. Quod ipsius Sosipatri testimonio confirmari potest, vt qui *lib. I. pag. 57.* scribat, se nondum inuenisse *penus peni:* quamquam deinde *pag. 113.* immemor eorum, quae ante dixerat, *penus* foem. gen. *peni* declinari dicit.

pia affectione eius haeredis, qui defuncti voluntatem implere contempsit. Suspicor tamen verba haec, *haeredis indeuotione coërcenda,* fragmentum esse [37] a Triboniano assutum responso Vlpia-

37 *A Triboniano*] Etiam Brissonius haec verba *d. l. 1. de Penu legat.* Triboniano accepta refert, quia scilicet vocabulum *indeuotio* ei familiare sit, vt *in l. vlt. Cod. de Fideicomm. libertat. l. vlt. §. 2. C. de Testam. manum.* et *l. 35. §. 5. C. de Donation.* Ampl. Bynkersh. adscripserat locum Senecae III. *de Benef.* 5. *Audi voces petentium. nemo non victuram semper in animo suo memoriam dixit: nemo non deditum se, et deuotum professus est, et si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, inuenit.* Vbi cum *deuotus* dicatur pro eo, qui omni obsequio promtus est, putabat κατ' ἀναλογίαν *indeuotum* dici posse, penes quem non est animus obsequendi, et *indeuotionem* heredis vitium, quo non paret voluntati defuncti. Sane quidem *deuotus* etiam alii ita dixerunt, vocabulo a propria significatione per adulationem ad designandam venerationem, et obsequium maxime erga Principes translato, vt Sueton. *Iul. Cap. LXVII. Tiber. Cap. LXVII.* et in Inscriptionibus: DEVOTVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS. de quo Brisson. *Lib. VIII. Formul.* Lips. V. *Antiq. Lect. 8.* et Gronou. *ad Phaedr. IV. Fab. 4* Nec tamen *indeuotus*, aut *indeuotio* ex vllo idoneo Linguae Latinae auctore laudari inuenio: tametsi analogica ratione ita videntur potuisse dicere. Ac ne *deuotio* quidem bonis scriptoribus, quod sciam, pro pio, ac promto ad obsequium animo sumitur, quo pro consecrandi, exsecrandiue actu vsi sunt Cicero, Liuius, et Cornelius Nepos, cum *Deciorum*, atque *Alcibiadis deuotionem* memorant: Suetonius autem *Calig. Cap. III.* et Tacit. XII. *Ann. 65.* sagarum incantamenta *deuotiones* vocarunt. Recentiores. Lampridius, Solinus, Vegetius, deinde hanc vocem pro pietate, ac religioso cultu cum Deorum, tum Principum, et interdum aliorum bene meritorum posuerunt, vt videre est apud Cellar. *Cur. Poster. Cap. VII.* Borrich. *Cogitat. de Ling. Lat. pag. 85.* quibus add. Inscriptiones apud Reines. I. 36. III. 62. et Spon. *Miscellan. Sect. IV. pag. 150.* *Indeuotio* ex Ambrosio adfert Brisson. *in Lexico*, et e Saluiano Massil. Vossius III. *de Vit. Serm. 16.* quorum ille ita vocat animum non satis pium erga Principem; hic, erga Deum. In Glossis Vet. *deuotio* exponitur εὐγνωμοσύνη, *indeuotio* ἀγνωμοσύνη.

Vlpiani [38] ex *Nou. I. de Haeredib. et Falcid.* quo loco Iustinianus haeredes defunctorum voluntates intra annum non implentes coërcet, et punit, et *indeuotionis* nomen, atque etiam adverbium *indeuote* vsurpat: cum alioqui verbum *indeuotionis* Iustiniano familiare sit, tractum [39] a collatoribus, qui cum grauate tributa vel annonas conferunt, *indeuoti* vocantur. 363

[40] *Promercium*, pro commercio, aut re vel merce promercali dixit Paulus *in l. nam quod liquidae. 4. §. 2. de Penu leg.* et Vlpianus *in l. caetera. 41. §. sed si quis. 5. de Legat. 1.* et Martianus *in l. 3. §. item is cuius 4. ad Leg. Cornel. de Sicar.* et Scaeuola *in l. 2. ad Leg. Iul. de Vi publ.* Sicut [41] *nauigium* tam pro nauigatione, quam 364

38 *Ex Nou. I.*] *Cap. III.* aduerbium *indeuote* est *ibid. praefat. §. 1.*

39 *A collatoribus*] Ita esse *in l. vn. Cod. Theod. de Offic. Vicar.* et *l. 119. de Decurion.* alii adnotarunt. Salmas. *ad Trebell. Pollion. Gallienos Cap. XIV.* scribit in Codice *indeuotionem* dici de eo, qui male deuotus, et minime fidelis est Principi. Non scio quo loco hoc legatur in Codice: nam iis, quos paullo ante protuli, aliter accipitur.

40 *Promercium*] *Non omnia, quae et promercii causa habuit, legasse videtur, d. l. 4. §. 2. de Penu leg.* et sic in aliis. Masurius Sabinus apud A. Gellium IV. 1. de penu agens *promercalia* appellat, quam vocem exponit Marc. Donat. *in Sueton. Caes. Cap. LIV.* add. Turneb. VIII. *Adu 9. Promercium* autem quis ante Iurisconsultos hic memoratos dixerit, non scio. Potuit id esse in Senatusconsulto, quod sub Hadriano, Auiola et Pansa Coss. factum est, de quo Vlpianus *l. 41. §. 1. D. de Legat. 1.* et Casaub. *ad Spartian. Hadrian. Cap. XVIII.* Sed hoc incertum est.

41 *Nauigium*] Ita etiam Brisson. *in Lexico*, et Gifanius *in Obseruat. Ling. Lat.* ex *d. l. 1. § 14. de Fluminib.* Mihi in *hac l.* nihil esse videtur, quod nos cogat *nauigium* interpretari nauigationem. Verba Iurisconsulti haec sunt: *Ait Praetor,*

365 quam pro ipſa naue, vel rate *l. 1. §. ait Praetor. 14. D. de Fluminib.*

[42] *Latitare patronum*, pro occultare ſe a patrono, actiua ſignificatione pro neutra vel depo-

Praetor, Iterque nauigii deterius fiat. hoc pro nauigatione poſitum eſt. immo nauigium ſolemus dicere etiam ipſam nauem. Iter ergo nauigio poteſt et ſic accipi, iter naui deterius fiat. Non dicit, *nauigium* in Edicto Praetoris poni pro *nauigatione*, ſed *iter nauigii*: nam ſi *nauigium* ſolum pro nauigatione accipi vellet, *iter nauigii* idem eſſet, ac *nauigatio nauigationis*: quod abſurdum eſt. Addit Briſſon. etiam haec Vlpiani *in l. un. §. 2. D. de Ripa mun. Merito adiicit, Dum ne ob id nauigatio deterior fiat, illa enim ſola refectio toleranda eſt, quae nauigio* (ſic ibi habet Florent. non *nauigationi*, vt Gothofr.) *non eſt impedimento.* Ne hic quidem omnino neceſſe eſt, *nauigium* exponi nauigationem: cum ſatis commode pro naui accipi poſſit. Sed manifeſta eſt haec ſignificatio in verbis Scaeuolae, itidem a Briſſonio adnotatis, *l. 122. §. 1. D. de Verbor. obligat. Idque creditum eſſe in omnes nauigii dies ducentos*: et, *ipſe in Suriam per nauigium proficiſcatur*: et *quaſi profecto nauigio.* Vir Celeberr. Ioh. Fr. Gronouius *Cap. XXV. Obſeruat. in Scriptor. Eccleſ.* obſeruat, *nauigium* pro nauigatione eſſe Latinitatis recentioris, eoque Rutil. I. *Itiner. 541.* Dict. Cret. compluribus locis, et alios, verum omnes poſteriores Scaeuola, in hanc ſignificationem vſos eſſe. Obrechtus tamen *ad Dict. Cret. I. 5.* dubitat an ita ſit apud Lucret. V. 1002.

Nec poterat quemquam blandi fallacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis:
Improba nauigii ratio tum caeca iacebat.

Sed fortaſſis *rationem nauigii* pro ratione fabricandae nauis, artisque nauticae dixit ibi Lucretius. Vid. *vers. 334.* et *1447. eod. lib.* Bongarſius, quem docti quidam ſequuntur, putabat etiam Iuſtinum *lib. XXXII. cap. 3. nauem* dixiſſe pro nauigatione; ſed improbantibus Berneggero, Voſſio, et Scheffero, quorum ſententiam probo. Nec ſatis manifeſta eſt haec ſignificatio in verbis Cenſorini *Cap. XII. de Die Natal.*

42 *Latitare patronum*] Pro hoc non habeo auctoritatem aliorum. Si quis tamen putat ita dici poſſe, vt *latere aliquem*, non magnopere repugnem. Cicero hoc verbum nullo adpoſito caſu efferre ſolet: *Qui fraudationis cauſa latitarit*, pro

deponenti, dixit Pomponius *in l. si quis ita. 8. de Condit. et demonstr.*

[43] *Numquam,* pro vnquam positum esse, aut recte contra Latinorum consuetudinem duas negationes magis negare fatendum est, *in l.* 366
quamuis. 32. de Condit. et demonstr.

[44] *Nihilominus,* pro nihilomagis: negatio videlicet pro affirmatione posita est a Iuliano *in l. hoc genus. 106. eod. tit.*

Structu-

pro Quint. Cap. XIX. Extrahitur domo latitans Oppianicus, pro Cluent. Cap. XIII. et ita saepe in Digestorum libris Iurisconsulti. *Latitare propter creditores* dixit Vlpianus *l. 7. §. 5. ff. Quib. ex caus. in possess.* et, *aduersus quos non latitat. ead. l. §. 7. Latitare alicui* Plautus *Trinum. IV. 2. 81. Quid ergo ille ignauissumus mihi latitabat?* nisi tamen ibi *mihi* abundat, vt saepe apud Plautum.

43 *Numquam*] Gothofr. *in d. l. 32. de C. et D. Neminem, qui sub conditione ita manumissus esset, vnquam ad libertatem peruenturum.* Et ita Florentiae, et omnibus suis editis esse notarat Ampl. Bynkersh. Anton. August. II. *Emendat. 1.* profert e *l. 24. princ. de Damn. infect. Cum nemine nihil faciente locus ipse publicus damnum inferat sui natura,* idque more Graecorum dictum ait. Similiter locutos esse Catonem, Lucillium, Varronem, Ouidium, Tibullum, et plures ostenderunt Cuiac. X. *Obseru. 26.* et Vossius *de Construct. Cap. LXI.* Add. Scalig. *ad Varron. 1. de Re Rust. cap. vlt.* Petron. quoque *Cap. XLII. Neminem nihil boni facere oportet.* Cicero II. *Verr. 24. Debebat Epicrates nullum nummum nemini.* Vbi vid quae Docti notarunt, et Graeu. *ad Cicer. III. ad Attic. 7.*

44 *Nihilominus*] *Hoc genus legati, Si Titio non nupserit, perinde habendum est, ac si post mortem Titii legatum fuisset: et ideo nec Muciana satisdatione interposita capere legatum potest. sed et alii nubendo nihilo minus legatum consequitur. d. l. 106.* Sententia vtique, quantum intelligere possum, postulat *nihilo magis,* vel, *tamen non consequitur.* Gothofred. *ad l. 2. §. 1. ff. Vi bonor. rapt. ad l. 13. §. 11. Cod. de Iudic.* et *l. 56. Cod. de Decurion.* notat e Cuiacio *nihilominus* interdum sumi pro *non,* vel *nequaquam.* Non scio an Cuiacius aliorum, quam

Structuram verborum, quam σύνταξιν vocant, minus Latinam neque Grammaticorum regulis conuenientem, ſed plane barbaram a Scaeuola poſitam habes [45] *in l. filio et filia. 94. ad Leg. Falcid.*

367 [46] *Subſimile*, pro fere ſimile, adſimile, Vlpianus *in l. 1. §. hodie. 5. Si cui plus quam per Leg. Falcid.*

Accederat, pro acceſſerat dixit [47] Pomponius *in l. vlt. de Acquir. haered.* Sicut et *decederit* Paulus *in l. 27. §. 1. de Legat. 3.* vt quidem eſt in

quam Iuriſconſultorum, teſtimoniis nitatur. ſed ita propemodum locutus eſt Florus III. 17. *Nec ideo minus ſocii promiſſa Druſi a Pop. Rom. repoſcere armis deſierunt.* Et Priſcianus *Lib. XVIII. pag. 1196.* ſcribit, Latinos frequenter duplici abnegatione vti, vt *nihilominus*, *pro non*.

45 *In l. filio*] Puto deſignari, quod eſt in fin. *h. l. Verum non alias ea, quae ei data ſunt, accepturam, ſi modo ea quartam ſuppleat: quam voluntati defuncti ſoluendum praeſtando pareret.* De hoc quid dicam, non habeo, cum ſententiam verborum non percipiam. Ampl. Bynkersh. remiſerat ad Cuiac. *Comment. ad l. 78. ff. de Haered. inſtit.* et Alciat. *Parerg. V. 25.* qui mihi ad manum non ſunt.

46 *Subſimile*] Adferunt Lexica e Celſo *de Medicin. V. 26. 20.* Μελίκηρα *ſubalbida, mellique albo ſubſimilis.*

47 *Pompoeius*] An Ariſto? nam Pomponius ita refert, vt Ariſtonis verbis vti videatur. Gothofr. hic contra Florent. *acceſſerat*, et *in l. 27. de Legat. 3. decederit*, quorum prius typographis adſcribendum arbitror, eo quod ipſe notat in Haloand. eſſe *acceſſerat*. Scip. Gentilis I. *Parerg. 33.* ſcribit etiam Plautum, ac Tacitum hac inflexione praeteriti in verbo *accedo* vti, nec tamen, quod ſine piaculo licuiſſet, loca adnotat, quo tutius ei credi potuiſſet. Voſſius III. *de Analog. 26.* non damnandum indicat *accederat*, quia, vt ait, veteres ſaepe praeterita forma praeſentium, et contra praeſentia forma praeteritorum inflectebant. Nec reiecit Scaliger, apud Varron. I. *de Re Ruſt. in extr. deſcedimus*, notans dici pro *diſceſſimus*, et apud Plautum ſaepe perperam legi *accepimus*, pro *accedi-*

in Pandectis Florentinis pro decesserit, tempus 368
pro tempore: vel pro decederet, commutatione literae E in I. Vtrumque tamen contra Vallae et suorum regulas. Simile est, quod *adpulserit*, pro appulerit scripsit Vlpianus *in l. 1. §. Trebatius. 18. de Aqu. cottid. et aest.* ex iisdem Pandectis. Et Paulus *oblinuerit*, vel *oblinierit*, pro obleuerit *in l. 1. §. 1. D. de Var. et extraord. crim.*

[48] *Coloriam vestem*, sicut et inde compositum, pro *versicoloriam*, pro tinctam, fucatam, colore

accedimus. Atque Idem etiam in Varr. III. 2. pro *nullam se accepisse villam*, legendum censet *accedisse*. Sic quod Nonius v. *duodeuicesimo*, e *libro IV. Origin. Catonis* descripsit, *Carthaginenses sextum de foedere decernere*, Popma in fragm. Catonis edidit *decedere*, pro quo tamen *decessere* malebat Mercerus. Similia sunt *impellerim, neglegerim, haurierim, pellicui, sini, dilegi, euadi, crepi. obsepi.* de quibus Faërnus *ad Terent. Heaut. I. 1. 113.* Lindebrog. *ad Andr. I. 2. 17.* Salmas. *ad Trebell. Poll. Gallien. Cap. III.* et *ad Trigint. Tyr. Cap. V.* et Scip. Gentil. *l. d. Adpulserit* e *l. 1. de Aq. cott.* laudans Vossius III. *de Analog. 28.* nullis quidem exemplis confirmat, sed ex hac inflexione antiquos etiam *pulsi* dixisse coniicit. *Oblinuerit* e *l. 1. §. 1. de Extraord. crim.* etiam Brissonius *in Parerga* sua contulit e Florent. At *in Lexico* Idem *oblinierit* citat ex *h. l.* et e Paul. V. *Sent. 4.* vbi tamen aliae Edit. itidem habent *oblinuerit*. Quis autem praeter Paulum *linui* dixerit, mihi incognitum est. *liniui*, et *linire* vbiuis obuia sunt.

48 *Coloriam*] Et hic aliquid turbarunt typographi in scripto Auctoris, a quo quid profectum sit, non possum scire In *d. l. 32. de Aur. arg. leg.* vestis *coloria* a *versicoloria* distinguitur. *Et vestem tam coloriam, quam versicoloriam*, ait Iurisconsultus. Vbi *coloria* vestis est, quae multorum et variorum colorum est; *versicoloria*, quae vnius, e lana tincta, colore infecta, non natiua. Sic *coloreum* dixit Augustus apud Sosipatrum *lib. I. pag. 80. Gausapes purpureas, et coloreas meas.* Et Festus: *Lemnisci, id est, fasciolae coloriae.* Haec Salma-

369 colore infectam vsurpat Paulus *in l. pediculis. 32. §. Titia. 7. de Auro arg. et supellect. leg.* Sic et *versicoloria* neutro genere dixit Vlpianus *in l. si cui. 70. §. versicoloribus. 12. D. de Legat. 3.*

Salmasius *ad Vopisci Aurelin. Cap. XLVI.* vbi plura in hanc rem vide. *Versicolor* autem a Iureconsultis recte dici, pro eo, quod natiuum colorem tingendo mutauit, defendit. Auctor aduersus Vallam *Cap. LIII.* Quid autem in eo, quod *versicoloria neutro genere* dixit Vlpianus, potissimum notandum censuerit, non adsequor: non enim minus recte hoc dixit, quam alii *bombycina*, *coenatoria*, et similia, in quibus esse ellipsin τῶ *vestimenta* nemo non intelligit. *Versicolorius*, pro versicolor apud solum Paulum reperi *in h. l. 32.* et *III. Sent. 6. §. lana legata.* quod ita dictum est, vt *discolorius* pro discolor a Petron. *Cap. XCVII.* pro quibus *versicolorus*, et *discolorus* legitur in Prudentio. Vid. Heins. *ad Prud. Hamartig. vers. 819.*

EX PARTE SEXTA, DE BONORVM POSSESIONIBVS.

[1] *Succedere in loco*, pro in locum dixit Vlpianus *in l. 1. §. liberos. 7. D. de Coniung. cum emanc. lib.* Sic et *in rationibus referre*, pro in rationes, dixit Paulus *in l. Lucius Titius. 53. de Manum. testam*

Quantum porro excanduisset [2] Laurentius, si *vni*, pro vnius animaduertisset positum ab Vlpiano

1 *Succedere in loco*] Vid. quae dixi ad ea, quae notantur e *Parte V. n. 10.* nam haec eodem pertinent. *Referre in*, sequente ablatiuo, etiam Cicero dicit I. *de Nat. Deor. 12. Quid Democritus, qui tum imagines, earumque circuitus in Deorum numero refert?*

2 *Laurentius*] Vero similius est, Vallam, qui nequaquam hospes erat in scriptis antiquorum, quique sibi veteres Grammaticos diligenter fuisse lectos multis locis ostendit, non ignorasse,

Vlpiano *in l. 1. in fin. de Bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* Et *alii,* pro alius, ſiue alterius, *in l. inuitus. 156. §. cum quis. 2. de Reg. Iur.* Et [3] *domus ſui,* pro ſuae domus *in l. 3. §. ſed ſi mutua. 4. de In* 370
rem vers. Nimirum actum eſſe de re Grammaticali dixiſſet.

Dulcitudinem vſurarum, pro dulcedine dixit Vlpianus *in l ait Praetor. 10. §. ſi quid in fraudem. 10. D. de His quae in fraud. credit.* Quamquam *dulcitudinem* et *dulcitatem* etiam probat [4] Nonius Latina eſſe ex Accio et Caecilio. Simile

ignoraſſe, optimos quosque ſcriptores genitiuos, et datiuos ſingulares, qui plerumque in *ius*, et *i*, exeunt, etiam per *i*, *ae*, et *o* extuliſſe: quod iam olim Priſcianus compluribus locis, et e recentioribus Scip. Gentilis I. *Parerg.* 7. et Voſſius II. *de Analog. 3.* et *IV. 6.* oſtenderunt.

3 *Domus ſui*] Gothofr. deſerta ſcriptura Florentina, *ſine domus ſuae videlicet iniuria.* Puto *domus ſui* ita dici poſſe, vt apud Virgil. IV. *Aen. 654. imago mei*, et Plaut. *Pſeudol. I. 1. 3. labor mei, tui:* quae cum pluribus aliis eiusdem generis notauit Sanct. II. *Mineru. 13.* vbi et Clar. Perizonius conſulendus eſt.

4 *Nonius*] *Dulcitatem* Latine dici oſtendit Nonius ex Accio, et Caecilio: *dulcitudinem* e Cicerone III. *de Nat. Deor.* quamquam hoc vitioſe legitur in editis Nonii pro III. *de Orator.* in cuius *cap. 25.* ea, quae Grammaticus ille deſcribit, leguntur. Et ita quoque *in cap. 40.* eiusdem libri habere ſcriptos nonnullos notauit Gruter. *Integritudo* nusquam alibi legi. Fauet tamen analogia, ſi cui hoc ſufficere videbitur. Sic enim a *creber, crebri, crebritas,* et *crebritudo;* ab *aſper, i, aſperitas* et *aſpritudo;* a *tener, i, teneritas,* et *teneritudo;* a *macer, i, macritas,* et *macritudo* inueniuntur. *Pinguitudo* autem forte pluribus auctoritatibus confirmari queat: quam *pinguedo.* Certe Varro II. *de Re Ruſt. 4. III. 9.* et alibi fere ſemper non *pinguedo* dicit, vt ex eo laudat Beroald. *Annotat. in Seruium pag. 286. Tom. 1. Theſ. Crit. Gruteri,* ſed *pinguitudo.* Et ita vbique in melioribus libris Plinii legi pro

mile est, quod *integritudinem*, pro integritate scripsit Imp. Traianus, aut quiuis alius, cuius mandatum refertur *in l. 1. princ. de Milit. testam.* Et *pinguitudinem*, pro pinguedine Vlpianus *in l. 1. §. vlt. de Aqua pluu. arc.*

371 [5] *Imminutum* dixit Paulus *in l. si patronum. 44. in princ. de Bon. libertor.* pro *indeminutum*, vel potius *non imminutum*. *In* enim in compositione verbi *imminuo* non negat, sed potius auget significationem verbi, quae et ipsa negatiua est. Itaque *imminuo* est valde minuo, et magis deminuo: cum contra sentiat Paulus, seruari patrono ius suum integrum et illibatum.

Deprehendere vitem, legitur apud Venuleium *in l. vlt. in princ. D. Quod vi aut clam*, pro propagare, ex [6] glossula libro manuscripto interiecta,

pro vulgato *pinguedo* scribit Gronou. *ad Plin. XXIII. H. N. 8.* Columella, et Palladius vtroque crebro vtuntur: quorum neutrum Latine dici tradentem Seruium *in III. Georg. 124.* recte reprehendit Beroald. *l. d.* Add. Daum. *Cap. XXIII. de Caus. amiss. radic. Lat. ling.*

5 *Imminutum*] *Vt vndique patronus suum ius habeat imminutum, d. l. 44.* Composita quaedam cum *in*, eaque fere participia, vel eorum formam habentia, ancipitis notionis sunt, et modo affirmandi, modo negandi vim habent. Huiusmodi sunt v. g. *incoctus*, pro non coctus apud Plaut. *Mil. II. 2. 53. inquisitus*, pro non quaesitus, *Amphitr. II. 2. 217. immutatus*, pro non mutatus, Terent. *Andr. I. 5. 7. inauditus*, pro auditus, Cicer. *pro Balb. Cap. XVIII. impressus*, pro non pressus, Propert. II. 25. (al. 34.) 70. *infrenatus*, pro non frenatus, Liu. XXI. 44. quae omnia plerumque in aliam partem accipiuntur. Horum numerum auctoritate Pauli augere potest *imminutus*, etsi forte aliorum testimonio non nititur. Plura huiusmodi vid. apud I. F. Gronou. *ad Liu. XXII. 39.* et Salmas. *ad Vopisci Aurelian. Cap. XXIX.*

6 *Ex glossula*] *Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis, eaque in fundo tuo coaluerit, d. l. vlt.* Russardus

teriecta, vbi quidam *deprimere* legunt: quod probarem, si fide Codicum niteretur.

[7] *Hosticolum*, pro hostili loco dixit Vlpianus *in l. vn. de Bonor. poss. ex testam. milit.* Et bis quidem, si Florentinum exemplar sequimur: cum alii Codices, nescio an rectius, habeant *hostico*, et *hostili loco*. 372

[8] *Peculiarias res*, pro peculiaribus dixit Vlpianus *in l. 4. § vlt. de Dol. mali et met. except. Caeterum parenti*, inquit, *licere deteriorem conditionem liberorum in rebus peculiariis facere.* Quamquam quidam Codices habent etiam *peculiaribus*. Simile est, quod *peculiariam caussam* pro peculiari dixit Pomponius ex Pandectis Florentinis, *in l. peculii. 4. §. pen. D. de Pecul.*

[9] *Quadrifariter*, pro quadrifariam, Paulus *in l. vlt. §. tertio gradu. 14. de Gradib. et adfinib.*

sardus in libro MS. glossulam *depresseris* fuisse tradidit, praenotatis verbis Gaii e *l. 7. §. 13. D. de Adquir. rer. dom. terra presserim*, referente Magio IV. *Miscell.* 7. quam lectionem etiam Haloander dedit, et Magius, Gothofredus *ad l. vlt. D. Quod vi.* Menag. *Cap. IX. Amoen. Iur.* et apud eum Ianus a Costa probant.

7 *Hosticolum*] *Qui in hosticolo suprema iudicia sua quoquo modo ordinassent: et, si in hosticolo deprehendantur, d. l. vn.* Haloand. *in hostico*, quod etiam Magio placet III. *Misc.* 12. Florentinam lectionem defendit, et *lo* extremam syllabam pro *loco* accipi posse docet Ampl. Bynkersh. IV. *Obseru.* 20.

8 *Peculiarias*] Hoc Idem I. *Obseru.* 25. recte defendi censet exemplo eorum, quae duplicem habent terminationem, in *aris*, et in *arius*, vt *intercalarius, singularius, pupillarius.* Quibus add. *articularius* e Catone *de Re Rust. Cap. CLVIII.* et Plin. *praef. Lib. XXIII. Hist. Nat.* et *vulgarius* ex A. Gellio XII. 10. Nec dissimilia sunt *altarium, torcularium, lupanarium, miliarium, exemplarium* apud Voss. I. *de Analog.* 35. et *II.* 14.

9 *Quadrifariter*] Non inuenio vllum huius formae compositum alia terminatione, quam in *am*, efferri.

finib. siquidem Florentinam et Noricam editiones sequimur: licet Vulgatae Editiones *quadrifariam* habent.

373 [10] *Damnum facere* pro pati dixit Paulus *in l. damni infecti. 18. §. non solum. 15. in fin. de Damn. infect.* et *in l. Proculus. 26. eod. tit.*

[11] *Beneficio eius,* pro facto eius, culpa eius, per eum, propter eum, Vlpianus *in l. ex damni. 40. §. 1. de Damn. infect.*

[12] *Muni-*

10 *Damnum facere, pro pati*] Atqui hoc modo ipse Cicero, aliique probati scriptores saepissime loquuntur. Vid. Cicer. VII. *Ep. fam. 33.* et *Brut. Cap. XXXIII.* Idque adeo notum est, vt etiam Scioppius sibi Bembum, Manutium, Scaligerum, et Stradam castigendos existimauerit, qui *damnum pati* dixerant. Sed is vicissim merito reprehensus est a Vorstio, Borrichio, et Cellario. Magis dubitari potest, an apud antiquos legatur *damnum facere*, pro *dare*, quod Paulus dixit in *l. 30. §. 3. ad. Leg. Aquil.* et *l. 151. de Reg. Iur.* P. Faber quidem *ad d. l. 151.* adfert e Cicerone apud Lactant. *Epit. Cap. I. Sed idem stultus, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum.* Verum nihil est, vnde appareat haec magis Ciceronis verba esse, quam Lactantii, qui se summam quidem disputationis Carneadis, quam ibi proponit, e Cicerone descripsisse testatur *Lib. V. Instit. cap. 14. et 16.* sed tamen sententiam Ciceronis aliis, ac suis verbis exponere potuit. Pincier. II. *Parerg. 52.* scribit, *facere damnum* propria significatione esse *inferre*, sed eam ita exoleuisse, vt qui nunc ita loqui velit, soloecismi crimen non sit effugiturus: quamquam ita sit apud Plautum *Merc. IV. 4. 44. Non miror, si quid damni facis, aut flagitii*, et *Pseudol. I. 5. 25. Nam tu quod damni, et quod fecisti flagitii.* Sed mihi in his locis Plauti *damnum facere* non aliam significationem videtur habere, quam in hoc eiusdem *Mercat. II. 1. 12. Ait sese illius opera atque aduentu caprae Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.* Id est, non intulisse damnum, sed passum esse. Quia tamen veteres dixerunt *damnum infectum,* pro eo, quod nondum illatum est, facile credi potest, eos etiam *damnum facere* dixisse, pro *inferre.*

11 *Beneficio eius*] *Detrimentum hoc, quod beneficio eius contingit, ipsum sarcire debere, d. l. 40.* Et iterum Vlpian. *l. 46.*

[12] *Municium*, aut *municum esse*, pro 374
tributarium esse, vectigali soluendo subiacere,

 Paulus

l. 46. pr. ff. de Furt. Competit enim actio, non quia nunc abest, sed quia vnquam beneficio furis abfuerit. Schottus III. *Nod. Cicer. 9.* (vbi male etiam *l. 7. §. 13. Comm. diu.* in hanc sententiam laudatur) firmat hunc vsum auctoritate Ciceronis *de Vniuers. Cap. XIII. Deinde vt huic animanti principem se ducemque praeberet, vitamque eius pulcerrime regeret, et gubernaret: nisi quatenus ipse beneficiis sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret.* putat enim legendum *beneficio suo*, et illa, *sua culpa*, glossam esse expositionis loco adscriptam, quae deinde in contextum irrepserit. Sed hoc, vtpote totum in coniectura positum, parum firmum est: cum praesertim aliae Edit. ibi non habeant *beneficiis*, sed *benefactus*. Gutherius *Lib. I. de Offic. Dom. Aug. cap. 37.* putat etiam hac significatione accipiendum *in l. 27. Cod. de Inoff. test. Vel liberti, qui perperam et non bene merentes, maximisque beneficiis suum patronum adsecuti, instituti sunt.* et in Inscriptione sepulcrali ap. Gruter 687. V. in qua mater L. Hostilii dicitur in luctu esse BENEFICIO NOVERCAE. Non probo illius sententiam. Nam in *d. l. 27. C.* particula negatiua e praecedentibus ita repeti potest, vt sensus sit, *et non adsecuti patronum maximis beneficiis.* In Inscriptione autem verius est, quod sibi prius visum fuisse scribit Gutherius, *beneficio* positum esse pro *veneficio:* vt adolescentem a nouerca, quam repudiata vxore ei induxerat pater, veneno sublatum esse intelligamus, cuiusmodi speciem tractat Calpurnius *Declam. XXXIV.* In quo sequor iudicium Elmenhorstii *ad Apul. Apol. pag. 300.* vbi itidem corrupte legebatur, *me etiam beneficiis postularent*, pro quo Casaubonus recte reposuit *veneficii.* Nam et literas B et V in Inscriptionibus, et libris vetustis infinitis locis permutari notum est, et praeterea non credibile est, si mater veneficium nouercae intercessisse non putasset, eam in Inscriptione vsuram fuisse voce, quam e consueta ratione scribendi plerique pro veneficio accepturi essent. Ampl. Bynkersh. IV. *Obseru. 10.* pro *beneficio in l. 40. §. 1. de Damn. inf.* coniicit *pene vitio.* Ego cum non animadvertam ab aliis scriptoribus dici *beneficio alicuius fieri*, quod illius culpa fit, hoc inter singularia Vlpiani numerandum arbitror.

12 *Municium*] Festus V. *beneficiarii*, et Vegetius II. *de Re Milit. 7. et 9* scribunt, *munifices* dictos esse *milites, qui non vacabant, sed munus Reip. faciebant.* Sed et in vniuersum

375 Paulus *l. ſi publicanus. 4. §. de rebus. 1. de Publican.*

Satis imperite dixiſſe videtur Vlpianus, *Actoris partes ſuſtinere eum,* [13] *qui habet intentionem ſecundum id quod intendit, in l. generaliter. 12. de Exceptionib.*

[14] *Interdum,* pro interea contra receptam ſignificationem dixit Modeſtinus *in l. ſi quis. 15. de Fideicomm. libertat.* quaſi *interea dum.*

[15] *Liciturum,* pro concedendum eſſe, permiſſum fore, dure ſane et inuſitate dixit Paulus in

ſum omnes, qui munus ſuum praeſtant, *munifices* dici poſſunt. Soſipater *pag. 61. Munifex munere fungitur.* Plinius XI. *H. N. 40. Munifex mamma. Milites munificos* memorat Paulus *in l. 18. ff. de Verb. ſign.* vbi Budaeus, Grotius, Stewechius, et Menagius legendum cenſent *munifices.* Verum etiam *munificus* ita dici ex Iſidoro, Tertulliano, et Ambroſio oſtendit Gronou. *Obſeru. in Scriptores Eccleſ. Cap. XXII.* Nec tamen *munificius,* quod eſt *in d. l. 4. de Publican.* vſquam alibi ſcriptum inuenio, proque eo *munificum* legere malim, vt eſt in quibusdam Editionibus, et *in l. 2. C. de Praed. et omn. reb. nauicular. Eam partem, quae empta eſt, pro ſuo modo ac ratione eſſe munificam.*

13 *Qui habet intentionem*] De ſententia huius legis agit Cuiac. V. *Obſeru.* 37 Ego verba non intelligo.

14 *Interdum*] Ita ſaepe loquuntur recentioris aeui ſcriptores. Apul. IX. *Met. pag. 226.* Ed. Elmenh. *Interdum Philesietaerus cognito ſtrepitu raptim tunicam iniectus, ſed plane prae turbatione pedibus intectis, procurrit cubiculo.* Et ſic Idem pluribus locis, quae ibi *in Quaeſtionibus* congeſſit Stewechius, etiam hoc apud Tacitum ita eſſe notans. Add. Gronou. *l. d.* Berneggerus exiſtimat eadem ſignificatione dici a Vell. Paterc. II. 74. et Iuſtin. XI. 9. quod mihi aliter videtur.

15 *Liciturum*] Hoc Ciceronis eſt II. *ad Attic. 1. Quod nihilo magis ei liciturum eſſet plebeio Remp. perdere, quam ſimilibus eius me Conſule patriciis eſſet licitum.* Similiter *peniturum* dixit Accius apud Nonium, et Salluſtius apud Quintilian. IX. *Inſt. 3.* et *puditurum* Plinius XXXVI. *H. N. 15.*

in *l. si seruo. 31. §. 1. de Statu lib.* *Nec tamen,* inquit, *liciturum ex suo peculio dare,* pro non licebit ei, non permittetur. 376

Sed nec illud, quod paulo imperitius dixit Venuleius [16] *traditionem rei traditae in l. in vsucapione. pen. §. hae autem. 5. de Diuers. et temporalib. praescription.* sine reprehensione praeterisset Valla, si aduertisset.

[17] *Mortalitatem,* pro morte, aut moriendi conditione Vlpianus *in l. 2.* et *l. mortis caussa. 31 §. sine donatione. 2. de Donat. causs. mort.* et *l. 2. §. confestim. 43. ad Senatusc. Tertullian.* et *l. cum vero. 26. in princ. de Fideicomm. libertat.* Triphoninus *in l. merito. pen. de Vi et vi arm.* Scaeuola *in l. pupillus. 24. Quae in fraud. creditor.* Rursusque Vlpianus *in l. illicitas. 6. §. sicuti. 7. de Offic Praesid.* et *l. 2. de Pact. dotal.* 377 et *l. mulier. 22. in princ. vers. decreuisse. ad Senatusc.*

16 *Traditionem*] *Si post venditionem traditionemque rei traditae apud venditorem res fuerit, d. l. pen.* Hoc qua ratione dicatur non perspicio. Illud *traditae* vel superuacaneum est, vel certe pro eo commodius legeretur *venditae,* vt saepe alibi in Pandectis.

17 *Mortalitatem, pro morte*] Vt *in l. 2. de Pact. dot. morte finito matrimonio,* et *ibid. cum mariti mortalitas interuenit.* Et *in l. 22. pr. ad Senatusc. Treb.* et *l. 15. Quando dies legat.* vbi eodem modo haec permutantur. Reliquis quoque locis fere omnibus, quae hic laudantur, eadem significatio est. Altera plerumque apud alios, qui et pro ipsis mortalibus non raro ponunt, et interdum pro morte, vt Senec. III. *de Ira 43. Dum respicimus, quod aiunt, versamusque nos, iam mortalitas aderit.* Plin. VI. *Ep. 20. Magno mortalitatis solatio:* et X. *Ep. 50. Intercepto rege mortalitate.* quamquam haec etiam aliam expositionem recipiunt. Porro *l. 31. D. de Mort. causs. donat.* quae hic Vlpiano adscribitur, Gaii est e *Lib. 8.* ad Edictum Prouinciale.

natusc. Trebell. et *l. seruitutem. 209. de Reg. Iur.* Papinianus *in l. nam etsi. 15. in princ. de Inoffic. testam.* Vtitur et Suetonius *Claud. Cap. XLVI.*

[18] *Fortiter defendere*, pro acriter tueri opinionem aliquam, Vlpianus *in l. si mater. 11. § si quis iter. 6. de Exception. rei iudic.* Martianus *in l. accipientis. 15. de Auctorit. tutor.* Pomponius *in l. nuper. 85. de Legat. 3.* Itemque *fortius* in eodem sensu dixit Vlpianus *in l. magis puto. 5. §. sed si pater. 6. de Reb. eor.* et *in l. si haereditas. 10. §. qui filium. 2. de Testament. tutel.* et *l. si maritus. 15. §. si negauerint. 5. ad Leg Iul. de Adulter.* Quamquam et Quintilianus *fortissime affirmare* dixit [19] *Lib. II. et IV. circa finem*, et *fortius*

18 *Fortiter defendere*] Quintilian. III. *Declam. Defendatur enim tam fortiter miles tuus, quam vindicatus est.* Phaedr. III. *Fab. 10. Stant patroni fortiter causam tuentes innocentis foeminae*, vbi similem locum Quintiliani e *Lib. VI. Instit. cap. 1.* adnotauit Scheff. Sic *fortiter dicere*, Cicer. III. *Offic. 33. fortiter loqui pro libertate*, Corn. Nep. *Thrasyb. Cap. II. fortiter dicere sententiam*, Plin. IV. *Ep. 22.* In his *fortiter* est constanter, magno ac forti animo. Sed Iurisconsulti peculiari ratione dicunt, *fortiter*, et *fortius defenditur; puto fortius defendi posse;* et *fortius dicitur:* nimirum, cum sententiam aliquam proponunt, quae ipsis verior videtur, qua in re alibi vtuntur formulis, *videtur mihi; magis est, vt; prope est, vt.* Hoc apparebit ex vno exemplo e *l. 15. de Auctor. tut. Sed hoc vtrum ita est, si bis auctor factus est, an et vna auctoritas sufficiat eo animo, vt ad vtrumque pertineat, dubitat quidem Pomponius. sed fortiter defenditur, sufficere vnam auctoritatem.*

19 *Lib. II et IV.*] Hoc corruperunt typographi. Scripserat Auctor *L b. II. cap. 4.* vbi haec leguntur: *An ab ipso id genus exercitationis sit inuentum (vt alio quoque libro sum confessus) parum comperi: sed ne ii quidem, qui hoc fortissime affirmant, vllo satis idoneo auctore nituntur.* Hoc tamen multum distat a sermone Iurisconsultorum. Nam *fortissime adfirmare,*

tius videntur dicere indocti Lib. II. cap. 12. Quod 378
a Steph. Pasquierio disertissimo Patrono animadversum huc retuli.

Sed nec scrupulosam illam [20] inter *libertos* et *libertinos* differentiam, quam tantopere vrget et scrupulose persequitur Valla *Lib. IV. cap. 1.*
seruauit [21] Vlpianus *in l. 4. de Instit. et Iur.* sed 379
libertos pro *libertinis* posuit. Itemque Iulianus *in l. libertus. 20. §. si libertinus. 4. de Bon. libertor.* et Florentinus *in l. si in libertinum. 28. eod.*

Y 5 *tit.*

firmare, hic est constantissime, omni adseueratione, nec tamen vllo satis certo argumento, adfirmare. In illo autem, quod ex *Lib. II. cap. 12.* adfertur, haec sententia est, orationem indoctorum plerisque videri maiorem vim habere ad concitandos, commouendosque animos audientium. Qua ratione etiam Cicero II. *de Orator. 43. fortem orationem* vocat, quae inflammat animum iudicis acri, et vehementi quadam incitatione, vt ipse ait.

20 *Inter libertos*] Valla recte scribit, *libertinus* esse relatiuum ingenui, *libertus* autem patroni: et illo denotari conditionem hominum, hoc respectum ad patronum. Atque ita etiam alii docti sentiunt. Vt adeo non fuerit, cur haec differentia scrupulosa appellaretur, a qua quod nonnunquam discedunt ICti, credo eos vel paucis, vel nullis exemplis ex antiquitate facere. Addit porro Valla, hoc discrimen e multis in Iure Ciuili locis patere; sed a leguleiis ignorari. Quibus verbis cum apertum sit ab eo suae aetatis, non veteres Iurisconsultos designari, apparet frustra captari occasionem arguendi Vallae *in Add. ad Lexicon Brisson. v. liberti.*

21 *Vlpianus*] Cuius haec sunt verba *in d. l. 4. Iure gentium tria genera* (hominum) *esse coeperunt: liberi, et his contrarium serui, et tertium genus liberti, id est, hi qui desierant esse serui.* Quos Vlpianus hic *libertos*, alii Iurisconsulti sub *Tit. de Stat. hom. libertinos* vocant. Et ita quoque *in d. l. 4. de Instit et Iure* scriptum fuisse, ex eo non temere quis coniiciat; quod *in fin. princ. Instit. de Libertin.* qui locus ad verbum ex Vlpiano descriptus est, legitur, *et tertium genus libertini.*

tit. Sicut et Modeſtinus [22] ἀπελευθέρους καὶ ἀπελευθερικοὺς confundit *in l. 1. §. 4. de Excuſation. tutor.*

Commendare, cum in bonam partem ſemper vſurpetur, in malam accipit Vlpianus *in l. ſi creditoris. 31. §. 1.* [23] *de Priuileg. creditor. Tutorem,* inquit, *non facultates, ſed fraudulenta in rebus pupillaribus vel callida conſeruatio ſuſpectum commendat,* pro ſuſpectum facit, ſuſpecti arguit.

[24] *Superficientem aquam*, pro ſuperantem, redundantem, ſuperfluentem, dixit Vlpianus *in l. 1. §. iidem aiunt. 11. de Aqua pluu. arc.* Quod a verbo *ſuperficio*, antiquo at inuſitato, deducatur neceſſe eſt.

380 Caeterum [25] *ſuperare*, pro ſupereſſe, licet bene Latine, inuſitate tamen poſitum eſt a Paulo *in*

22 Ἀπελευθέρους:] Hoc quale ſit iudicabunt, quibus Graecorum Modeſtini copia eſt. Sed ſuſpicor Auctorem noſtrum alios Codices ſequi, quam Florentinum. Nam Anton. Auguſtin. *Lib. ſingulari ad Modeſtinum* ſcribit Politianum *in h. l.* pro ἀπελευθερικοῖς, quod Florent. eſt, bis praue ſcripſiſſe ἀπελευθέροις, indeque errorem ad alios libros manaſſe. Dubito etiam, an verum ſit quod Briſſonius tradit, ἀπελευθερικοὺς hic eſſe e libertis ortos, ac deſcendentes.

23 *De Priuileg. creditor.*] Vel potius *de Reb. auctor. iud. poſſid.* Nam alteram illam Inſcriptionem Florentiae non eſſe docuit Ant. Auguſtin. II *Emend. 1.* et III. 1. De hoc loco egit Ampl. Bynkersh. I. *Obſeru. 25.* qui, quia in Baſilicis vertitur κρίνεται, pro *commendat* malebat *condemnat.*

24 *Superficientem*] Hoc apud alios legi non puto. Haloand. *ſuperfluentem.*

25 *Superare*] *Praetor bona defuncti, venire permittit, vt, quod ſuperauerit, pupillo reſtituatur, d. l. 6. de Reb. auct. iud. poſſ.* Et, *Qui eorum vita ſuperaſſet*; item, *filius vita ſororem ſuperauit, l. 78. ad Senatuſconſultum Trebell.* In his ego quid inuſitate

in l. si non expedierit. 6. in princ. de Reb. authorit. iudic. possid. et a Scaeuola *in l. Lucius. 78. §. pater. 4. ad Senatusconf. Trebell.* Vnde [26] *superamenta materiarum* non minus noue dixit Vlpianus *in l. ligni. 55. §. Ofilius. 4. de Legat. 3.* pro residua materia.

inusitate dictum sit non animaduerto: nisi quis putet inusitata esse, quae apud Ciceronem, Liuium, Virgilium, et Sallustium inueniuntur, quos *superare* pro superesse dixisse, nihil necesse est testimoniis ostendi. *Vita superare* etiam Caesar dicit VI. *de B. G. 19. Vter eorum vita superarit, ad eum pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit.*

26 *Superamenta*] Assulas resectas, abrasasue exponunt alii. Est singulare vocabulum, vt apud Liuium XXVIII. 45. *interamenta.* Vid. ibi Gronou.

EX PARTE SEPTIMA DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS.

[1] *Segnitior*, dixit Vlpianus, si Florentinum exemplar sequimur, pro segnior *in l. sed si vnius. 17. §. quod autem. 17. de Iniur.* [2] *Populitari fructus,*

1 *Segnitior*] Haloand. et Vulg. *segnior. Segnitior* formatum est contra canones Grammaticos, nec aliam vllam illius auctoritatem habeo.

2 *Populitari*] *Tamen cum populitarentur ab aduersario* fructus agri, *d. l. 21.* Vulg. *popularentur.* Hal. *depopularentur. Populo* aliquoties dixit Virgilius, et eo vetustiores Caecilius, Quadrigarius, Accius apud Nonium. Vid. Voss. III. *de Anal. 7. Populari* παθητικῶς Liu. III. 6. *Vrbem Romanam subita Deum ira morbo populari. Populitari* quidem quis praeterea dixerit, non scio: nec tamen reiiciendum puto, cum eadem forma factum sit, qua alia frequentatiua itidem non valde vsitata, vt, *negitare, peritare, discrepitare, nominitare, vnctitare,* quae apud Plautum, Lucretium, et Sallustium leguntur. De deponentibus a Iurisconsultis passiue positis vid. etiam *supr. pag. 318. et 333.*

381 *ctus*, et quidem paſſiue, non deponenter, pro dilapidari, prodigi, abſumi, dixit Papirius Iuſtus *in l. Imperatores. 21. in fin. D. de Appellat.* Sicut et alia deponentia verba, quae cum vulgo actiuam tantum habeant ſignificationem, a Conſultis tamen παθητικῶς vſurpantur: [3] *ſtipulari*, [4] *obliuiſci*, [5] *morari*, [6] *adme-*

3 *Stipulari*] Iuriſconſulti *ſtipulari* dicunt non tantum eum, qui interrogat, ſed etiam eum, qui interrogatur, vt *in l. 7. §. 1. D. de Eo quod cert. loc. Si tamen certo loco traditurum ſe quis ſtipulatus ſit*, et aliis apud Briſſon. *in Lex.* quamquam in nulla earum paſſiue hoc dici inuenio: neque enim cum dicitur *ſtipulor a te centum*, pro interrogo an promittas, aut *ſtipulor me centum daturum*, id eſt, promitto, in his paſſiua ſignificatio eſt; quae eſſet, ſi diceretur, v. g. *ſtipulabatur a me Stichus*, pro interrogabat, an daturus eſſem Stichum, vel promittebam me eum daturum. Priſcianus tamen, quod obſeruarunt Briſſon. et Voſſ. *l. d. Lib. VIII. pag. 792.* exempla aliorum profert, in quibus *ſtipulari* eſt interrogari.

4 *Obliuiſci*] *Credendum eſt de adoptiuis emancipatis ſenatum non ſenſiſſe: quia poſt emancipationem in totum adoptiuae familiae obliuiſcuntur, l. 60 §. 6. ff. de Rit. nupt.* Hoc etiam Briſſon. *in Parergis* ita dici putat, quod mihi non neceſſarium eſſe videtur, cum e ſuperioribus poſſit reperi *adoptiui emancipati*. Interim, quibus paſſiua ſignificatio placet, habent, quo defendant, hoc Virgilii IX. *Ecl. 53. Nunc oblita mihi tot carmina*, etiam a Priſciano ad eam probandam citatum, et alia ex inferiori aeuo apud Voſſ. *l. d.*

5 *Morari*] *Si petitionis dies moraretur, l. 5. §. 1. D. Vt legat. ſeu fid. ſeru. cauſ. cau.* Et, *quoties aequitate deſiderii naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur, iuſtis decretis res temperanda eſt, l. 85. §. 2. de Reg. Iur.* Ita liber Florentinus. Vulgata, et Haloand. *aequitatem*. Gothofr. *aequitas*. Briſſonius, et P. Faber *ad d. l. 85.* probant ſcripturam Florentinam, et exponunt retardari. Addit Faber eadem ſignificatione eſſe *in l. 7. C. de Execut. rei iud. reſtitutio remorata eſt*, pro quo Gothofr. habet *remota eſt*. Veteres dixiſſe *moror te*, et paſſiue, *moror a te*, ſcribit Priſcian. *Lib. VIII. pag. 795.* Et ita Manutius accipit hoc Coelii *ad Cicer. VIII. Fam. 5. Sic multum*

[6] *admetiri*, [7] *mentiri*, [8] *confiteri:* quae a Dn. Brissonio ante nos animaduersa nolui huc transcribere. 382

Paulus *in l. inter stipulantem. 83. princ. de Verbor. obligat. Qui spondet dolum malum abesse, absuturumque esse, non simplex* [9] *abnutiuum spondet.* Melius dixisset, non simpliciter absore spondet, et idem expressisset. 383

[10] *Sub-*

multum ac diu ludetur, atque ita diu, vt plus biennium in his tricis moretur. Moro quoque ex Ennio, Naeuio, et Pacuuio adfert Diomedes *Lib. I. pag. 395.*

6 *Admetiri*] Hoc ita poni volunt *in l. 35. §. 7. de Contrah. empt. Sed et si ex doliario pars vini venierit, veluti metretae centum, verissimum est, (quod et constare videtur) antequam admetiatur, omne periculum ad venditorem pertinere.* Et *in l. 1. §. 1. de Peric. et comm. rei vend. Sed et custodiam ad diem mensurae venditor praestare debet. prinsquam enim admetiatur vinum, prope quasi nondum venit.* Sed haec incerta sunt: nam nihil vetat, quo minus suppleatur nominatiuus *venditor.* Vnde et a Brissonio, ac Vossio haec praetermissa arbitror. *Dimetiri* tamen hac significatione dixit Vitruvius V. 9. *Si Dorici generis erunt columnae, dimetiantur earum altitudines cum capitulis in partes quindecim, et ex eis partibus vna constituatur, et fiat modulus.* Et IX. 8. *In finem gnomonis circino nouem spatia dimetiantur, et quo loco nonae partis signum fuerit, centrum constituatur. Metiri*, Auctor *de Mortib. Persec. Cap. XXIII. Agri glebatim metiebantur.* Et Arnobius apud Voss. III. *de Analog. 6.* Participiis, *mensus, admensus, emensus,* et plerorumque cum *metior* compositorum, sic vtuntur Cato, Virgilius, Liuius, aliique probatissimi.

7 *Mentiri*] Nec hoc memorat Brissonius, aut Vossius. Est autem, ni fallor, e *l. 28. de Leg. Corn. de fals. Si a debitore praelato die pignoris obligatio mentiatur, falsi crimine locus est. Mentitus*, et *ementitus* passiua, sunt apud Virgilium, Ouidium, et Ciceronem. An iis etiam in aliis modis hac significatione vtantur veteres, ignoro. Nec Priscianus *mentio*, et *mentior*, actiue dici scribens, de hoc quidquam adnotat.

8 *Confiteri*] Vid. *pag. 358. n. 28.*

9 *Abnutiuum*] *Abnutiuum* esse negatiuum e Capro Grammatico, Glossis, et Martiano Capella post Cuiacium docuit *ad h. l.* Gothofr. Vetustiores tamen ita locutos esse non arbitror,

[10] *Subſequi*, pro obſequi dixit Calliſtratus *in l. Diuus Claudius. 15. §. et quatenus. 3. ad Legem Cornel. de falſ. Subſequendi neceſſitas*, inquit, pro obſequendi. Itaque quidam Codices habent.

[11] *Paulatim*, pro particulatim, vel per partes, dixit Paulus *in l. Moſchis. 47. in fin. de Iure fiſc.*

[12] *Agitare*, pro agere, litigare, Idem Paulus *in l. vlt. de Fideiuſſorib.*

384 *Putatio perſonae*, pro opinio, exiſtimatio, id ipſum, quod quis aliam perſonam eſſe putat, quam ſit, Paulus *in l. eum qui. 18. §. 4. de Iniur.*

Nec

10 *Subſequi*] Hic compoſitum pro ſimplici *ſequi* poteſt accipi, quod et in aliis, et in hoc ipſo verbo ſaepe fit. Sic *in l. 5. §. 2. D. de Confeſſ. Subſequi Praetorem voluntatem Orationis Diui Marci debere. l. 10. §. 1. de Capt. et poſtlim. reu. Praetorem ſubſequi non minus patris, quam legis voluntatem:* quod alibi in Pandectis *ſequi voluntatem* dicitur. Et apud Quintilianum *Decl. VI. Qui dubitat, an ſcripti voluntatem ſequi conueniat.* Ita *neceſſitas ſubſequendi* erit, neceſſitas ſequendi iuſſum, auctoritatem, voluntatem teſtatoris.

11 *Paulatim*] *Conduxerat a fiſco poſſeſſionem, eamque paulatim pluribus locauerat, d. l. 47.* Hoc noue dictum videtur. Poſſet videri eadem ſignificatio huius vocis eſſe apud Hirtium *Lib. VIII. de Bell. Gall. cap. 15. Barbari confiſi loci natura, quum dimicare non recuſarent, ſi forte Romani ſubire collem conarentur, paullatimque copias diſtributas dimittere non auderent, ne diſperſi perturbarentur, in acie permanſerunt.* Nam ſi *paullatim* referas ad verba, *copias diſtributas*, erit idem, ac ſi dicas, per partes, vel in partes. Sed hoc non ſatis certum eſt, cum ibi *paullatim* etiam referri poſſit ad ſequens *dimittere.*

12 *Agitare*] *Cum procurator in rem agebat, cautionem dederat, ratam rem dominum habiturum. poſtea victo eo, dominus reuerſus iterum de eadem re agitabat, d. l. vlt.* Quod hic *agitare* dicitur pro agere, non inſolentius eſt, quam *agitare equum, nauem*, et alia multa, pro agere. Cicero quoque dicit *agitari res* in iudiciis, et concionibus, de quibus agitur, ac diſceptatur apud populum, vel apud iudices.

Nec transferri, inquit, [13] *personae putationem ex persona filiorum ad eos potest.* Qui etiam locus a manifesto soloecismo defendi non potest: nisi [14] ἀντίπτωσιν esse dicamus, accusatiuum pro nominatiuo, *putationem,* pro *putatio.*

Factores, pro iis, qui fecerunt, vel quid admiserunt, [15] Macer *in l. solent. 7. de Custod. et exhibit. reor. Solent Praesides prouinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos, vbi* 385
factores agere dicuntur, id est, criminum authores, qui crimen admiserunt.

[16] *Libe-*

13 *Personae putationem*] Vulg. et Haloand. *putatio.* Gothofr. *per personae putationem*, e Florent. vbi est *PERsonae putationem*: quae geminatio non intellecta Editoribus quibusdam imposuit. Hoc me docuit Ampl. Bynkershoekius. *Putatio* autem pro opinione recte notari existimo. Nam nisi in Glossis Vet. in quibus est οἴησις, *putatio, opinatio*, nusquam alibi inuenio.

14 Ἀντίπτωσιν] Alia est ἀντιπτώσεως ratio, ad quam huiusmodi vitia contra emendatam structuram orationis admissa referri non possunt. *Personae putationem potest transferri* esset soloecismus, vel, vt quidam huiusmodi errata veterum appellare nos iubent, σολοικοφανὲς, cuius exempla nonnulla e Latinis, Graecisque scriptoribus collegit Voss. *ad Catull. pag. 296.*

15 *Macer*] Et Vlpianus *l. 1. §. 21. de Senatusc. Silan.* itemque Arrius Menander *l. 6. §. 8. de Re milit. Factor* vocabulum est Latio non incognitum: verum alia significatione. *Factores* Cato *de Re Rust. Cap. LXV. LXVII. et LXVIII.* vocat eos, qui oleum premunt. *Doliorum, cuparumque factores*, Pallad. I. *de Re Rust. 6.* qui ea conficiunt. *factores* in lusu pilae (vt volunt docti, sed dissentiente Gronouio, qui eiusdem sunt factionis, Plaut. *Curcul. II. 3. 18.* Qui Iurisconsultis *factor*, Plauto *Bacchid. III. 2. 11. malefactor* est. Sed hoc in obsoletis Plauti habendum censet Cellar. *Cur. poster. Cap. X.*

[16] *Liberum*, pro filio, numero singulari tam Vlpianus *in l. nemo praedo est. 126. §. 1. de Regul. Iur.* quam Modestinus *in l. ius cognationis. 34. de Pact.* dixerunt. Cuiusmodi erratum non solum Paulo, Caioque, sed et Quintiliano suo falso tribuit Valla *Lib. III. cap. 8.* Cum contraria Caius testetur, hanc enunciationem, *habet*, vel, *non habet liberos*, semper numero plurali proferri *l. non est. 148. de Verbor. signif.*

386 [17] *Aliquod*, pro aliquid, *in l. 1. in princ. de Vacation. et excusat. muner.* Aut sane soloecismus est, pro *aliquam*, scilicet excusationem. Nam alio referri non potest.

[18] *Polli-*

16 *Liberum*] Codex Florentin. *in l. 126. §. 1. de. Reg. Iur. qui libertum adquisierit*, et *l. 34. de Pact. nolle suum esse.* Et ita vtroque loco Gothofr. edidit, et probant docti Iurisconsulti. Alii illo loco, *qui liberum adquisierit:* hoc, *suum liberum.* In Codice, et Institutionibus *liberum* num. sing. dici notat Gothofr. *ad d. l. 34. de Pact.* Et ita etiam esse apud Quintilian. *Declam. II.* Aurel. Vict. *in Caesarib. Cap. XXVI.* et *Epit. Victor. Cap. XXV.* ostendit Vossius I. *de Anal. 42.* add. Muncker. *ad Hygin. Fab. IX.*

17 *Aliquod*] *Sed si praetendentibus aliquod sine iudice credatur, d. l. 1. de Vacat.* Gifanius *in Ind. Lucret.* scribit, in vetustis Codicibus saepe legi *quod*, *aliquod*, *siquod*, vbi vulgo *quid*, *aliquid*, *siquid.* Locum Prudentii *Hymn. in Roman. vers. 251.* vbi in scriptis Gifanii erat: *At si quod vsquam vanitatis mysticae Nobis colendum est*, etiam ita expressit Edit. Weitz. at Heins. et aliae, *si quid.* Cicero tamen XIV. *Ep. fam. 10. Quod fieri placeret, scripsi ad Pomponium:* pro quo alibi *quid* solet ponere. Contra Plautus saepe *quid* dicit pro *quod:* vt *Trucul. II. 4. 31. Mostell. III. 1. 132.* et aliis locis apud Sciopp. III. *Susp. Lect. 7.* qui ex iis defendit hoc Phaedri IV. *Fab. 19. Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.* Sed in contrarium eunt Rittersh. Gronou. et alii.

[18] *Pollicitatae*, pro pollicitae, Vlpianus *in l. toties. 6. §. 2. de Pollicitation.* quod recte a verbo *polliceor* deriuari non potest.

[19] *Propositionem animi*, pro proposito, dixit Triphoninus *in l. fugitiuus. 225. de Verbor. signif.*

[20] *Semissales vsuras*, pro semissibus, Modestinus *in. l. Septitia. 10. de Pollicitation.*

Quid quod *equis*, pro aequabus, contra regulas Vallae posuit [21] Vlpianus *in l. 2. de Extraordin. cognition.* subiicit enim, *fortuque earum.*

Quid quod etiam [22] *praestaturus, obstaturus, extaturus*, passim et fere semper dicunt Consulti, cum ex Vallae et aliorum Grammaticorum regulis 387

18 *Pollicitatae*] Gothofr. *in d. l. 6. Si quid ob honores pollicitae sunt.* Florent. *pollicitatae*, quod cur vel mutari, vel, vt parum Latinum, notari debuerit, non intelligo. Nam non minus recte a *pollicitor*, quod est apud Plaut. *Milit. IV. 2. 66.* ac Terent. *Andr. V. 4. 9.* et *Phorm. III. 2. 36.* fit *pollicitatus*, quam a *polliceor pollicitus.*

19 *Propositionem*] Cicer. II. *de Inuent. 54. Magnificentia est rerum magnarum, et excelsarum cum animi ampla quadam, et splendida propositione agitatio.* Et III. *Tusc. 18. Vitae propositio, et cogitatio.*

20 *Semissales*] Hoc etiam e *l. 102. §. vlt. de Solut.* adfertur *in Lexic.* Brissonii. Sed ibi Florent. et Gothofr. habent *semisses vsuras*, quemadmodum et aliis locis ex vsu veterum loquuntur Iurisconsulti. *Semissalis* est in libro Frontini *de Limitib. pag. 131. 132.* Ed. Goes.

21 *Vlpianus*] Et Modestinus *l. 39. de Vsur.* Hoc e Varrone, ac Plinio, et alia huius generis ex aliis probat Vossius II. *de Anal. 4.*

22 *Praestaturus*] Idem III. *de Anal. 20.* obseruat composita a *sto* in supinis magis per *a*, quam *i* efferri, et ea, quae hic notantur, recte dici e Cicerone, Liuio, et Quintiliano ostendit.

regulis dicendum esset, *praestiturus, obstiturus, extiturus*, etc.

[23] *Tollisse*, pro sustulisse dixit Vlpianus *in l. et per iusiurandum. 13. §. si is qui hominem. 4. de Acceptilat.* Licet quidam Codices habeant *tulisse*, quod pro sustulisse vsurpari potest, simplex videlicet pro composito: sicut et *ferre*, [24] pro conferre *in l. 1. de Furt.*

[25] *Idoniorem*, dixit Paulus *in l. 2. de Popu-*
388 *larib. action.* pro magis idoneo. Itemque Callistratus *in l. quod si plures. 18. de Testament. tutel.* et

23 *Tollisse*] De hoc vid. Ampl. Bynkersh. *I. Obs. 25.* Praeteritum antiquum esse etiam Scaliger censet *ad Varron. I. de Re Rust. cap. vlt.* et cum eo Vossius III. *de Anal. 37.* Sunt qui etiam ita accipiant hoc Plauti apud Nonium in *pileus: Pileum, quem habeo, diripuit, eumque ad coelum tollit.* Sed hoc et praesens esse potest. Nam veteres saepe negligunt conuenientiam temporum.

24 *Pro conferre*] Voluit, credo, *auferre*, e *l. 1. de Furt.* vbi Norica lectio habet: *furtum a ferendo, id est, auferendo*, pro Flor. *a ferendo, et auferendo. Ferre* autem pro *auferre* optimis scriptoribus vsitatum esse, non necesse est testimoniis probari.

25 *Idoniorem*] Ampl. Bynkersh. *l. d.* notat, Salmasium *ad Tertullian. de Pall. pag. 223.* hoc in duobus locis Tertulliani obseruasse. Eorum alter est *Cap. III. de Pall. Araneorum more scopis idonius distendit*, pro magis idonee, vt ait Salmas. alter *Cap. XVIII. de Anim. Aliam protendi paraturam, vt multo idoniorem.* Haec effugerunt diligentiam adcuratissimi Vossii, II. *de Anal. 27.* scribentis, se *idoneior* non nisi apud scriptores collapsae iam Latinitatis, vt Petrum Damianum, legisse. Fortassis tamen hoc apud antiquos in vsu non fuit. Nam et Charisius *Lib. I. pag. 88.* disertis verbis negat ab *idoneo idonior* fieri posse, et Priscian. *Lib.*

et *in l. ſemper. 5. §. coloni. 11. de Iure immunit.* Inuſitate certe, neſcio an Latine. Nam ſi Grammaticos ſequimur, a genitiuo *idonei* formandum erat *idoneior.* Itaque legitur *in l. 3. §. ſi tamen plures. 12. de Homin. liber. exhib.* Quamquam Pandectae Florentinae *idoneor* habent. Nec ſimile eſt, quod res *exiguiores* alibi dicunt Conſulti, et [26] *exiguius*, pro magis exiguum *in l. ſi ita ſit. 14. §. 1. de Legat. 1.* et *in l. Praetor. 13. §. 1. de Vacation. et excuſat. muner.* Nam et *exiguiſſima legata* dixit [27] Plinius *Epiſtol. 144.*

[28] *Adponere authoritatem,* pro interponere, Celſus *in l. pupillus. 189. de Diuerſ. reg. Iur.*

Lib. III. pag. 600. inter alia huius formae a veteribus vſurpata hoc non recenſet.

26 *Exiguius*] Hoc etiam Columellae *in Lib. de Arborib. Cap. XXVIII.* e vetuſtis libris reſtituit Victorius, quem ibi vid.

27 *Plinius*] *Lib. VII. Epiſt. 24.* et, quod obſeruauit Voſſius, iam ante eum Ouidius *in Epiſt. Hypermn. verſ. 115.*

28 *Adponere*] Etiam Briſſonius hoc adnotandum cenſuit. Mihi non liquet, cur minus liceat dicere *adpoſita tutoris auctoritate*, quam *intercedente*, *interueniente*, *interpoſita:* quibus crebrius Iuriſconſulti vtuntur.

389 [1] INVSITATA VOCABVLA, ET AB ALIIS AVTHORIBVS NON VSVRPATA, AVT ETIAM DVRIORA APVD IVRECONSVLTOS.

EX PRIMA PARTE DIGESTORVM.

[2] *Ex continenti*, in *l. Iuris gentium.* 7. *§. quin imo.* 5. *de Pact. l.* 3. *§. eum igitur.* 9. *de Vi et vi armat.* et *incontinenti, in l. quod ait lex.* 23. *in fin. ad Leg. Iul. de adulter.* et *l. si ita quis.* 135. *§. Seia. de Verbor. obligat.* pro nulla interposita mora, nullo actu extrinseco interueniente: licet in *l.* 1. *§. item si ita.* 8. *ad Leg. Falcid.* id moderetur Paulus, cum aliquo temporis spatio.

Sic et [3] *in pendenti esse*, alibi dixerunt,
390 pro pendere, incertum esse. Et *casum* [4] *in*

1 *Inusitata*] Haec ita distinguere a superioribus Auctori visum fuit, quae cum pleraque eiusdem generis sint, cuius et superiora, non minus recte coniungi cum iis sub eodem Titulo potuissent.

2 *Ex continenti*] Hoc aliquoties in Iustino legitur. *Lib. V. cap.* 3. *Ex continenti se cum exercitu venturum.* Et rursum V. 5. et I. 9. quae loca *in Dissert. de Pact. adiect. Cap. I.* notauit Ampl. Bynkersh *In continente* est in Glossis, quae vertunt ἐν τάχει. Verum non magnopere opus est his defensoribus. Nam in ipsa Lege Iulia fuisse, *in continenti*, docet Vlpianus *l.* 23. *§.* 4. *ad Leg. Iul. de adulter. Quod ait Lex, in continenti filiam occidat, sic erit accipiendum.* Item Paulus, a Gothofr. *ad d. l.* 23. laudatus, *in Collat. Leg. Mosaic. et Rom. Tit. IV.*

3 *In pendenti esse*] Vt Vlpianus *in l.* 25. *§.* 1. *D. de Vsufr. Interdum tamen in pendenti est, cui adquirat iste fructuarius seruus.* Et ibid. e Iuliano: *In pendenti esse dominium eius.* Nec non Gaius *l.* 43. *§.* 2. *de Adquir. rer. dom In pendenti est, cui proprietatem adquisierit.* In his *in pendenti est*, pro pendet,

[4] *in difficili esse*, pro difficilem, obscurum, inuolutum esse, Scaeuola *in l. Gallus.* 29. §. *ille casus.* 15 *de Liber. et posthum.*

pendet, non magis me offendit, quam *in incerto*, *in occulto*, *in obscuro*, *in dubio*, *in integro est*: de quibus Gronouius Pater *ad Liu. III. 10.* Et faciunt eo, *in suspenso retinere*, et *tenere*, ap. Senec. II. *de Ira* 23. et Tacit. I. *Hist.* 78. et, *in suspenso relinquere* apud Plin. X. *Epist.* 40. *Pendere* autem si quis hac significatione accipi dubitet, adeat Gronou. *ad Senec. VI. de Benef.* 16.

4 *In difficili*] Hoc vero nec inusitatum, nec durum est. *Liu. III. 8. Cum exitus haud in facili essent.* Et III 65. *Moderatio tuendae libertatis in difficili est.* Celsus V. *de Medicin.* 26. 1. *Indicare necessariis periclitantis, in difficili rem esse.* Sic *in procliui*, *in expedito*, *e facili*, *e difficili*: de quibus vid. Viros Egregios I. Fr. Gronou. *ad Liu. III. 8.* et Nic. Heins. *ad Ouid. III. de Arte am. v. 476.* Ceterum Gothofr. *in d. l. 29. de Lib. et posth.* coniicit *ille casus in dissimili est*: quod mihi, si licet in his iudicium meum interponere, non placet. Nam speciem, quae ibi tractatur, vere difficilem esse, e tota Scaeuolae disputatione apparet. Taubmann. *ad Virgil. V. Aen.* 784. notat obseruatum esse, in Iure legi, *casus indifficilis*, pro valde difficilis: eamque lectionem iam ante illum retulerat, et auctoritate meliorum Codicum reiecerat Alciatus *in fin. Lib. IV. de Verbor. Signif.* Accedit ad Alciati argumentum, quod Obseruatores illi vocem *indifficilis* nullius vetusti scriptoris testimonio probarunt: quam etiamsi possent ostendere, tamen nondum illis confestim adsentirer hoc loco ita legendum esse.

[1] *Redactum*, quasi redactionem et pecuniam redactam, dixit Scaeuola *in l. defuncta.* 58. §.

Z 3 *Seni-*

1 *Redactum*] Gronou. I. *Obseru.* 20. in Palladio I. 19. et VIII. 7. e MS. restituit *redactus*, et *redactum*, pro vulgatis *reditus*, et *reditum*. Ob quam caussam, simul quia etiam *in l. 88. D. de Solution.* et *l. vlt. de Curat. bon. dand.* haec vox legitur, Ampl. Bynkersh. I. *Obseru.* 25. rectissime censet nihil

Sempronio. 1. de Vsufruct. Quod nemo alius sic vsurpauit. Itaque quidam Codices habent *reditu:* sed *redactu* verior est lectio: idque in fine interpretatur, *id quod redactum est.* Et notandum Scaeuolam eo loco non sua, sed testatoris verba referre. Idemque Scaeuola
392 alibi [2] *refectum paupertatis*, siue haereditatis vocat, quod ex haereditate vendita refici potest, *in l. Lucius. 78. §. haeredum. 12. ad Senatusconf. Trebell.*

[3] *La-*

nihil hic immutandum. Vid. quae ibidem disputantur de scriptura, quam Gothofredus edidit, *ex redactis fructuum.* Non habeo, quod addam, nisi vetustam Editionem Scriptorum *de Re Rustica*, quae A. 1496. prodiit Regii apud Dionysium Bertochum, cum aliis quibusdam in locis Palladii, tum *in Lib. VIII. Tit.* 7. cum scriptis, quos Gronouius versauit, consentire. Quid autem sit *reductus* erudite docuit Gronouius *l. d.* Porro eadem ratione, qua a *redigo* dicitur *redactus*, ab *exigo exactus* dixit Quintilian. *Declam. XII.* obseruante eodem Gronou. *ad Liu. XXXIV. 9.*

2 *Refectum*] *Interim ex refectu paupertatis, qui ad vos peruenerit, alatis eum vsuris pro quantitate nummorum redactis, d. l. 78. §. 12. ad SC. Treb.* id est, vt notat Gothofr. ex omni, quod ex meo modico refici poterit. *Reficere pecuniam ex aliqua re*, pro conficere, colligere, non minus Latine dici quam *redigere*, docuit Idem modo saepe laudatus V. C. *ad Liuium I. 53. et XXXV. 1.* Et ita crebro legas in libris Digestorum. Sed non, vt a *redigere redactus* dicitur, ita etiam a *reficere refectus* ea significatione, quae est in *d. l. 78.* alibi inueniri opinor: nam pro refectione, alimento, dixit Plinius XVIII. *N. H. 7. quadrupedum refectibus. Paupertas* autem hic ὑποκοριστικῶς dicitur pro omnibus facultatibus, vt *peculium l. 16. pr. D. ad SC. Treb.* quod genus loquendi etiam nunc vernaculae quaedam linguae seruant, vt homines *paupertatem* suam appellent omnes opes, etiam satis amplas. Est praeterea et hoc obseruandum, de quo aeque ac de eo, quod est *in l. 58. de Vsufr.* monere debuerat Auctor noster, non Scaeuolae esse haec verba, sed testatoris, forte cuiusdam de plebe hominis: adeo vt minus mirum sit parum accuratum esse illius sermonem.

[3] *Latrunculatorem*, pro praefecto apparitorum, qui latrones conquirit et persequitur, Vlpianus *in l. solemus. 61. §. 1. de Iudic.* Iustinianus ληςοδιώκτας vocauit [4] *Nou. VIII.*

[5] *Certiorare*, pro certiorem facere, tam saepe apud nostros occurrit, vt id adnotare pu- 393
tidae sit diligentiae. Cui simile est [6] *obuiare*, pro obuiam ire, aut contradicere. Marcellus *in l. si patronus. 20. §. de illo. 1. de Donationib.*

3 *Latrunculatorem*] *Latrunculator de re pecuniaria iudicare non potest, d. l. 61. de Iudic.* Cuiac. XIX. *Obs. 11. latrunculatores* interpretatur eos, qui praeerant stationibus militum, per prouincias dispositis ad inuestigandos, et persequendos latrones. Add. Casaub. *ad Capitolin. Anton. Philos. Cap. XXI.* Est autem recensendum inter noua officia, quae Imperatores excogitarunt ante ignota, quorum nominibus quod Iurisconsulti vtuntur, notam non meretur.

4 *Nou. VIII.*] *Cap. 12. et 13.* vbi a Iuliano verti *latrunculatores* notat Cuiacius. In Glossis quibusdam est *latroniculator*, pro *latrunculator*, quod aliae habent.

5 *Certiorare*] Multa loca Pandectarum, in quibus hoc legitur, congessit Brisson. *in Lexico.* Ea autem omnia descripta sunt ex Vlpiano, praeter *l. 5. D. Quis ordo in possess. seru.* quae Marcelli est. Nam quod e Iuliano legitur apud Vlpianum *in l. 1. §. 33. D. Depos.* id illius, an huius verbis referatur, incertum est. In *Lexico Iuris* e Brissonii, Hotomani, et Prateii Lexicis, ac Cuiacii Obseruationibus, vt fert Titulus, consarcinato, scribit, nescio quis, se putare hoc verbum a Triboniano pro vetustiori alio repositum. Ego, vti non negare velim Tribonianum quaedam in scriptis Iurisconsultorum mutasse, et ad rationem noui Iuris adcommodasse; ita, vbi ea ratio non adest, in singulis verbis, quae nobis non satis elegantia videntur, Triboniani manum quaerendam non existimem.

6 *Obuiare*] Cellar. *Cur. Poster. Cap. VI.* hoc reiicit ad classem Latinitatis cadentis, et Macrobii, Vegetii, Orosii, et Hieronymi esse ostendit. In Sallust. *Iugurth. Cap. V.* scripti quidam, quod Idem adnotauit, habent, *superbiae nobilitatis obuiatum est*, quod amplexus est Carrio, at reiecerunt Riuius, Putschius,

[7] *Caſſitare*, vel, *caſitare ſtillicidium*, dicitur
394 pro frequenter cadere. Paulus *in l. ſeruitutes. 20. §. ſi ſeruitus. 3. de Seruitut: vrban. praedior.*

Ornamentum [8] *transfiguratum*, pro in aliam formam redactum, deformatum. Vlpianus *in l. quid tamen. 10. § proinde. 6. Quib. mod. vſusfr. vel vſus amitt.*

Leguli,

Putſchius, Gruterus, aliique ex aliis MSS. in quibus eſt, *obuiam itum eſt*, quos non ſine ratione probat Cellarius. Eſt tamen apud Palladium, Macrobio, et aliis, quos dixi, haud paullo, vt Docti exiſtimant, antiquiorem, I. *de Re Ruſt. 35. Grandini creditur obuiare, ſi quis crocodili pellem, vel hyaenae, vel marini vituli, per ſpatia poſſeſſionis circumferat.* Et IV. 10. *Aſini vrina ſtercori admixta porcino vermibus obuiabit.* Item apud Auctorem Declamationum, quae Quintiliani nomen praeferunt, *Declam. CCCVII. Sed quatenus nequitia obuiatum eſt legi, reliquum eſt, vt hic reus ſit.* *Viare* video a Palmerio *princ. Spicileg. ad Plaut.* laudari e Lucillio *Satyr. Lib. XXX.* Plauto *Truc. I 1. 8.* et Afranio apud Nonium *v. perſpicace*: *trauiare* e Lucretio IV. 606. et VI. 148. Verum omnia haec loca controuerſa ſunt, et varie cum in ſcriptis, tum in editis leguntur. Etiam hoc animaduertendum eſt *in d. l. 20. §. 1. de Donation.* dici *obuiare confeſſioni ſuae*, pro non praeſtare promiſſum: quae et ipſa noua huius verbi ſignificatio eſt, cum apud alios fere notet obuiam ire, r. ſiſtere.

7 *Caſſitare*] *Vbi caſſitare coepiſſet ſtillicidium, d. l. 20. §. 3.* et, *ſi antea ex tegula caſitauerit ſtillicidium, §. 4. ead. leg. Caſare* a *cado*, legitur apud Plautum *Mil. III. 2. 37.* et *42. Caſſabundus* apud Varron. VI. *de L. L. pag 75.* e Naeuio, et Feſtum. *Caſabundus* apud Macrob. V. *Sat. 21.* quod etiam in Varrone, et Feſto reponendum cenſet Scaliger *ad Feſtum*, Lambin. *ad Plaut. Aſin. II. 3. 23.* et Hadr. Iun. IV. *Animadu. 6.* Beroaldus *ad Apul Metam. IX* hunc locum Iuriſconſulti laudans legit *caſitare*, et *caſitauerit*: quod ſequendum arbitror.

8 *Transfiguratum*] Loca Senecae, et Plinii, in quibus hoc eſt, videri poſſunt *in Lexicis*; quae in omnium manibus ſunt. Add. Sueton. *Calig. Cap. XXII. Ner. Cap. XXVIII. et XLVI.* Quintilian. VI. *Inſt. Or. 2.*

[9] *Leguli, a legendo*, qui fructus legunt. Vlpianus *in l. si cuius. 13. §. si tamen: 6. de Vsufruct.*

[10] *Seruaculum nauis*, Vlpianus *in l. quemadmodum. 29. §. 2. ad Leg. Aquil.* quo loco quidam Codices habent *serraculum*, alii *ferraculum*. Pertinet autem ad instrumentum nauticum. 395

[11] *Cloacarium*, pro pecunia purgandis cloacis attributa, Vlpianus *in l. sed si pendentes. 27.*

Z 5 §. *si*

9 *Leguli*] Etiam Cato *legulos* vocat eos, qui oleam legunt, *Cap LXV. CXLV. et CXLVII. de Re Rust.* Item Varro IV. *L. L. pag. 25.* Et qui vuam legunt, Varro *lib. V. pag. 57.* et alii probati.

10 *Seruaculum*] *Quia parui refert nauem immittendo, aut seruaculum ad nauem ducendo, an tua manu damnum dederis, l. 29. §. 2. ad Leg Aquil.* Florent. *seruaculum*, et *serraculum*. Alii aliter, quorum variae lectiones, et interpretationes videri possunt in notis Gothofr. *ad h. l.* et *Lib. IV. Obseruat. cap. 16.* Ampl. Bynkershoekii, qui *serraculum* praeferendum censet, et pro gubernaculo accipit auctoritate Glossarum: nam in his legitur, πηδάλιον, *gubernaculum, clauum, serraculum.* Eadem est sententia Scaligeri *ad Varron. de Re Rust. pag. 240.* qui tamen etiam *seruaculum* defendi posse ait e Glossario H. Stephani, in quo sit, πηδάλιον, *seruaculum*. Idem e Glossis, et *d. l. 29.* laudat Palmerius *Spicileg. ad Nonium* in *bipennis*, et pro *passerculus* e coniectura apud Nonium *l. d.* substituit *seruaculus*, id est, vt ait, gubernator. Non scio quas Glossas Stephani, vel aliorum, Viri Doctissimi viderint: nam ego neque in Stephani, neque in Vulcanii, neque in Labbaei Glossariis aliter scribi inuenio, quam *serraculum*. Palmerii autem coniectura in Nonio mihi, vt multae aliae illius, satis audax videtur esse. Lambin. *ad Plaut. Pers. III. 1. 64.* ex hoc loco Vlpiani *sarraculum* adfert, et ea voce vehiculum denotari putat, quae et Taubmanni sententia est, et ante hos aliorum quoque fuerat. Ea interpretatio recipi potest, si putabimus Vlpianum de curru Neptuni agere, de quo Poëta I. *Aen. Ille rotis summas leuibus perlabitur vndas.*

11 *Cloacarium*] Hoc etiamsi forte aliunde ostendi non queat tamen nihilo magis improbandum arbitror, quam *locarium*

§. *ſi quid. 3. de Vſufr.* et *in l. cum ſeruus. 39. §. haeres. 5. de Legat. 1.*

[12] *Coenaculariam exercere* dicitur, qui quaeſtus ſui (cauſa) conducta coenacula aliis locat. Vlpianus *in l. ſi vero. 5. §. 1. de His qui deiecer.*
396 *vel effud.* et *coenacularius*, qui coenaculum conduxit *l. ſolutum. 11. §. ſolutam. 5. de Pignerat. act.* Quod ſi aduertiſſet Valla, profecto ad *cap. 22. Lib. IV.* adnotaſſet.

rium apud Varron. IV. *de L. L. pag. 8. columnarium* apud Ciceron. XIII. *ad Attic. 6. cerarium* apud eumdem III. *Verr. 78. oſtiarium*, quod in Gloſſis eſt, *portarium*, apud Caeſar. III. *de B. C. 32.* et alia eiusdem formae a Mureto XII. *Var. Lect. 5.* et Gronou. IV. *Pec. Vet. 4.* notata.

12 *Coenaculariam exercere*] De hoc idem ſentio, quod de *cloacarium.* Sic Cicero, *argentariam*, *furnariam facere.* Vid. Bud. *ad l. 13. D. de Vſufr.* vbi et de *coenacularius.* Gloſſae: σταθμοῦχος, *coenacularius*, *domnedius.* Poſt *quaeſtus ſui*, ſenſus explendi gratia addidi *cauſa.*

EX TERTIA PARTE.

Salariarium mandatarium, vocat Vlpianus eum, qui accepto ſalario, vel promiſſo, mandatum ſuſcipit, qui quidem non tam mandatarius, quam operae ſuae locator videri poſſit, *in l. idemque. 10. §. idem Labeo 9. Mandati.* Quod verbum ea forma effictum eſt, qua *fideicommiſſarius, legatarius, depoſitarius.* Caeterum nouum eſt, et [1] neque apud alios authores, neque apud

1 *Neque apud alios*] Hoc verum arbitror, nec magnopere placet *ſalariarium.* Notat Gothofr. in aliis eſſe, *ſi ſalarium fuit*, quod quidem Latine dicitur. Quod autem Idem Gothofr. coniicit, *ſi ſalariatus fuit*, id eſt, ſalarium habuit, non facile eum cuiquam probaturum opinor.

apud ipſos Iureconſultos vſitatum. Sicut et quod [2] *phaſianarios* dixit Paulus *in l. auibus. 66. de Legat. 3.* pro cuſtodibus et curatoribus phaſianorum. [3] *ſiliginarium* Vlpianus pro ſiliginis venditore, *in l. ſi quis vxori. 52. §. apud Labeonem. 11. de Furt.* Itemque [4] *ſcoparios,* [5] *topiarios,* [6] *ſaltuarios, l. in inſtrumento. 8. §. 1.* [7] *de Fundo inſtr. inſtrum. legatis.* [8] *diaetarios,* ſeruos diaetas mini- 397

2 *Phaſianarius*] Infinita ſunt in lingua Latina nomina in *arius* exeuntia, quae curam, adminiſtrationemque alicuius rei notant, vt *auiarius*, *gallinarius*, *ſuarius*, *columbarius*, de quibus Corradus *Lib. I. de Copia Lat. Serm. pag. 16.* Itaque hoc, et alia huius generis, cum ſatis ſe ipſa analogia tueantur, ſola Iuriſconſultorum auctoritate probanda exiſtimo.

3 *Siliginarium*] CORPVS PISTORVM SILIGINARIORVM eſt in Inſcriptione, quam refert Caſaub. *ad Vopiſci Aurelian Cap. XXXV.* COLLEGIVM SILIGINIARIORVM in alia apud Reineſ. *Inſcr. I. 254.* qui erant, vt docet Caſaub. Romae piſtores in conficiendo pane ſiligineo, qui populo diuidebatur, occupati. Hi tamen *in hac lege* intelligi non poſſunt, cum, ſi Salmaſium *ad Vopiſc. d. l.* ſequimur, diſtributio panis nondum aetate Vlpiani, multo minus Labeonis, cuius verba referre videtur Vlpianus, in vſu fuerit. Quare cum Auctore noſtro, aliisque, *ſiliginarios* ſiliginis venditores accipiamus, vt *vinarios*, et *ſcrutarios*, qui vina, et ſcruta vendunt.

4 *Scoparios*] Onomaſticon Vet. *ſcoparii*, οἱ σαρωταί.

5 *Topiarios*] Cicer. V. *Paradox. 2. Atrienſes, ac topiarii.* Eſt et alibi apud eum, et Plin. *in Epiſt.* Vid. Lexica. *Opus topiarium* quid fuerit, ſi quis ſcire velit, adeat Turneb. XVIII. *Aduerſ. 23.* Catan. *ad Plin. III. Ep. 19.* et Salmaſ. *ad Spartian. Hadrian. X.*

6 *Saltuarios*] Petronius *Cap. LIII.* e fragm. Tragur. *Saltuariorum teſtamenta* Seru. *in VII. Aen. 485.* De his Caſaub. *ad Theophr. Charact. Cap. XI.*

7 *De Fundo inſtr.*] Sic et paullo poſt, vbi de *Colonia* agit, Inſcriptionem huius Tituli laudat e Vulgat. quae in Florent. et in Haloandr. eſt, *de Inſtructo vel inſtrum. legato.* Vid. Anton. Auguſt. II. *Emend. 4.*

8 *Diaetarios*] De *diaetis* ac *diaetariis* multi multa ſcripſerunt. Videri poſſunt, praeter eos, quos citat Marc. Donat. ad

ministrantes: [9] *aquarios*, qui aquam praebent, Vlpianus *in l. quaesitum. 12. §. idem respondit. 42. eod. tit.*

398 [10] *Callitatem*, seu *caluitatem*, dixit Vlpianus *in l si fideiussor. 29. §. in omnibus. 5. Mandat.* calliditatem, fraudem, dolum, frustrationem: quod vt recte, tamen inusitate vsurpauit.

[11] *Propagationes*, pro propagines in vitibus, Paulus *in l. si in lege. 24. §. sed et de his. 3 Locati.* *Fabri-*

ad Lampr. Heliogab. Cap. XXXI. Salmas. *ibid. Cap. XXX.* Lindenbrog. *ad Cirin Virgil.* Wouwer. *ad Petron Cap. CXV.* et tum de his, tum de aliis seruis, qui hic memorantur, Pignorius, et Popma *in Libris de Seruis.*

9 *Aquarios*] Hoc cum de signo coelesti dicant Cicero, Virgilius, Horatius, et alii; de his, qui aquas publicas deducebant, ac dispensabant, Coelius *ad Cicer. VIII. Ep. 6.* et Frontinus *in Lib. de Aquaeduct.* nihil est, cur refugiamus ita vocare seruum, vel etiam alium quemcumque, aquam ad balnea, hortos, aliosue vsus curantem.

10 *Callitatem*] Ita esse in Florent. et adscriptum *calliditatem* monuit Taurellus. Posterius secutus est Gothofredus. Haloand. *caluitatem*, a *calui*, de quo supra. Ita notat Gothofredus *ad d. l. 29. §. 5. Mandat.* Menagius *Cap. XXXIX. Amoen Iur. Ciu.* in v. *Calumniatores* scribit, Vulgatos Codices *in d. l.* habere *propter suam caluitatem*, proque eo in Florentino esse *calliditatem*. Hoc nec cum Gothofredi, nec cum Taurelli nota conuenit. Nec *callitas* autem, nec *caluitas* apud alios legi scio.

11 *Propagationes*] *Sed et de his, quae praesenti die praestare debuerunt (velut opus aliquod efficerent, propagationes facerent) agere similiter potest, d. l. 24. §. 3. Locat.* Recte loquitur Paulus, cuius orationem carpens Auctor noster non cogitabat, neutiquam idem esse *propagationem*, quod *propaginem*. *Propagines* dicuntur pulli, siue virgae arborum, vitiumve, quae a matre e terra editae in scrobem deprimuntur, vt radices agant: has vitis, vel arbor facit. *Propagatio* autem est coloni hoc modo vitem, arboremue propagantis. Cato *Cap. LII. de Re Rust. Propagatio pomorum, aliarumque arborum. Ab arbore abs terra pulli, qui nascentur, eos in terram depri-*

[12] *Fabricam*, pro arte fabrili, Paulus *in l. inter caussas 26. in fin. Mandat. faber seruum fabricam docuit*, pro in arte fabrili erudiuit. 399

[13] *Raucis segetes corruptae*, pro erucis, aliisque vermiculis messem erodentibus. Vlpianus *in l. ex conducto. 15. §. 2. Locat.* ibidemque [14] *vredo*, id est, solis feruor nimius, fructum oleae corrumpens.

Quo

deprimito. Columella *Lib. de Arborib. Cap. VII. Propagationum genera tria sunt in vsu maxime. Vnum, quo virga edita a matre sulco committitur*, cet. de *propagine* Idem *ibid. Scrobem quoquo versus quatuor pedum facito, ita vt propago non laedatur alterius radicibus.* Add. Pallad. *Octob. Tit. VI.* et *Nouemb. Tit. II.*

12 *Fabricam*] Et hoc recte illa significatione dici e Cicerone, Quintiliano, et Vitruuio docent Lexica. Sic Plinius VII. *H. N. 56. Fabricam ferrariam inuenere Cyclopes.* et mox *ibid. Fabricam materiariam Daedalus.* Hoc Ouid. VIII. *Met. 159. fabram artem* dicit: *Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis.*

13 *Raucis*] Plinius XVII. *H. N. 18. raucas* vocat vermes, non qui sata infestant, sed qui in radicibus quercuum nascuntur, et in oleas positas, quo loco quercus effossa fuerat, transeunt: quam rem et Columell. *Lib. de Arborib. Cap. XVII.* referens generali nomine *vermes* appellat. Cuiacio tamen XV. *Obseru. 28.* Plinii auctoritas sufficit ad defendendam hanc lectionem contra Alciatum, apud Vlpianum pro *raucis* substituentem *erucis*, quemadmodum etiam *in l. d.* Plinii quidam legunt. Budaeus quoque *ad d. l. 15. Locat.* et Brodaeus X. *Miscell. 20. raucis* probant. *Erucas* esse insecta herbis, oleribus, et arboribus nocentia tradunt Auctores Rei Rust. Vid. Columell. XI. 3. *in fin.* et *in Carm. de Cultu Hortor. v. 333.* Pallad. I. 35.

14 *Vredo*] Cicero III. *de Nat. Deor. 35. Si vredo, aut grando quippiam nocuit. Vredo* autem et segetem, et arbores, earumque fructus laedit. Vid. Plin. XVII. 24. et XVIII. 28. Columell. III. 20. Add. Bud. et Cuiac. *loc. dict.* et Salmas. *ad Solin. pag. 308.* Gothofredus notat de *raucis* egisse Catellian. Cottam *in Memorabil.* de *vredine* Hotoman. IV. *Obseru. 7.*

[15] *Quo bonum est?* locutio Iureconsultis
400 vsurpata, pro quam ad rem vtile est? ad quod conducit? Caio *in l. aliquando. 13. in fin. ad Senatusc. Vellei.* Vlpiano *in l. 3. §. si quis ex liberis. 11. de Bonor. possess. contr. tab.* Itemque *in l. si post mortem. 10. §. liberi. 4. eod. tit. et in l. si cuius. 13. §. de praeteritis. 2. de Vsufruct.* Scaeuola *in l. si duo. 93. princ. de Solutionib.*

[16] *Colonia,* pro fundo locato colono, Paulus *in l. si in lege. 24. §. 4. D. Locat.* Scaeuola *in l. Seiae. 20. §. praedia. 3. de Fundo instruct.* Vlpianus *in l. eius. 27. §. 1. ad Municipal. Une ferme,* une

15 *Quo bonum est?*] In hac quoque locutione nihil est, quod durum sit, aut insolens. *Quo* in multis per interrogationem poni, pro *ad quae, ad quam rem*, notum est. Talia sunt v. g. *quo mihi hanc rem, quo mihi quod, quo tibi hoc facere?* et similia, quorum turbam congessit Heinsius *ad Ouid. Epist. Phyllid. v. 53. Epist. Phaedr. v. 157.* et I. *de Art. amand. v. 303.* In horum nonnullis recte suppleri potest, non solum *opus putas*, vel *opus est*, vt censet Sciopp. *ad Sanct. Mineru. de Ellipsi Verbor.* sed etiam *bonum*, vel *vtile est*, vt in illo Ouidii *in Epist. Phaedrae: Quo mihi, quod genitor, qui possidet aequora, Minos?* Id intelligitur ex hoc Plinii XVI. *H. N. 40. Lignum non alio pene, quam ad radios rotarum, vtile.*

16 *Colonia*] Brissonius obseruauit locum Columellae, in quo eodem sensu ponitur. Is est *Lib. XI. de Re Rust. cap. 1. Neque enim coloniae suae terminos egredi debet* (vilicus) *nec absentia sua familiae cessandi, aut delinquendi spatium dare.* Sunt qui etiam ita dici putent in M. Senec. *praefat. Lib. I. Controuers. Intra coloniam meam me continui.* Sed hoc Nic. Faber *praefat. ad Senecam Rhetorem* rectius accipit de Corduba. Plautus latissimo significatu *coloniam* vocat omnem habitationem, omnem locum, vbi quis se tenet. *Vt commutet coloniam, Aulul. III. 6. 40. Vt det nomen ad molarum coloniam, Pseudol. IV. 6. 38.*

une mestairie. Colonicam vocat [17] Ausonius *in Epist. ad Theonem.*

[18] *Panthera*, rete aucupatorium, aut etiam aucu-

17 *Ausonius*] *IV. Ep. v. 5. Et tingit piceo lacrimosa colonica fumo.* Vbi *colonia* legendum, et Plauti, atque Ausonii auctoritate Alciato defendendos, non excusandos fuisse Iurisconsultos, scribit Scip. Gentilis I. *Parerg. 36.*

18 *Panthera*] *Veluti cum futurum iactum retis a piscatore emimus, aut indaginem plagis positis a venatore, vel pantheram ab aucupe, d. l. 11. §. vlt. de Action. empt.* Budaeus ad *h. l. panthera* legit num. plur. a πάνθηρον, quod est, vt ait, retis genus: ex eo dictum, quod omnes aues concludat, et per metonymiam accipitur pro tota captura, vt indago. At mox ibidem dubitat, an *pantherama* potius legendum sit, id est, quidquid aucupio ceperit. Idemque, et Marc. Donatus Dilucidat. *in Liu. Lib. XL.* nec non Portus *ad Suidam* eo referunt, quod sine vlla expositione in editis Suidae, quos vidi, praeterquam in nouissima editione Anglicana, vbi hoc omissum est, legitur πάνθηρα. Ego aliquando suspicabar, Suidam eo loco, vt plerisque aliis, descripsisse nonnulla e Scholiasta Aristophanis ad hoc Comici *in Ranis v. 354.* πάνθηρον, ἔλειον δάπεδον, eaque deinde casu quodam intercidisse. Sed haec omnia vana sunt, si ea vox in scriptis Suidae non comparet Delrius *ad Senec. Tragic. Octau. v. 405.* Brodaeo *ad Oppianum*, et Pardulfo Prateio *in Lexico Iuris* auctoribus, *pantherem* legendum censet *in d. l. 11.* a *panther*, quod rete quoddam esse, a nomine ferae dictum, scribit Varro IV. *de Ling. Lat. pag. 26.* Idemque Brissonium sensisse ex eo intelligo, quod *in Lexico* non *panthera* laudat ex *h. l.* sed *panther*, et locum Varronis subiicit. Mihi a vulgata lectione discedendum non videtur. Nam nihil vetat, quo minus rete hoc aeque *panther*, et *panthera* dici possit, quam animal ipsum, cuius nomen Latini duabus terminationibus efferunt, altera Graeca, altera Latina, vt *crater*, *cratera*, et alia quaedam a Graecis in ηρ venientia. Salmas. *de Modo Vsur. pag. 353.* reprehendit eos, qui *pantheram* apud Vlpianum vniuersum aucupium exponunt, et rete esse dicit, quo omne genus auium minutarum capitur, ac *pantheram emere* esse, quidquid auium eo genere retis inuoluitur emere. Hoc qua ratione dicatur non intelligo; nec video, cur magis *panthera* ad minutas aues coarctari debeat, quam *iactus retis* ad minutos pisciculos, aut *indago* ad paruas feras. Budaeus certe aliter sensit, qui Gallos suos hoc reti non solum ad passeres, et sturnos, sed etiam ad grues, et otidas capiendas vti scribit *ad d. l. 11.*

401 aucupium vniuerfum, Vlpianus *in l. ex empto. 11. §. vlt. de Action. empti.*

EX PARTE QVARTA.

Maritos, pro coniugibus vfurpauit Papinia-
402 nus *in l. fi vir vxori. 52. §. vlt. in fin. de Donation. inter vir. et vxor.* vt hoc nomine tam vxor quam vir comprehendantur. [1] Quod alibi non reperias: licet *maritas* pro vxoribus [2] Ouidius vfurparit.

[3] *Sponfare* dixit Paulus *in l. fi quis officium. 38. de Ritu nuptiar.* pro fponfalia contrahere: latine,

1 *Quod alibi non reperias*] Ego quidem nusquam reperi. Nec tamen improbandum exiftimem, cum fubftantiuum *homines*, aut fimile intelligi poffit: vt cum dicimus *coniuges*, quod et ipfum adiectiuum eft, haud fecus quam *mariti.* Neque vlla ratio eft, cur non aeque liceat dicere *maritos homines*, quam *maritos thoros*, *maritas domus*, et alia huiusmodi notata a Heinfio *ad Ouid. Epift. Hypermn. v. 19* quae, etfi *maritus* a *mas* deducitur, tamen fignificationem mariti et vxoris in inuoluunt. Eadem ratione Virgilius II *Aen. 457. foceros*, pro focero, et focru dixit, fi Seruio credimus, qui hoc meliori fexui, id eft, mafculino refpondere fcribit. Scio Seruianam huius loci interpretationem repudiari ab aliis: fed hoc faltem recte fcribit, appellatione mafculini generis etiam foemininum contineri. Et fic *adulteros*, pro adultero et adultera dicunt Senec. I. *Contrmicou. 4.* et Quintilian *Declam. CCLXX. et CCCXLVII filios*, pro filio et filia, Calpurn. *Declam. XII. fratres*, pro fratre et forore, Idem *Declam. XLIII. pueros*, pro duobus pueris et puella, Valer. Max. II, 4. 5. Add. Cl. Perizon. *ad Sanct. Mineru. IV. 10. Maritari* quoque tam vir, quam foemina dicitur. Vid. Tacit. XII, *Ann. 6.* et Sueton. *Vefpaf. Cap. XIV.*

2 *Ouidius*] *Lib. II. de Art. amand. v. 381.* et alibi. Vid. Briffon. *de V. S.* qui Horatium quoque, et Statium ita loqui obferuat.

3 *Sponfare*] Hoc e Tertulliano, Paulino, et Onomaftico Vet. proferunt Lexica. *Defponfatus* eft apud Sueton. *Caef. Cap.*

latine, sed inusitate. Sic et [4] *expensare*, pro expendere, expensum ferre, soluere, Scaeuola *in l. Thais. 41. §. libertatem. 10. de Fideicomm. libertatib.* 403

[5] *Abstentum pupillum* dixit Scaeuola, quem curator ab haereditate paterna abstinuit, *in l. penult. de Auctorit. tutor.*

[6] *Fribusculum*, pro discessiuncula, et digressu temporario coniugum, quod Vlpianus vsurpauit

Cap. I. et Ciceron. II. *Epist. ad Q. Fratr. 5.* in Ed. Gruter. sed aliae ibi habent *desponsam.*

4 *Expensare*] Plautum quoque *Pseud. II. 2. 32.* et Macrob. I. *Saturn. 13.* hoc verbo vti obseruarunt alii.

5 *Abstentum*] Non repugnat quidem ratio linguae Latinae, quo minus *abstentus* dicatur, quemadmodum *detentus*, et *retentus*; nam et *abstinere se*, *alium*, *manum*, dicimus: sed non suppetit mihi auctoritas vetustiorum.

6 *Fribusculum*]. *Quod si diuortium non intercesserit, sed fribusculum, profecto valebit donatio, si fribusculum quieuit, d. l. 32. §. 12.* Ita Florentiae est. In aliis MSS. *frigusculum*, *friuiculum*, *friunsculum* legi, scribit Stewechius *in fin. Quaestion. ad Apolog. Apuleii.* Quorum omnium cum nemo alium auctorem ostendere potuerit, non mirum est diuersas esse doctorum de scriptura huius vocabuli sententias. Brissonius in Florent. *fribusculum* scribi putat pro *friuusculum*. nota commutatione literarum B et V in libris veteribus, eamque scripturam firmat e loco Isidori hic laudato. Haloander *frigusculum* edidit, quod et Alciato *in fin. Lib. IV. de V. S.* Raeuardo *ad l. 48. D. de R. I.* Torrentio *ad Sueton. Aug. Cap. LXVI.* et ibi, vt videtur, etiam Casaubono, et Vossio *in Etymolog.* placet. Ab horum sententia cur discedam rationem non habeo. Nam et *frigus* Latine remissionem amoris significat, et ab eo recte fit *frigusculum*: vt a *corpus*, *corpusculum*; ab *olus*, *olusculum*; ab *opus*, *opusculum*. P. Faber *ad d. l. 48. de R. I.* ita loquitur, vt non appareat *frigusculum* probet, an *fribusculum*. Quod autem ibidem ex Isidori *l. d. fribusculum* laudat, non scio qua auctoritate faciat: siquidem alii omnes ex eo *friuolum* adferunt. vel *fribolum.*

pauit *in l. cum hic ſtatus 32. §. quod ſi diuortium. 12. de Donation. int. vir. et vxor.* nusquam alibi
404 reperias. Quamquam Iſidorus *Lib. IX. Origin. Cap. vlt. friuolum* interpretatur cum eo animo ſeparantur coniuges, vt rurſum ad ſe inuicem reuertantur.

Multa ex Graeco ſermone in Latinam linguam Conſulti tranſtulerunt, quae vel [7] vſus non probabat, vel tanquam Latina non admittebat. Vt [8] *aneclogiſti tutores in l. ita autem. 5. §. Julianus. 7. de Adminiſtrat. tutor.* [9] *Atypus,* [10] *Myops in*

bolum. Stewechius *l. d.* legendum cenſet *friBiuſculum,* pro *friuiuſculum,* a *friuolum:* cuius rationem non intelligo.

7 *Vſus non probabat*] Ego exiſtimo Iuriſconſultos pleriſque vocabulis Graecis, quae in Pandectis leguntur, et in primis iis, quae muneris alicuius adminiſtrationem ſignificant, vſuros non fuiſſe, ſi ea tum vſu frequentata non fuiſſent. Quia autem haec ad Latinitatem Iuriſconſultorum proprie non pertinent, ſufficiet indicaſſe, vbi ſtudioſi adoleſcentes plura de his legere poſſint.

8 *Aneclogiſti*] Verba ſunt teſtatoris *in d. l. 5. Eosque aneclogiſtos eſſe volo.* Iulianus mox repetit, *vt aneclogiſti eſſent.* Haloand. Graecis verbis ἀνεκλογίςυς, et ἀνεκλόγιςοι edidit. *In l. 23. §. 2. ff. de Pecul. leg.* alius teſtator: τύτυς βύλομαι εἶναι ἀνεξετάςυς.

9 *Atypus*] *Balbus, et blaeſus, et atypus, isque qui tardius loquitur, d. l. 10. §. vlt.* Ita ſe in Florentino legiſſe teſtatur Budaeus, pro quo Gothofr. dedit *atyphus.* Refert etiam Gellius IV. 2. e libro Caelii Sabini ad Edictum Aedilium, *balbus autem, et atypus.* Vid. ibi Interpretes, Rhodigin. XVI. *Ant. Lect.* 20. et Bud. *ad h. l.* Scaliger *Lection. Auſon. II. 9.* e Gloſſis profert: *Attubus,* μογιλάλος, μόγγος, ἄτυπος. Hoc in editis eſt, *Atubus,* μογιλάλος, μόγγος.

10 *Myops*] Ariſtoteles *myopes* dicit eſſe, qui ita nati ſunt, vt propinqua videant, remota non item. De his Gell. *l. d.* Bud. *ad h. l.* et Voſſius *in Etymolog. v. luſcus, et myops.*

in l idem Offilius. 10. §. de myope. 3. et §. vlt. de Aedilit. Edict. Sed et [11] *Syndici,* [12] *Decaproti,* 405 *Icosaproti,* [13] *Limenarchae, Archaeotae,* [14] *Logographi,* [15] *Xenoparochi,* [16] *Nicostrategi,* [17] *Mastigophori, Agonothetae,* [18] *Camelelasia,* [19] *Eleemporia,* et sexcenta huiusmodi *in l. vlt. de Mune-*

11 *Syndici*] Non solum ciuitatum, sed etiam collegiorum, et corporum *syndici* in Iure memorantur, quos Latine *actores* vocant Iurisconsulti *l. 1. §. 1. ff. Quod cui. vniu. nom. l. 74. de Procurat.* et *defensores l. 1. §. 2. l. 18. §. 13. de Munerib. et honorib.* Lamprid. *Alex. Seu. Cap. XXXIII.*

12 *Decaproti*] Decemprimos dicit Cicero *pro Rosc. Amer. Cap. IX.* et II. *Verr. 67.* et saepe Inscriptiones. Adeundi sunt Sigon. II. *de Ant. Iur. Ital. 8.* Turneb. VIII. *Aduers. 22.* Graeu. *ad Cicer. pro Rosc.* et de *Icosaprotis* Bud. *ad h. l.* et Marc. Donat. *ad Spartian. Didium Iulianum.*

13 *Limenarchae*] Vid. Bud. *ad l. 4. D. de Fugitiu.* Reines. III. *Var. Lect. 16.* et *ad I. Inscript. 204. Archaeotas* archii, siue archiui, custodes exponit Reines. III. *Var. 16.*

14 *Logographi*] Qui tributorum rationibus scribendis occupantur. Cuiac. *ad Tit. Cod. de Tabular. scrib. logograph.* et Bud. *ad l. 18. D. de Munerib.* qui ibidem, et *in Comment. Ling. Gr.* etiam aliam huius vocabuli significationem notat.

15 *Xenoparochi*] Budaeus *ad l. d.* putat eosdem esse, ac *parochos*, de quibus Interpretes Horat. *ad I. Sat. 5. 46.* et Ciceronis *ad XIII. ad Attic. 2.*

16 *Nicostrategi*] Haec est lectio Vulg. et Hal. Flor. *nyctostrategi.* Et ita Gothofred. cuius notae consuli possunt *ad d. l. 18. §. 12. de Munerib.*

17 *Mastigophori*] Vid. Brisson. *Select. Antiq. IV. 17.* Lips. II. *Saturn. 5.* Iac. Nic. Loens. III. *Epiphyll. 24. et 25.* Et de Agonothetis Bud. *ad h. l.* et *ad l. 4. D. de His qui not. infam.* P. Fab. I. *Agonist. 18. et 23.*

18 *Camelelasia*] De hac rursum agit inferius, vbi nonnulla adnotaui.

19 *Eleemporia*] Ita Haloand. Gothofr. *elemporia.* Budaeus ad *h. l.* et Brod. X. *Miscell. 20.* legunt *elaeemporia*, id est, olei publice coëmendi cura.

rib. et honorib. [20] *Naupegi* quoque *in l. vlt. de*
406 *Iure immunit.* [21] *Sitones* etiam Papyrius Iuſtus *in l. vlt.* §. *6. de Adminiſtr. rer. ad ciuitat. pertinent.* [22] *Strobili de pinu,* Vlpianus *in l. ligni 55. in fin. de Legat. 3.* et *in l. carbonum. 167. de Verbor. ſignific.* Et [23] *Stypteriam,* pro alumine Vlpianus *in l. 3. in fin. de Reb. eor. qui ſub tutel.* [24] *Thlibiae, Thlaſiae,* ſpadonum ſpecies, *in l. ſpadonum. 128. de Verb. ſign.* Ἑλληνισμοὺς porro, et Graecos loquendi modos a Conſultis noſtris vſurpatos erudite prorſus diligenterque collegit, poſt [25] Anton. Auguſtinum, Dn. Briſſonius *in*

20 *Naupegi*] Hinc *naupegiarius.* COLLEGIVM NAVPEGIARIORVM in Inſcriptione apud Reineſ. I. 271. et Spon. *Miſcell. Sect. II. pag. 67.* add. Reineſ. *ad X. 7.* In re nautica etiam alia vocabula Graeca a bonis ſcriptoribus vſurpantur, vt *nauarchus, nauclerus.*

21 *Sitones*] *Sitonas indemnes eſſe oportere, d. l. vlt. 6.* Ergo *ſitonae* potius dicendum fuerat: eſt enim a σιτώνης, id eſt, coëmendo frumendo publice praepoſitus. Vid. Bud. et Gothofr. *ad l. 18. §. 5. D. de Munerib.* Ant. Auguſtin. *ad Modeſtin. pag. 250.* Ed. Lugd. 1574.

22 *Strobili*] *De pinu autem integri ſtrobili ligni appellatione continebuntur, d. l. 55. §. vlt. de Legat. 3. et l. 167. de V. S.* vbi Budaeus, et alii nuces pineas interpretantur. Graecis στρόβιλος dicitur nux pinea, et nucleus eius, et arbor ipſa.

23 *Stypteriam*] Latini etiam alia a Graeco στύφω in ſuam linguam tranſtulerunt. *ſtymma* Plin. XIII. *H. N. 1. medicamenta ſtyptica* Idem XXIV. 13. et *ſtypſis XIII. 3.* vt quidem vult Salmaſ. *ad Solin. pag. 330.*

24 *Thlibiae, thlaſiae*] Etiam alii hos diuerſos faciunt. Haud ſcio tamen an, quod apud Gothofred. *ad h. l.* putat Ferrandus, iidem ſint. Certe ex Ariſtotelis, Pauli Aeginetae, Harmenopuli, et Heſychii locis a Budaeo, et Gothofred. *ad h. l.* et Anton. Auguſt. III. *Emend. 5.* prolatis, diſcrimen inter eos eſſe non colligas.

25 *Ant. Auguſtin.*] *Lib. II. Emend. cap. 1.* et *Lib. IV. cap. 8.*

in Parergis, quos ſtudio praetermiſi, cum aliis quoque authoribus frequentes ſint.

Integrare, pro [26] ex integro aliquid facere, 407
vt *integrare tutelam*, pro ex integro tutelam adminiſtrare, gerere, Papinianus *in l. quamuis. 8. de Tutel. et rationib. diſtrahend.*

[27] *Lanipendiam*, pro lanifice, ſeu muliere, quae lanificibus penſa diuidit, dixit Pomponius *in l. ſi vir. 31. princ. de Donation. int. vir. et vxor.*

26 *Ex integro aliquid facere*] Si ita accipiebat hanc vocem Auctor *in d. l. 8.* non debebat eam referre inter ea, quae aliter a Iuriſconſultis, quam ab aliis ſcriptoribus vſurpantur. Nam his quoque *integrare* eſt, renouare, inſtaurare, repetere, quod intermiſſum fuerat: vt *integrare pugnam*, *luctum*, *querelas*, quae vulgo obuia ſunt. Vnde et *integrare* ac *renouare*, aut *reficere* ſaepe coniunguntur. Vid. Lucret. II. 1146. Cicer. I. *de Inuent.* 17. Gell. XV. 2. Verum in *d. l. 8.* paullo aliter videtur accipi: nimirum, pro amiſſum aliquid recuperare. Nam Iuriſconſultus de tutore ab hoſtibus capto, ac deinde reuerſo agens: *Quamuis*, inquit, *iure poſtliminii tutelam priſtinam poſſit integrare.* Quod hic *integrare*, id *§. 2. Inſtit. de Attil. tutor.* *recipere* dicitur: Tutor *reuerſus recipiebat tutelam, iure poſtliminii.*

27 *Lanipendiam*] Cuiac. IX. *Obſ. 30.* adfert e Gloſſis: *Lanipendius*, σταθμοῦχος ἐριδίων. In iisdem eſt: *Lanipendens*, σταθμοῦχος γυνὴ, ἡ τὸν σταθμὸν παρέχουσα ταῖς ἄλλαις. Schol. Iuuenal. *ad Satyr. VI. 476.* *librariam* interpretatur *lanipendiam*: quod probat Phil. Ruben. II. *Elect. 26.* reiicit Pignorius *in Libro de Seruis*. Idem tamen Inſcriptionem adfert, in qua memorari videtur *lanipendia*, vel *lanipenda*. Alia Inſcriptio apud Reineſ. XI. 38. et Spon. *Miſcellan. Sect. VI. pag. 223.* D. M. IRENES LANIPENDAE. Pro *Lanifice*, et *lanificibus*, quae Alciatum *in fin. Lib. IV. de V. S.* deſcribens Auctor dicit, cum Lucillio, Tibullo, Phaedro, aliisque probatis, et ipſis adeo Iureconſultis mallem *lanifica*, et *lanificis*. Vitruuius quoque fortaſſis hoc vocabulo vſus fuerat. Nam pro eo, quod *Lib. VI. cap. 10.* legitur: *In his locis introrſus conſtituuntur oeci magni, in quibus matresfamiliarum cum lanificiis habent ſeſſiones*, conuenientius eſſe arbitror

408 [28] *Perfusorie*, pro subobscure, dissimulanter, non plane diserteque dicere. Vtitur eo Scaeuola *in l. qui libertatis. 69. §. sed et si. 5. de Euictionib.* et Vlpianus in *l. aut qui aliter. 5. §. 1. Quod vi aut clam.*

[29] *Perfunctorie* autem, quod Budaeus, et Alciatus vsurpant, nec in iis locis, [30] nec alibi me legisse memini. Sane [31] *prolusorium iudicium*, pro collusorio et per collusionem facto posuit

tror *lanificis.* Is enim mos erat matrumfamilias apud veteres, vt inter ancillas lanam nentes, ac texentes ipsae sederent. Notum est cum aliunde, tum e narratione Liuii *in fin. Lib. I.* et Ouidii II. *Fast.* de Lucretia.

28 *Perfusorie*] Hanc expositionem Gothofr. *ad d. l. 69. de Euict.* adfert e Cuiacio *ad l. 13. D. de Excusation.* quem Turnebus, Casaubonus, aliique docti sequuntur. Vid. quae notantur *ad Sueton. Domitian. Cap. VIII.* vbi *perfusoriae assertiones* memorantur. Lips. ad hoc *Senecae Ep. XXIII. tenuis et perfusoria voluptas*, et Graeu. *ad Cicer. pro Rosc. Amer. Cap. XXIX.*

29 *Perfunctorie*] Alciatus *in fin. Lib. IV. de V. S.* ait a Iureconsultis dici *perfunctorie*; sed locum, vbi id legatur, nullum laudat, Budaeus *ad l. 11. de Action. empt.* scribit hoc esse *in l. 5 §. 1. Quod vi aut clam* et exponit, non bona fide, nec ex animo, nec iusta denunciatione. Etiam Ant. Augustin. II. *Emend. 3. perfunctorie*, et *defunctorie* laudat e *l. 2. §. 32. ad Senatusc. Tertull.* et *l. vn. C. Qui numero tulel.* Verum in his est *defunctorie*, non *perfunctorie*: et *in l. 5. §. 1. Quod vi aut clam.* Liber Florentinus habet *perfusorie*, quem etiam Gothofr. secutus est.

30 *Nec alibi*] Petronius tamen *Cap. XI. Et me coepit non perfunctorie verberare.*

31 *Prolusorium*] *Si perlusorio iudicio actum sit aduersus testamentum, an ius faciat iudex, videndum? Et D. Pius, cum inter coniunctas personas diceretur per collusionem in necem legatariorum et libertatium actum, appellare eis permisit, d. l. 14.* Ita edidit Gothofr. e Vulg. et Florent: *Prolusorio* est in Haloand. quod Budaeus quoque ibi reponendum contendit pro *perlusorio*, et *prolusorium iudicium* interpretatur caussam praeiudicia-

posuit Vlpianus *in l. si prolusorio. 14. de Appellation.* Et [32] *defunctorie tutelam petere*, pro negligenter ac dissolute, Vlpianus *in l. 2. §. non solum. 32. ad Senatusconf. Tertullian.* et Seuerus et Antoninus Imp. *in l. vn. Cod. Qui numer. tutel.* 409

[33] *Comesor*, pro comessator, abliguritor, Caius *in l. si quid venditor. 18. princ. de Aedilit. Edict.*

[34] *Lunaticus*, pro furioso, Paulus *in l. bouem. 43. §. aliquando. 6. eod. tit.* 410

iudicialem. Mihi de collusione sermo esse, et quid sit *perlusorio iudicio agere*, mox aliis verbis *per collusionem agere*, et *non ex fide*, vt paullo post ibidem Iurisconsultus loquitur, exponi videtur: quod *in l. 50. §. 1. et 2. ff. de Legat. 1. lusorie agere*, et *collusorie de hereditate litigare* dicitur. An autem etiam alii probati scriptores hoc vocabulo, et quidem ea significatione, vtantur, mihi non constat. *Perlusio*, διαπαιγμὸς, in Glossis Vet. legitur.

32 *Defunctorie tutelam petere*] Immo tutorem, vel curatorem *in d. l. 2. §. 32. ad Senatusc. Tertull. defunctorie tutelas susceptas administrare*, *d. l. vn. Cod.* id est, dicis caussa, ὁσίας χάριν, ἀφοσιώσεως χάριν, vt Graeci. Bud. *ad l. 11. ff. de Action. emp.* Anton. Augustin. *ad Modestin. pag. 228.* Salmas. *ad Ius Attic. et Rom. Cap. XVII.* Sic *defunctoria apodixis* apud Petron. *Cap. CXXXII.* id est, exiguum, et qualecumque specimen, et *defunctorius ictus*, Ibid. *Cap. CXXXVI.* pro leui, lusorio. Vid. Gronou. IV. *Obseru. 13.*

33 *Comesor*] Varro homines gulae ventrique seruientes *mandones*, *edones*, et *comedones* vocat. Festus *comedones*, et *comedos*, qui bona sua consumunt. *Comesor* adfertur e Tertulliano I. *adu. Marcion. I. Comesor mus Ponticus.* Isidorus quoque *Lib. X. Orig. Comesor, a comedendo satis. Est enim gulae ac ventri immoderate deditus.* Et Glossae; *Comesor*, καταφαγὰς. Budaeus *in h. l. 18. comessator* legit. Haloand. *commessor.* Ego *comesor* retinendum arbitror.

34 *Lunaticus, pro furioso*] *Veluti si furiosum, aut lunaticum* (mancipium) *sit, d. l. 43. §. 6.* Non scio quemquam, qui ante Paulum hoc vocabulo vsus fuerit. Isidor. *Lib. X. Orig. caducos*, id est, eos, qui morbo comitiali laborant, vocat

[35] *Gutturoſus*, pro ſtrumoſo, qui ſtrumis laborat, gutture prominente Vlpianus *in l. qui clauum. 12. §. ſi quis. 2. eod. tit.*

[36] *Polia*, pro armento equorum, vel pluri-
411 bus equis vno pretio venditis, a πῶλος, *un poulain. l. Aediles. 38. in fin. de Aedil. Edict. Nos maquignons la nomment une ſomre.*

Vena-

vocat *lunaticos*. Idem in Gloſſ. *Aſtroſus, lunaticus. Aſtroſus*, idem eſt, qui *ſideroſus*, qui et *caducus* dicitur. Gloſſae Gr. Lat. Philoxeni: Ἐπιληπτικὸς, *caducus*, *ſideroſus*. Et Lat. Gr. H. Steph. *Sideroſus*. ἀστροπλὴξ, ἐπιληπτικός. Add. Heſych. in ἀστροβοληθῆναι, κεραυγή, et σεληνίς. Et ita multi interpretantur *lunaticos*. Vid. Turneb. XI. *Aduerſ. 5.* Coel. Rhodig VI. *Antiq. Lect. 9.* Briſſon. *de V. S.* et Keuchen. *ad Seren. Samonic. Cap. de Comitiali morbo.* Alii *lunaticos* a caducis diſtinguunt: et Briſſon. *l. d.* ea voce *in h. t.* inſaniae ſpeciem denotari putat.

35 *Gutturoſus*] Ampl. Bynkersh. I. *Obſeru. 25.* notauit hoc legi apud Schol. Iuuen. *ad Sat. XIII. v. 163.* et in Gloſſis Vet. Coel. Rhodig. IV. *Ant. Lect. 2.* etiam Celſo tribuit. Ego in Celſo non inueni. Nec Borrichius ibi legit, vt qui ſolius Vlpiani auctoritatem pro eo adferat. Onomaſt. Vet. *Guturoſi*, βρογχοκῦλαι. Potius βρογχοκηλῆται, a βρογχοκήλη, quod apud Graecos eſt nomen morbi, de quo hic agitur: vt κηλήτης, et ἐντεροκηλήτης, a κήλη et ἐντεροκήλη. Gloſſae Philoxeni: Λαίμαργος, *glutto*, *gutturoſus*, *ganeo*. Haec alia, et inſolens ſane eſt huius vocis ſignificatio: nam λαίμαργος Graecis eſt *guloſus*, *vorax*, qua notione an quiſquam Latinorum *gutturoſum* dixerit, mihi non exploratum eſt.

36 *Polia*] *Nam etſi polia venerit, dicemus vnum equum, qui vitioſus eſt, non omnem poliam redhiberi oportere, d. l. 38.* Hotomanus *armentum equorum* interpretatur, Cuiacius *equitium*: vt *l. 1. §. vlt. ff. de Rei vindic. l. 12. §. 4. de Vſu et habitat.* quod et ἱπποφορβιον dicitur in Gloſſis, id eſt, auctore Heſychio, ἀγέλη ἵππων. Neuter eorum aliam auctoritatem quam Vlpiani habuit. Graeci quoque an hac ſignificatione πωλείαν dicant, valde dubito. Gothofr. quidem *ad d. l. 38.* notat, Xenophonti *in Libro* περὶ ἱππικῆς, πωλείαν eſſe armentum equorum: ſed eum falli opinor. Nam Xenophon

πωλείαν

[37] *Venalicium*, pro grege seruorum venalium, Venuleius *in l. ult. in fin. de Aedil. Edict.*

Quaestuariae mulieres, quae corpore quaestum faciunt, meretrices, Vlpianus [38] *in l. palam. 43. §. lenas. 7. de Ritu nuptiar.*

[39] *Augumentum*, pro augmento dixit Vlpianus *in l. quoties. 9. §. constat. 8. de Administrat.* 412
et peric. tutor.

πωλείαν vocat τὴν τῶν πώλων παίδευσιν, rationem docendi, domandique pullos equinos. Vid. *lib. dict. pag. 935. 936.* Ed. Wechel. Nec in Tacito *de Morib. German. equitium*, quod ex eo laudat ibidem Gothofr. legitur.

37 *Venalicium*] *Quicunque ex venalicio nouiciorum emptus alicui ministerio praepositus sit, d. l. vlt.* Et *iumenta, aut venalicia*, Vlpianus *l. 5. §. 1 de Iure deliber.* Sic etiam Petronius *Cap. XXIX. Erat autem venalicium titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat.* Vbi consule Clar. Burmannum.

38 *In l. palam. 43.*] Et *l. 4. §. 2. de His qui not. infam.* Senecae *Lib. VI. de Benef. 32.* et Tertulliani *Cap. XII. de Cultu foeminar.* esse, ostendit Ampl. Bynkersh. I. *Obseru. 25.* Add. Lindebrog. *ad Terent. Andr. I. 1. 52.*

39 *Augumentum*] Florentinus Liber, et cum eo Gothofred. *augmentum*, *Augumentum*, si legeretur, defendi posset argumento analogiae vocis *tegumentum*, et fortassis auctoritate Palladii apud quem *Decemb. Tit. VI. Lunae iuuabit augumentum*, et *Februar. Tit. XXV. in fine articuli De moro, Magnae infelicitatis augumenta* in vetustis aliquot editionibus legitur: pro quibus aliae habent *augmentum*, et *augmenta*. Non credo autem ei, siue is Buchnerus est, siue alius, qui *in Thesauro Fabri* scripsit, Scaligerum *in coniectan. ad Varron. pag. 48.* Ed. Dordr. apud Varronem *Lib. IV. de L. L.* in his verbis: *Agumentum, quod ex immolata hostia desectum in iecore imponendo agendi caussa*, pro *agumentum* legere *augumentum.* Nam id in illa Editione *l. d.* et in Indice quoque peccatum est typographorum: cum Scaliger non *augumentum*, sed (quemadmodum etiam Vertrannius, et Turneb. XXII. *Aduers. 6.* e certissimae fidei libris, vt ait) *augmentum* in Varrone legendum censuerit, vti cum ex eo liquet, quod ad Arnobium *Lib. VII.* remittit, vbi est *augmen*, et *augmentum*,

40 *Per consequentias*, Vlpianus *in l. 1.* et *l. quod dicimus. 7. de Authorit. et consens. tutor.* Itemque *in l. 3. in princ. de Legitim. tutorib.* et
413 *l. relegatorum. 7. §. dubitandum. 11. de Interdict. et relegat.* Et Papinianus *in l. si fideiussor. 19. de*

tum, tum quod in Festo pro *magmentum*, *magis augmentatum*, reponit *magmentum*, *maius augmentum*. Eamque emendationem confirmat locus Varronis *in Libro II. de Moribus Pop. Rom.* e MS. Porphyrione a*d Horat. I. Sat. 2.* descriptus a Carrione II. *Emendat. 3. Magmentum, quasi maius augmentum*, cet. quem iisdem paene verbis, sed non nominato auctore, refert Seruius *ad Virgil. IV. Aen. 57.* Qui dicunt *augmentum* non nisi apud recentiores scriptores, vt Apuleium, Iurisconsultos, et Prudentium legi, videant, quomodo sententiam suam aduersus has auctoritates tueri possint.

40 *Per consequentias*] *Prima enim ratio auctoritatis ea est, vt heres fiat: per consequentias contigit, vt debitum subeat, d. l. 1. princ. de Auctor. tut.* et sic in aliis. *In consequentiam*, quod Auctor noster videtur existimare dicendum fuisse, non melius est, quam, quod Iurisconsulti dicunt, *per consequentias*. Sed fortassis hoc notare voluit, quod obseruauit Brissonius, perpetuum esse Iurisconsultis, vt *per consequentias* dicant num. plur. non *per consequentiam*. Idque solum in hac locutione animaduertendum puto, tamquam Iurisconsultorum proprium. Nam alioqui *per consequentiam* recte dicitur. Auctor *ad Herenn. IV. 54. Per consequentiam significatio fit, cum res, quae sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione: vt si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cuius pater cubito se emungere solebat.* Gellius VI. 1. vertit *per sequelas*. quod Chrysippus dixerat κατὰ παρακολούθησιν, vt notauit alicubi Cuiacius. Sed et alibi *consequentia* cohaerentiam, nexum, ordinemque rerum significat. Vid. Cicer. I. *de Diuinat. 56.* Gell. VI. 2. *Consequenter* saepe legitur apud Apuleium, vt *Lib. X. Met. princ.* et *Lib. XI. princ.* et alibi. quod etsi apud antiquiores nondum inueni, tamen, quia κατ' ἀναλογίαν factum est a *consequens*, nihilo magis vsurpare dubitem, quam *conuenienter*, *continenter*, et quae plura sunt his similia. Nec *consequenter prioribus in d. l. 11. ad Leg. Falc.* et *his consequenter in l. 18. Famil. ercisc.* cuiquam insolentius videri debet, quam *consequens est his* apud Ciceronem.

de Dolo mal. pro in consequentiam. Idemque Papinianus *consequenter prioribus* posuit, pro in consequentiam priorum, id est, eorum, quae prius dicta sunt, *in l. in ratione. 11. §. si filio. 6. ad Leg. Falcid.*

EX PARTE QVINTA.

Insuper habere, pro negligere, parui facere, omittere, dixit [1] Papinianus *in l. haeredem. 17. de His quae vt indign. Haeredem,* inquit, *qui sciens defuncti vindictam omisit, et insuper habuit*: quod vix in eo sensu alibi reperias. Haloander autem ad fructus retulit imperite, et ita distinguit: *Et insuper habuit fructus.* 414

[2] *Formale pretium,* pro particulari, quod quisque sibi ex affectione format, et fingit, vsurpat

1 *Papinianus*] Et rursus Idem *l. 43. D. de Religios.* Hoc ea significatione esse apud Gellium IV. 1. et I. 19. Apulei. I. *Metam. pag. 107.* et IV. *Metam. pag. 154.* Symmachum, et Hieronymum, ostenderunt Cuiac. III. *Obseru. 22.* et XI. *Obseru. 11.* Muret. XI. *Var. Lect. 17.* et Guilielm. II. *Verisimil. 4.* Est autem haec vox nobilitata controuersiis Roberti, et Cuiacii: quorum ille III. *Animadu. Iur. Ciu. 15.* sine ratione Gellii, et eorum, quos memoraui, testimonia reiicit, et *d. l. 17. de His quae vt indign.* et *l. 43. de Religios.* in aliam plane sententiam detorquet cum Haloandro, de quo Anton. Mercat. III. *Notat. 15.* Porro Haloandrum *in d. l. 43.* duabus vocibus edidisse *insuper habemus*, sed Cuiacium, et Balduinum magis probare, vt vno iuncto verbo legatur *insuperhabere,* notat ibi Gothofred. Idque etiam Mureto auctoritate MSS. placet. Raeuardus III. *Var. 3.* tribus separatis vocibus *in super habere* scribendum multis contendit: sed non satis firma, vt mihi videtur, ratione.

2 *Formale pretium*] *Corpora si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem aestimanda erunt, hoc est, secundum praesens*

415 vſurpat Vlpianus *in l. in lege Falcidia. 62. §. 1. ad Leg. Falcid.* dure ſane, et inuſitate.

[3] *Habiliter,* pro apte, commode, ſcripſit Paulus *in l. ſi vt habiliter. 20. de Auro argent. mund. legat.* etſi latine, tamen ab aliis authoribus inuſitate.

[4] *Vbique,* pro vbicumque poſuit Paulus *in l. quod niſi. 20. in fin. de Oper. libertor.* Et Iavolenus

praeſens pretium. nec quicquam eorum formali pretio aeſtimandum eſſe ſciendum eſt, d. l. 62. §. 1. ad Leg. Falc. Gothofr. in notis *ad h. l.* varias adfert huius locutionis interpretationes. Goeſius *ad Sueton. Caeſ. Cap. XLII.* ſcribit, *formale pretium* eſſe, quod in *forma,* ſiue inſtrumento emtionis perſcriptum eſt: *formam* enim eſſe conuentionem, vt *in l. 7. §. 3. D. Solut. matrim. forma locationis*, pro conuentione locationis. Iac. Gothofred. *ad l. 2. C. Theod. de Suar. pecuar. formale pretium* interpretatur pretium ſtatum, certum, perpetuum, cuius eadem vbique ſemper taxatio eſt, et ſtata forma. Haec ſignificatio quodammodo conuenit cum ea, qua docti apud Sueton. *Domit. Cap. XIII. formales epiſtolas* accipiunt, pro ἐγκυκλίοις, quae ad plures eadem forma ſcribebantur. Verum Ampl. Bynkershoek. adſcripſerat, eam non conuenire ſententiae *d. l. 62.* Ego nullam, quam leg:, verborum Vlpiani expoſitionem ita teſtimoniis veterum ſcriptorum, aut aliis argumentis firmatam inuenio, vt in ea poſſim adquieſcere.

3 *Habiliter*] Epit. Liu. LVII. *Scutum paruum habiliter ferenti.* Add. *Pomp. Melam. III. 7.* a Gronouio *ad Liuium* laudatum. Nec contra analogiam formatum eſt. Quod autem Auctor noſter dicit, *inuſitate ab aliis,* id eſt, quo alii non ſunt vſi, id fortaſſis et ipſum inter inuſitata referendum eſt.

4 *Vbique*] Cuiacius *in Obſeruationibus* notauit hoc ſenſu eſſe apud Liuium XLV. 29. *Literasque omnes, quae vbique depoſitae eſſent, et pecuniam regiam conferri* iuſſerat. Pareus *in Lexic. Critic.* complura adfert loca Ciceronis, in quibus hoc ita ſumi dicit. Sed tamen hoc intereſt, quod in his omnibus voci *vbique* adiungitur pronomen relatiuum, quod abeſt a verbis Iuriſconſultorum *in d. l. 77. de Contr. empt. Lapicidinae in eo fundo, vbique eſſent, exceptae erant, et l. 20. de*

volenus *in l. in lege. 77. de Contrah. empt.* ſicut 416
et [5] *quandoque*, pro quandocumque *in l. in ſubſtitutione. 31. de Vulgar. et pupillar. ſubſt.* et *l. ſi fundus. 13. §. 1. de Rebus eor.* et *l. ſi pater. 6. in fin. Si tabul. teſtam. null. ex tab. vnde lib.* et *l. Sticho. 40. §. Titius. 7. de Statu liber.* Quod licet vetuſtum, nec improprium certe, tamen inuſitatum eſt.

[6] *Genitur*, pro gignitur, ἀρχαϊκῶς dixit Vl-
pianus *in l. qui filiabus. 17. de Legat. 1.* et Iu- 417
lianus

de Oper. libert. Nec eſſe iniungendam neceſſitatem liberto, vbique eum ſequi. Nec ſimile eſſe puto hoc apud Pareum e Liu. XXXVI. 2. *Quisquis Magiſtratus eos ludos, quando, vbique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte ſunto.* Nam *que* in *vbique* ibi non tam pro epectaſi, quam copula accipio, vt *vbique* ſit, *et vbi.* Palmerii coniecturam *Spicileg. pag. 828.* in Terent. *Hecyr. IV. 3. 2.* reponentis, *Iſthuc eſt ſapere, qui vbique opus ſit, animum poſſe flectere*, pro *vbicumque*, et *poſſis*, nondum a quoquam probatam animaduerti. Neſcio autem quid ſibi velit Gothofredus *ad l. 78. de Contr. empt.* poſtquam adnotauerat in Haloand. eſſe *vbicumque*, ſubiiciens id probari ab Ant. Auguſtin. III. *Emend.* 7. (ibi enim de hac re agit Auguſtin. non IV. *Emend. 17.* vt perperam excuſum erat in ea Edit. qua vſus ſum) et Cuiacio *ad §. 1. Inſtitut. de Seruitut.* Nam contrarium verum eſt. Forte ſcripſerat Gothofr. *quod improbatur.*

5 *Quandoque*] Hoc ab optimis linguae Latinae auctoribus frequenter dici pro *quandocumque*, plurimi obſeruarunt, qui laudantur *in Lexicis.* Add. Ald. Manut. *ad Cicer. Somn. Scip. Cap. VII.* et Sanct. *Mineru. III. 14.* Loca Pandectarum collegerunt Ant. Auguſtin. *l. d.* et Briſſon. *de V. S.* Sed in nonnullis id alia ſignificatione accipi adſentior Sanctio: niſi quod nullam rationem eſſe puto, cur *in l. 31. de Vulg. et pup. ſubſtit. Quaerebatur, quisquis haeres quandoque fuerit, intellegatur: an quisquis haeres tum erit, cum filius moriatur? quandoque* potius pro *et quando*, quod ille ait, quam pro *quandocumque* poſitum dicamus.

6 *Genitur*] *Si qua filia mihi genitur, ei heres meus centum dato, d. l. 17. de Legat. 1.* et, *Si quis mihi filius aut filia genitur,*

lianus *in l. si is qui ducenta. 13. §. vlt. de Reb. dubiis.*

[7] *Diuiduitas*, pro diuisione. *Legata, quae diuiduitatem non recipiunt*, id est, diuisionem, Caius *in l. si is qui. 80. in fin. ad Leg. Falcid.*

Suspe-

genitur, heres mihi esto, l. 13. §. vlt. de Reb. dub. vbi Haloand. notante Gothofr. *gignetur*, contra fidem Libri Florent. qui vtroque loco habet *genitur*. Vid. Victor. *ad Varron. l. 31. de Re Rust.* et Anton. Augustin. II. *Emend. 2.* Priscianus antiquos *geno* dixisse pro *gigno*, Varronis, et Lucretii testimoniis ostendit *Lib. X. pag. 808.* Victorius in libris Varronis *de Re Rust.* hanc vocem aliquot locis e MSS. restituit *l. d.* eademque etiam Seuerum in *Aetna*, Apuleium, et Censorinum vti obseruauit Vossius III. *de Analog. 29.* Apud Ciceronem quoque II. *de Inuent. 42. Si mihi filius genitus vnus, pluresue, is mihi heres esto:* et II. *de Orator. 32. Si mihi filius genitus, isque prius moritur*, cet. Lambinus legebat *genitur*: quod etsi nulla necessitate fieri tradit Gruterus; tamen apertum est, si retineas *genitus*, sententiam pendere, cui mederi, credo, voluerunt, qui ibi ediderunt *genitus sit*, et *genitus fuerit*. Etiam verba Varronis *e Satyra Testamentum*, relata a Gellio III. 16. vulgo ita eduntur: *Si quis mihi filius vnus pluresue in decem mensibus genuntur*: eamque certam lectionem, non arbitrariam esse, et verbum hoc translatitium in testamentis fuisse existimat Scip. Gentilis I. *Parerg. 27.* At Vir. Clar. Iac. Gronouius *ad Gellium* notat, editiones illius Stephaniana anteriores, et duos MSS. habere *gignuntur*. Verum haec vti in disceptationem venire possunt, ita nulla ratio est, cur probetur sententia Stewechii *ad Apulei. de Deo Socrat.* etiam in Catone *de Re Rust. Cap. I.* pro *gignuntur genuntur*, et in fragmento Sallustii apud Nonium *princ. Cap. IX.* pro *gignere genere* sine auctoritate librorum MSS. substituentis. Probabilius est, quod Scaliger in Festo v. *geniales* legendum censet: *Geniales autem dicti a genendo*, pro *gerendo*. Vbi non video, quam vim habeat argumentum Virorum Doctorum, vulgatum *gerendo* eo defendi posse existimantium, quod apud Varron. I. *de Re Rust. 31.* quidam Codices habeant, *antequam gerat siliquas*: quippe cum eam lectionem, si non fallam, certe dubiam esse constet e Victorio *ad l. d. Varr.* in omnibus suis MSS. *genat*, non *gerat*, legi testante.

7 *Diuiduitas*] Analogia quidem permittit, vt a *diuiduus* dicatur *diuiduitas*, sicut a *viduus*, quod vt Vossio placet, ab eadem

[8] *Suspecto*, aduerbialiter, pro suspecte, Paulus *in l. portiones. 21. de His quae vt indign.* Sicut [9] *extremo*, pro ad extremum, ad vltimum, postremo, Modestinus, *in l. quod his verbis. 83.* 418
ad fin. de Legat. 3.

[10] *Truellas*, et *tryllas*, quas Martialis aliique authores *trullas* vocant, Scaeuola *in l. Seiae. 36.* et Vlpianus *in l. cum aurum. 19. §. argento. 9. de Auro et argent. legat.*

[11] *Vitreamina*, pro vitro et vitrea suppellectile, Paulus *in l. cum de lanionis. 18. §. quidam. 13. de Instruct. et instrum. legatis.*

eadem origine est, qua diuido, *viduitas*, sed auctoritatem veterum non habeo. *Indiniduitas* est Tertulliani.

8 *Suspecto, pro suspecte*] Haec quoque fortassis sola ratione analogiae nituntur.

9 *Extremo*] Est *in fragmento III. Orationis Ciceron. in Pison.* apud Asconium: *Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi coeptus est.*

10 *Truellas*] Haud scio an hoc κατὰ παρένθεσιν τοῦ e dicatur, vt in aliis quibusdam, apud Dausq. *Orthograph. Part. I. pag. 125.* et *in Indic. Inscription.* Reines. *Trylla*, pro *trulla*, pertinet ad permutationem vocalium *u* et *y*, quae antiquis satis vsitata est, vt *Thyle*, *centyrio*, *gyla*, *acolythus*, et alia huiusmodi. Vid. Salmas. *ad Solin. pag. 199.* et *Indic. Inscription.* et contra *Suria*, *Musia*, de quibus iam monuit Donatus *ad Terent. Hecyr. I. 2, 8.*

11 *Vitreamina*] Alii *vitrea* dicunt. Columell. XII. 4. *Vasa vitrea.* Petron. *Cap. X. Vitrea fracta.*

EX PARTE SEXTA.

[1] *Solarium*, pro vectigali, quod pro solo penditur *l. 2. §. si quis. 17. Ne quid in loc. public.*
l. cum

1 *Solarium*] Vid. *supr. pag. 395. ad cloacarium.* Hoc ea significatione, qua Auctor tradit, accipitur duobus prioribus

l. cum seruus. 39. §. haeres. 5. de Legat. 1. l. ven-
419 *ditor. 13. in fin. Commun. praedior.* Nam pro loco superiore domus aprico, et soli exposito etiam Plautus *in Milite* vtitur II. 4. 25.

Nam certe neque solarium apud nos est, neque
hortus vllus, neque
Fenestra, nisi clathrata.

[2] *Extrarius,* pro extraneo: *extrarii haeredes*, pro extraneis: qui suis opponuntur, Iauolenus

bus locis, et *l. 15. D. Qui potior. in pignor.* vt si quis in solo alieno publico, priuatoue, aedificium habeat. At *in l. 13. §. 1. Comm. praed.* pro pecunia, quae secundum consuetudinem loci pendenda est domino, e cuius lapicidinis, quae in ipsius agro priuato sunt, alius lapides vult caedere. Alias huius vocabuli significationes vid. apud Victor. *Var. Lect. XXI. 13.* et Salmas. *ad Spartian. Pescenn. Nigr. Cap. XII.*

2 *Extrarius*] *Extrarius heres in l. 36. de Bon. libert.* et *l. 55. ad Senatusc. Treb.* non opponitur suo heredi, sed patrono, et patroni filio, qui legitimi heredes, opinor, sunt liberto: et *extrarius accusator in l. 17. de Quaestion.* patri, aut marito. Sed hoc ad nos non multum pertinet, quibus illud solum quaerendum est, an *extrarius*, et *exter*, etiam aliorum probatorum scriptorum, non tantum Iurisconsultorum, auctoritatem habeant. Et illud quidem latinissimum esse, et apud Terent. *Phorm. IV. 1. 13.* Lucretium IV. 278. Auctorem *ad Herenn. II. 13.* Quintilianum VII. *Instit. Orat.* 2. et Suetonium *Vespas. Cap. V.* legi, ostendit in Dilucidat. *ad Sueton. l. d.* Marc. Donatus. *Exter* autem non tam certa auctoritate nititur. Ex Ennio quidem versum proferunt:

Et quis exter erat Romae regnare quadratae.

Verum in hoc propter varietatem lectionis nihil praesidii est, quam aliter atque aliter constituunt docti. Vid. quae notantur ad Festum *in Quadrata Roma.* Salmas. *ad Solin. pag. 11.* et Voss. II. *de Analog. 25.* Nihilo magis iuuat, quod adfertur e Statio XI. *Theb. 429. Exter honos*: etsi id iam olim probauit Priscianus *princ. Lib. III.* et e recentioribus Pius *Cap. V. Annot. poster.* Pier. *ad Virg. IV. Aen. 350.* G. Canter. II. *Non. Lect. 8.* Sanctius I. *Minerv. 11.* aliique. Nam nec

lenus *in l. libertus. 36. de Bonis libertor.* Papinianus *in l. si patroni. 55. in princ. ad Senatusconf. Trebell.* et *l. in extrario. 17. de Quaestionib.* Idemque *exter haeres*, pro alienus *in l. peto. 69. §. praedium. 1. de Legat. 2.* et *in l. pater. 15. §. seruus. 3. de Castr. pecul.* 420

[3] *Inarare*, pro simplici arare posuit Vlpianus *in l. nam et si. 9. in fin. D. Quod vi aut clam.*

nec sententiae loci Statiani conuenit, et a scriptura veterum librorum recedit, qui fere omnes habent *alternos*, vel *externos*, teste Gronouio, cuius nota *ad l. d.* Statii inspicienda est. Quamquam autem ex antiquitate fortassis certiora proferri non possunt; tamen quoniam veteres eadem forma *super*, *infer*, *citer*, pro adiectiuis dixerunt, vt docent Gifanius *in Ind. Lucret. v. super*, et Voss. *d. l.* non facile adfirmari potest, *exter* quoque apud eos in vsu non fuisse. Tertulliani, et Paulini loca, in quibus id legitur, habet Voss. *ibid.* Est etiam in Glossis Vet. *Exter*, ἐξωτικός: *Exter*, *Externus*, ἐξώτερος.

3 *Inarare*] *Si quis clam aut vi agrum inarauerit, d. l. 9. Quod vi aut clam.* Pro hoc Venuleius vsus est simplici *arare in l. 22. §. 1. eod. Si quis vi aut clam arauerit.* Itaque si hoc mendum non est, ortum e praecedente litera *m*, dicendum est, *inarare* ita posui, vt *infringere*, *instruere*, et plura alia cum *in* composita, quae idem significant, quod simplicia. Sed tamen apud vetustiores nondum alia significatione dictum inueni, quam arando terrae permiscere, et ingerere. Cato *Cap. XXXVIII. de Re Rust. Sarmenta sua concidito minute, et ibidem inarato, aut infodito.* Varro I. *de Re Rust. 23. Lupinum pro stercore inarare solent.* Et sic quoque Columell. II. 2. et 5. Pallad. *Sept. Tit. 3.* et Plin. XVIII. *H. N. 18. 20. et 25. Inaratus*, participium, Virgilio, et Horatio est non aratus.

421 EX PARTE SEPTIMA.

[1] *Incolatum*, pro iure et conditione incolae dixit Modeſtinus *in l. incola. 34. ad Municipal.* quod vix alibi reperias. Vtitur tamen vetus Interpres *in translatione Iobi.*

[2] *Reciſius tempus*, pro breuiori, conciſiori, magis reciſo dixit Calliſtratus *in l. 2. de Termin. moto.* Sed cur non hoc valere putemus, cum Plinius *reciſionem* verbale, et *reciſamentum* pro praeſegmine et reciſo fruſto vſurparit?

[3] *Tenta perſona cupiditate procreandae ſobo-*
422 *lis*, pro ducta, capta, affecta, dixit Vlpianus *in l. ſi cum dotem. 22. §. ſin autem. 8. Solut. matrimon.* a caeteris authoribus inuſitate, qui licet *teneri deſiderio et cupiditate* dixerunt, tamen *tentus, a, um*, participium non vſurparunt. Videndum tamen,

1 *Incolatum*] Cellarius *in Cur. poſter.* notat hoc eſſe in Inſcriptione ex aeuo Hadriani apud Reineſ. VII. 32. OMNIA PER OPPIDA INCOLATVM EVITANT. et apud Tertullianum. Sed Inſcriptionem illam non ſine ratione *νοθείας* arguit Reineſius: quod miror praeteriiſſe Cellarium.

2 *Reciſius*] Non ſunt haec Calliſtrati, ſed Hadriani Imp. verba in Reſcripto, quod refertur *d. l. 2. Reciſum opus*, pro breui, dicit Vell. Paterc. II. *Hiſtor. 89. Ne in operis quidem iuſti materia, nedum huius tam reciſi.* Parum abeſt etiam, quin credam Vitruuium comparatiuo *reciſior* vſum *in V. de Architect. 8. Ita tribus centris hac deſcriptione, ampliorem habent orcheſtram Graeci, et ſcenam receſſiorem, minoreque latitudine pulpitum, quod λογεῖον appellant.* Nam *receſſior* Latinum non videtur. *Reciſio* eſt in Plin. XXI. *H. N.* 4. *reciſamentum XXXIV. H. N. 11.*

3 *Tenta perſona*] Sic Iuſtinianus *l. 21. Cod. de Fide Inſtrument. ſubtili reuerentia tenti.* Non dubito, quin verum ſit, quod Auctor noſter, et plures cum eo docti exiſtimant, quaedam eſſe in *d. l. 22.* quae ſtylum hominis multo, quam fuit Vlpianus, Latinae linguae imperitioris redoleant.

tamen, ne totus ille locus *d. l. si cum dotem. a §. si maritus. 7.* vsque ad §. *item pater. 9.* non Vlpiani sit, sed Triboniani, qui, vt quandoque solet, sua pro alienis nobis obiecerit, et Pandectis inseruerit. Nam id et stylus ipse Ellenismis frequens, et subiecta de furiosis tractatio satis arguit.

[4] *Incredibilitatem* dixit Vlpianus *in l. mariti. 29 in princ. ad Leg. Iul. de adulter.* Sicut et *facti sceleritatem*, pro scelere ipso Martianus *in l. 3. princ. de Bonis eor. qui ante sentent.*

[5] *Palmarium*, vel victoria ipsa, vel quod victoriae nomine patrono promittitur. Vlpianus 423
in l. 1. §. si cui. 12. de Var. et extraord. cognit. Quo etiam loco in fine capitis [6] *nutricia*, pro mercibus nutricum posuit.

4 *Incredibilitatem*] Vulgat. *in d. l. 29.* habet *praetextu incredulitatis. Incredibilitas* non tam analogiae ratione, quam auctoritate veterum destituitur, nec alibi illud, quam in Glossis Vet. legi. *Incredulitas* est Apuleii I. *Metam. pag. 111.* De *sceleritas* dictum est supr. *pag. 326. n. 11.*

5 *Palmarium*] *Si vero post causam actam cauta est honoraria summa, peti poterit vsque ad probabilem quantitatem, etsi nomine palmarii cautum sit, d. l. 1.* Non plane intelligo, quid hic sit *palmarium.* Terentio *in Eun. V. 4. 8. palmarium* est facinus victoria, et gloria dignum. Glossae exponunt ἀξιόνικον. Brissonius *in d. l. 1.* interpretatur victoriam. Poller. II. *Histor. For. Rom. 11.* honorarium, quod patronis causarum datur. Abramus ad Cicer. *pro Coel. Cap. VII et XIX.* tradit, ita dictum honorarium causidicorum, eo quod id lucrum successerit in locum adpendendi pro foribus palmam, qui honos olim Oratoribus parta victoria forensi habebatur. Quasi vero aetate Martialis, Iuuenalis, Luciani, et aliorum, qui huius ritus mentionem faciunt, patroni causarum pro his agendis honorarium non acceperint.

6 *Nutricia*] Supple, praemia, pretia. Hoc ita inter inusitata numerari potest, vt apud Senec. *Consol. ad Helu.* *Cap.*

[7] *Ossuaria*, vel *ossaria*, in qua mortuorum ossa conduntur. Vlpianus *in l. 2. de Sepulc. violat.*

[8] *Pigmentarii*, pro pharmacopolis, apothecariis, magistris officinarum medicamentaria-
424 rum. Martianus *in l. 3. §. alio Senatusconsulto. 3. ad Leg. Cornel. de sicar.*

[9] *Loricationes*, pro tectoriis, incrustationibus parietum ex marmorato, arenato, et huiusmodi. Paulus

Cap. XVII. pium maternumque nutricium, scilicet, officium: quod nec ipsum facile alibi reperias, etsi ob id non minus probum est, quam *nutricius*, pro eo, qui nutrit, apud Caesarem. Est enim natura adiectiuum. Columell. III. 13. *Nutricius sinus.* Add. Cellar. *Cur. Poster.*

7 *Ossuaria*] Gothofred. *in d. l. 2. Et Celsus scribit sic esse monumenti, vt ossuariam.* Haloand. vt Idem Gothofr. notat, *ossaria.* Cuiac. X. *Obseru 37. ossuarium* legendum censet, ex Inscriptione, OSSVARIVM SIBI VIVA FECIT. Hoc in aliis Inscriptionibus apud Reines. XIX. 24. et Spon. *Miscellan. Sect. IX. pag. 290.* etiam *ossarium* dicitur, vt *ossua*, et *ossa*. OLLA OSSVARIA est apud Gruter. *pag. 626.* Et ita fortassis explenda est haec vox apud Vlpianum. Nam et *ossuarium*, et *ossarium* adiectiua sunt.

8 *Pigmentarii*] Etiam Cicero XV. *famil. ep. 17. Attium pigmentarium* memorat. Sed fortassis alia significatione. Nam *pigmenta* priscis dicebantur χρώματα: *pigmentarii*, qui ea vendebant. Posterior aetas *pigmenta* vocauit herbas, ac species quascumque medicinales: *pigmentarios*, quos nunc pharmacopolas appellamus. Ita Salmas. *ad Solin. pag. 740.* et *in Prolegom. de Homonym. Hyles Iatric.* e Scribonio Largo, Firmico, Schol. Persii, et Glossis Vet. Add. Voss. *in Etymolog.* et Muncker. *ad Fulgent. III. Mythol. 8.*

9 *Loricationes*] Vitruu. VII. 1. *Duplicem praebeat contignationi loricationem.* Philander ibi exponit contabulationem, Cuiacius *ad d. l. 79.* texturam, et polituram tabularum: quod quidem sententiae Pauli magis conuenit, qui *loricationem* impensis voluptariis adnumerat. Sed puto extendi posse ad omnia, de quibus *lorica*, et *loricare* dicuntur in Architectura, de quorum varia acceptione vid. Philand. *l. d.* et Bud. *ad. h. l. 79.* Est autem, vt opinor, technicum Architectorum, vt et *porticatio*: quamquam hoc ne apud Vitru-

Paulus *in l. impensae. 79. in fin. de Verbor. signific.* Simile est, quod *porticationes* pro porticibus dixit Macer, *in l. funeris. 37. de Religios. et sumpt. funer.*

[10] *Notoria*, pro elogiis, quibus crimina ad Magistratus deferuntur, dixit Paulus *in l. ab accusatione. 6. §. 3. ad Senatusc. Turpillian.* itemque Gordianus Imp. *in l. ea quidem. 7. Cod. de Accusationib.* 425

[11] *Pannicularia*, vsurpauit et interpretatus est simul Vlpianus post Hadrianum Imp. *in l. Diuus,*

Vitruuium quidem inueni. Ceterum *in d. l. 37. de Religios.* Ita legitur: *Itaque si amplum quid aedificari testator iusserit, veluti in circum porticationes, eos sumptus funeris causa non esse. In circum,* id est, circumquaque, auctore Raeuardo III. *Var. 3.*

10 *Notoria*] *Nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis adsistere iubentur, d. l. 6.* Alii *notorias* dicunt, quae sunt epistolae, scripturaeue, quibus crimina deferuntur, vt ex Apulei. VII. *Metam.* et Trebell. Poll. *in Claud. Cap. XVII.* docet Brisson. *de V. S.* Add. Cuiac. I. *Obseru. 33.* et Turneb. XV. *Aduers. 20.* Glossae Lat. Gr. ἀναφορὰν et μήνυσιν interpretantur. Gloss. Isidori: *Elogium, textum malorum dictorum, quod notoriam dicunt.* Est autem hoc vocabulum mediae Latinitatis, ex sententia Casauboni *ad Treb. Poll. l. d.* Conf. etiam quae de eo habet ibidem, et *ad Vopisci Aurelian. Cap. XXXVI.* Salmasius, disputans aduersus Cuiac. III. *Obseru. 3.* Vossius III. *de Vit. Serm. 29.* in *h. l. notoria* exponens manifesta, non satis perspexisse illius sententiam videtur.

11 *Pannicularia*] Hoc forte non multo ante Hadriani Imp. tempora vsurpari coepit: quandoquidem ex huius Rescripto apparet, tum nondum satis certum fuisse, quid eo nomine contineretur. Menagius *Amoenitat. Cap. XXXIX.* longam huius vocabuli etymologiam texit e sermone Graeco, in quo ei praeiuerunt Scaliger *ad Varronem*, et Vossius *in Etymologico.* Agit etiam de eo Scip. Gentil. *Libro singul. Origin ad Pandectas. In d. l. 6.* Edd. Gothofr. haec ita distinguunt: *quae in custodiam receptus, secum attulit spolia, quibus*, cet.

Diuus. 6. *de Bonis damnator.* ea eſſe, *quae in cuſtodiam receptus ſecum attulit, et ſpolia quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur.*

[12] *Reliquari,* pro reliqua trahere, *l. conſtitutionibus.* 24. *ad Municipal. l. Lucius Titius.* 46.
426 *princ. de Adminiſtr. tutor. l. reſcripto. 6. §. debitores. 1. de Muncrib. et honorib.* Hinc *reliquator,* qui reliqua traxit *l. creditor. 102. §. Valerius. 2. de Solutionib.*

[13] *Venenarii,* qui malis venenis vtuntur, aut aliquem veneno ſuſtulerunt, *l. capitalium. 28. §. 9. de Poenis.*

Eman-

12 *Reliquari*] Eſt non totum ſoluere, ſed relinquere partem non ſolutam, quae *reliquorum* nomine a Iuriſconſultis, et aliis ſcriptoribus appellatur. Budaeus *ad l. 24. D. ad Municipal.* et Salmaſ. *ad Ius Attic. et Rom. Cap. II. pag. 46.* de hac voce agentes, nullum illius, praeter Iuriſconſultos, auctorem laudant. Hi autem varie ea vtuntur. Scaeuola *l. 24. ad Municip.* *Qui ex adminiſtratione honoris reliquatus eſt.* Idem *l. 23. pr. de Pecul. leg.* *Summas, quibus reliquatus erat.* Paulus *l. 46. princ. de Admin. tutor. Debitum, quod ex conductione reliquatus eſt.* Vlpianus *l. 9. de Liberat. leg.* etiam *reliquauit* dixit: Et ita Gloſſae: *Reliquo,* λοιπογραφῶ, λοιπάζω. *Trahere reliqua* eſt *in l. 46. princ. de Adminiſtr. tutor. l. 3. §. 1. de Statuib.* et *l. 3. §. 1. de Adminiſtr. rer. ad ciu. pertin.* Briſſonius in hac phraſi *trahere* videtur exponere contrahere. Poteſt etiam accipi pro differre, protrahere ſolutionem reliquorum: vt *trahere bellum*, apud Liu. III. 61. *At trahere, atque moras tantis licet addere rebus*, apud Virgil. VII. *Aen.* 315. et apud alios ſaepiſſime. Cicero hoc alicubi dicit *ſuſtinere ſolutionem.*

13 *Venenarii*] Hoc eadem ſignificatione vſum eſſe Suetonium *Neron. Cap. XXXIII.* Tertullianum, et Firmicum notauit Briſſon. *de V. S.* cuius obſeruatio iiſdem plane verbis legitur in Marc. Donat. *Dilucidat. ad Sueton. l. d.* Addiderunt alii Lactantium *Inſtit. V. 19.* et Apulei. *Apolog. pag. 291.*

[14] *Emanſor*, qui diu extra caſtra vagatus tandem reuertitur, ab *emanendo*, quod extra maneat, opponitur deſertori, ſicut erro fugitivo *l. 3.* §. *emanſor. 2. l. 4.* §. *13. et l. 5.* §. *6. de Re militar. l. aut facta. 16.* §. *tempus. 5. de Poenis.*

[15] *Territio*, pro territamento et increpatione, Vlpianus *in l. item apud. 15.* §. *quaeſtionum. 41. de Iniur.* 427

[16] *Praeciſior*, pro durior, potentior, difficilioris conuentionis, Arrius Menander *in l. 4.* §. *non omnis. 8. de Re militar.*

14 *Emanſor*] *Remanſores* dicuntur *in l. 4. ∫. 13. de Re milit.* et *remanſor. l. 5. ∫. 6. eod.* vbi *emanſores*, et *emanſor* habet Haloand. *Emanere*, *emanſor*, *iemanſor*, *emanſio*, quae ſub *Tit. D de Re milit.* leguntur, non valde antiqua hac ſignificatione eſſe puto, quod vetuſtiores in commemorandis delictis militaribus nusquam iis vſos inuenio. Videtur autem poſterior aetas *emanſores* vocaſſe, qui in veteri militia infrequentes dicebantur, de quibus Lipſ. V. *de Milit. Rom. 18.* Manut. *ad Cicer. V. Verr. 13.*

15 *Territio*] Huic defendendo quod adferam, praeter argumentum ab analogia, non habeo.

16 *Praeciſior*] Gothofr. e Florent. *in d. l. 4. ∫. 8. Non omnis, qui litem habuit, et ideo militauerit, exauctorari iubetur, ſed qui eo animo militiae ſe dedit, vt ſub obtentu militiae pretioſiorem ſe aduerſario faceret.* Haloand. *praeciſiorem*, quod etiam Budaeus *ad h. l.* probat, et duriorem, intractabiliorem, exponit. Heraldus coniiciebat *ſpecioſiorem*, eumque refellens Salmaſius *ad Ius Attic. et Rom. Cap. XXI. gratioſiorem:* eo quod milites cum paganis litigantes iis multo eſſent *gratioſiores*, vt eſt apud Iuuenal. *Sat. vlt.* Ampl. Bynkersh. adnotauerat, recte videri Florentiae legi *pretioſiorem:* quo ſcilicet aduerſarius plus expendere teneretur ad eum conveniendum. Grotium *Flor. Sparſ. ad h. l.* non improbare lectionem Heraldi. Pancirollum quoque II. *Var. Lect. 145.* de hoc loco egiſſe, ſed ſibi illius ſententiam non valde placere. Ego cum nec *pretioſum*, nec *praeciſum*, nec *ſpecioſum* *ſe*

[17] *Hospitatura*, pro hospitum suscipiendorum cura et munere iniuncto, Charisius *in l. munerum. 18. §. elemporia. 19. de Munerib. et*
428 *honorib.* Eodemque loco §. 21. [18] *agminales equi* vocantur, qui agmen Principis aut exercitum sequuntur.

[19] *Camelelasia*, pro cura deducendorum camelo-

se facere, vti quidem hic illae phrases accipiuntur, vsquam alibi dictum inueniam, fateor me nec ea loquendi genera, nec eorum expositiones satis intelligere. Salmasii lectio neque insolens quidquam, et commodam, ac loco illi conuenientem habet sententiam. Nam Iureconsultum vsum fuisse verbo, quo denotaretur grauior, aut quacumque ratione potentior aduersarius, cuiusmodi etiam miles est *l. 11. de Alienat. iud. mut. caus. fact.* non potest dubitari. Sed ob id veram esse, non facile adfirmare quisquam possit.

17 *Hospitatura*] Ita habet Vulg. et Haloandr. *in d. l. 18. §. 19.* probante in notis Gothofredo, quamquam Florentinum exemplar secutus *ospratura* edidit. Budaeus *osprionia* legit, id est, vt ait, leguminum comparandorum munus. Brissonius, et Hotomanus scripturam Florent. probant, et *ospraturam* minutarum frugum, et leguminum coëmendorum curam exponunt. *Hospitatura* autem cur verior lectio sit, quod Gothofred. putat, non video. Nam id, de quo *in d. l. 18. §. 19.* agitur, *patrimonii munus apud Alexandrinos* esse dicitur: at hospitis recipiendi munus non Alexandriae solum, quod ista lectio praefert, verum in omnibus prouinciis patrimonii onus erat, *l. 3. §. 14. D. de Munerib. l. vlt. §. 29. eod. l. 6. §. 5. D. de Offic. Praef. l. 3. C. de Munerib. patrimon.* Add. Cicer. I. *in Verr. 25.* et ibi Menard.

18 *Agminales equi*] Videri possunt, quae *ad h. l.* notat Gothofr. e Budaeo, et Cuiacio. In hoc autem, atque aliis, quae ad Ius publicum Imperii illorum temporum pertinent, frustra auctoritas antiquorum requiritur.

19 *Camelelasia*] Et haec Haloandr. lectio est, quae etiam Budaeo *ad h. l.* placuerat. Cuiac. IX. *Obs. 9.* Turneb. XXI. *Adu. 28.* et Brisson. *de V. S.* probant *camelasia*. Et ita Gothofr. edidit *in l. 18. §. 11. de Munerib.* Latina scriptura: Καμηλασία Graece *in l. 1. §. 2. eod.* Varias doctorum de huius vocabuli significatione sententias congessit Idem *ad ll. dd.* Add.

melorum, [20] *ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τοὺς καμήλους*: et 429
camelaris, pro camelorum curatoribus, *in l. vlt.* §. *11. de Munerib. et honorib.* Rursus [21] *specularii*, et

Add. Marc. Donat. *Dilucidat. ad Ammian. Marcell. Lib. XVII.* qui quod cum Cuiacio, et Turnebo *camelasium* apud Ammian. *Lib. XVII. Cap. 3.* exponit tributum camelasiae nomine inductum, vna cum his a Castello in errorem inductus est, a quo hanc vocem contra fidem omnium MSS. in Ammianum intrusam notat ibi Valesius. Torrentius *ad Sueton. Vespas. Cap. VIII. camelasiam*, vel, vt ab aliis legi ait, *camelariam* scribit esse pecuniam, quae dabatur ad alendos camelos: contra sententiam *U. dd.* quae disertis verbis dicunt *camelasiam* esse *munus personale*, et *ministerium corporis* (agendorum, puto, curandorumque camelorum) quo qui fungerentur, quos *camelarios* vocat *d. l. vlt. §. 11.* pecuniam ad alimenta camelorum e publico acciperent. Ceterum haec quoque vox ad latinitatem Iurisconsultorum non pertinet; sed eiusmodi minister recte, et latine *camelarius* dici potuit. Vid. not. *pag. 396. n. 2.*

20 Ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν] Nimirum vt *ὀνηλάτης*, *ἱππηλάτης*, *στρατηλάτης*, Bud. *h. l.* Turnebus putat a *καμηλάζειν* ita deriuari *καμηλασία*, vt ab *ἱππάζειν* est *ἱππασία*. Mihi, quia nusquam a Graecis *καμηλάζειν* dictum inuenio, Budaei deriuatio verior videtur; ita vt *camelasia* scribatur pro *camelelasia*. Quamquam fortassis sine discrimine *καμηλασία*, et *καμηληλασία* dictum fuit, vt *ἁρμηλάτης* et *ἁρματηλάτης*.

21 *Specularii, pro speculorum opificibus*] Ita haec vox accipi potest *in l. 1. Cod. de Excusat. artific.* et in Glossis, vbi *σπεκλοποιὸς* exponitur. Verum quo militibus specula? aut quis locus est speculorum opificibus inter ministeria exercitus, quae *in d. l.* enumerantur, quorum plerisque praeerat Praefectus fabrum? Gothofred. existimat eos intelligi, quos Vegetius II. 11. vocat *cunicularios*, id est, cuniculorum fossores. Sed vix est, vt a *specus* fieri possit *specularios*, a quo ratione analogica formandum esset *specuarius*, quod tamen et ipsum nusquam a me repertum est. *Speculatores* etiam *specularios* dici censet Reinesius *ad Inscript. VIII. 22.* Sed hoc non certum est, ac praeterea illa significatio huic loco non conuenit, in quo *ballistrarii*, *sagittarii*, aliique artifices, qui parant ea, quae necessaria sunt armando exercitui, memorantur, cum quibus nihil commune habent *speculatores*. Si *spicu-*

430 et [22] *scandularii*, pro speculorum, et specularium opificibus, itemque scandularum fabris et tectoribus, vulgo *couvreurs d'aissil*. Rursus [23] *cornicularii*, qui corniculis (quod est ornamenti militaris genus) donati sunt ab Imperatore, qui adiutores et optiones sub se habebant, et

specularius a quoquam non omnino contemnendae auctoritatis scriptore dici scirem, pro βελοποιὸς, qui spicula fabricat, acuit, polit, vix dubitarem id arripere. Nunc, deficiente auctoritate, id tentari non potest. Si quis in hibernis milites vsos fuisse specularibus ad saeuitiam aëris arcendam putet, quem vsum fuisse specularium notum est, (Vid. Cuiac. XIII. *Obseru. 13.* et Lips. *ad Senec. Ep. XC.*) is *specularios* cum Auctore nostro pro specularium opificibus accipiat, licet. Sed mihi non magnopere placet, quoniam haec vox *in d. l. vlt.* posita est inter vocabula, quibus denotantur armorum fabricandorum artifices.

22 *Scandularii*] Qui scandulis hiberna tegunt, Bud. *ad h. l. Scindularii* legere malebat Stewech. *ad Veget. II. 23.* Vulgatum retinet Dion. Vossius *ad Caesar. VIII. Gallic. 42.* Nec opus videtur mutatione. Vid. quae ibi notat Idem Vossius, quaeque pater eius *in Etymolog.* et Dausq. *in Orthograph.* scribunt.

23 *Cornicularii, qui corniculis*] At *d. l. vlt.* memorantur *adiutores corniculariorum*, e quo vel solo intelligi potest, non esse hanc vocem sic exponendam. Nam ad quam rem magis adiutore opus est illi, qui corniculis donatus est virtutis causa, quam qui hastis, armillis, phaleris, aut coronis? Alii plerique gradum quemdam, et ordinem in militia fuisse volunt. Vid. Bapt. Pium *Annot. poster. Cap. LXXVII.* Sigon. *de Ant. Iur. Prou. II. 2.* Marcell. Donat. *Dilucid. ad Liu. Lib. X.* et Salmas. *Exerc. Plin. pag. 356.* qui varie de hac re tradunt. Non erat autem hoc inter inusitata recensendum, vtpote quod in Sueton. *Domit. Cap. XVII.* Valer. Max. VI. 1. *Rom. 11.* Frontin. III. 14. 1. Ascon. *in I. Verr. 28.* et in Inscriptionibus non raro legatur. In Codice quoque tam Theodosiano, quam Iustinianeo frequens est *corniculariorum* mentio, vbi pro Officiis quibusdam Magistratuum accipiuntur: de quo Cuiac. *ad l. 2. C. de Proxim. sacror. scrin.* Guther. *de Offic. Dom. Aug. II. 15.* et Reines. *ad I. Inscript. 127.* ADIVTOR CORNICVLAR. est in Inscriptione apud Marc. Donat. *l. d.*

et *cornuarii*, cornuum, id est, tubarum obtortarum opifices, vel etiam [24] cornicines. Hi 431
omnes numerantur ab [25] Arcadio, vel Tarentino *in l. vlt. de Iure immunitat.* Quas voces haud facile [26] vsquam alibi reperias.

[27] *In necem*, pro in damnum et perniciem, *l. 3. §. stellionatum. 1. de Crimine stellionatus.*

Caete-

24 *Cornicines*] Vtramque hanc significationem etiam Brissonius adfert, cuius rei rationem non video. Vt enim hoc loco *tubarii* sine dubio sunt tubarum, et *arcuarii* arcuum artifices, ita nihil est, cur *cornuarii*, qui inter hos medii ponuntur, non debeant esse cornuum bellicorum artifices. Glossae: *Cornarius*, κεραοξόος. Forte *cornuarius*, vt *saltus saltuarius*, *fructus fructuarius* et pleraque a nominibus quartae, quae *u* retinent. Nisi quis putet a *cornu* dici posse *cornarius*, vt a *gradus gradarius*, a *penus penarius*: de quo non contendo. Sed quod vertitur κεραοξόος, indicio est aliter hanc vocem ibi accipi, quam apud Iurisconsultum: nam κεραοξόος τέκτων Homero *Il. IV. v. 110.* et aliis Graecis est τοξοποιός, arcuum fabricator, qui hic *arcuarius* dicitur.

25 *Arcadio*] Haloand. Arcadio, Florent. Codex Tarrunteno Paterno, Budaeus Callistrato *d. l. vlt.* adscribunt. Qui hic Tarentinus vocatur, in Florent. vt dixi, est Tarruntenus. Alii Tarrutinus, Tarruntius, vel T. Arruntenus scribunt. Vid. Bertrand. *Vit. Iurisc. pag. 175.* et Salmas. *ad Lamprid. Commod. Cap. IV.* Tarentinum praeter Auctorem nostrum nemo, quod sciam, appellat.

26 *Vsquam alibi*] Multa ex his eiusmodi sunt, vt apud antiquos reperiri non possint. Vid. quae dixi *pag. 392. n. 5.* et *pag. 428. n. 18.*

27 *In necem*] *Si quis imposturam fecerit, vel collusionem in necem alterius, stellionatus poterit postulari, d. l. 3. §. 1. Stellionat.* Sic *l. 13. de Minorib. Non est aequum fideiussori in necem meam subueniri. l. 21. princ. de Pecul. si eum intricare peculium in necem creditorum passus est*, et aliis compluribus apud Brissonium, quae quidem omnes sunt Vlpiani, sic vt ei peculiare quodammodo hoc genus loquendi videri possit. An etiam alii scriptores ita loquantur, mihi non compertum est: nisi quod non omnino dissimili translatione hoc vocabulo vsum animaduerto Terentium *Phorm. II. 2. 13.*

Quot

432 Caeterum [28] *Pessum dare,* pro pedibus calcare et percutere, non est nouum, aut inusitatem, vt putauit Alciatus. Plautus *in Mercatore V. 2. 6.*

— Ita pessumas pessum dedi,
Iram, inimicitiam, lachrymas, moerorem, exilium.

Quo

Quot me censes homines iam deuerberasse vsque ad necem? id est, per fraudem, et calumniam bonis euertisse, ac spoliasse, eaque his extorsisse, vnde et *bonorum extortorem* vocat *scen. seq. v. 27.* Plautus, cuius locum adposite notauit Mer. Casaubonus. hoc *in Captiu. III. 5. 15.* dicit, *delacerare, deartuare, conficere aliquem, et rem ipsius fallaciis.* Hoc enim est occidere homines, quibus, vt ait poëta Graecus, χρήματα ψυχὴ τέλεται. Vnde et pecuniam sanguinem appellari e *Sermone* quodam Augustini notatum inueni: *Male serue, fidem mihi non seruas? Nescis, quia emi te? Nescis, quia sanguinem meum pro te numeraui?* Et: *Sanguinem tuum pecuniam tuam vocas? Tantum amas pecuniam tuam, vt eam appelles sanguinem tuum?* Sed et *iugulare, interimere,* et similia, saepe non mortem, sed graue aliquod damnum denotant: vt *iugulare, interimere iudicio,* Cicer. *pro Cluent. Cap. XXV.* et *pro P. Sulla Cap. XVIII. trucidare foenore,* Idem *pro Coel. Cap. XVIII.* et Liu. VI, 37. Similiter hoc Vlpiani *in Collat. LL. Mosaic. et Rom. Tit. VIII. Si quis coierit ad occisionem innocentium,* pro quo in Pandectis est *ad obligationem,* exponi posse in damnum, in praeiudicium, notat Ampl. Bynkersh. III. *Obseru 19.*

28 *Pessum dare*] Alciatus *in fin. Lib. IV. de V. S.* verba *in l. 43.* de quibus hic agitur, ita refert: *Bouem, qui cornu petit, vitiosum esse plerique dicunt: item mulas, quae pessum dant.* In qua locutione cum *pessum dare* noue dici ait, pro pedibus percutere, non accepit pedibus percutere pro calcare, sed pro calcitrare, calces remittere: quae vere noua esset huius vocabuli significatio. Haloander edidit, *quae cessim eunt:* Gothofred. e Florent. *quae cessum dant.* quae lectio nihil magnopere inusitatum habet, nisi quod *cessum* scribitur, pro *cessim. Mulae, quae cessim dant,* sunt quae retrograduntur. Iustin. II, 12. *At vos commisso praelio ite cessim, inhibete remis.* Alphenus *l. 52. §. 2. D. ad Leg. Aquil.*

Interim

Quo ſenſu Idem Plautus dixit *peſſum premere*, *in Moſtellaria V*. 2. 49 433

Quam non iſthunc ego pro ſuis factis peſſumis
Peſſum premam.

Et quo ex loco id repetit, nempe ex Paulo *in l. bouem.* 43. *in princ. de Aedil. Edict.* plaerique Codices habent non *peſſum dant*, ſed *ceſſum dant*, aut *ceſſim eunt*, quod magis probatur.

Rurſus [29] *ad proceſſus donare*, quod vſurpauit Licinius Rufinus *in l. nam et Imperator.* 41. 434
de

Interim ſuperius ploſtrum ceſſim ire coepit. Plaut. *Caſin. II.* 8. 7. *Receſſim cedam* (vel, quod magis probat Guilielm. e Feſto v. *nepa*, *receſſim me dabo*) *ad parietem, imitabor nepam.* Gloſſae: *Receſſim*, ἐπὶ πόδα. Nec *dare* hac ſignificatione inſolens eſt. Plaut. *Caſin. V.* 3. 16. *Hac dabo protinam, et fugiam.* Flor. I. 2. *Gradum retro dedit.* Graeci in *d. l.* 43. vertunt λακτιζούσας, calcitroſas. Sed *ceſſim ire* eſt ἀναχαιτίζειν: quod vitium equorum eſſe diſcimus e Polluce I. 11. 198. et 210. Add. Kuhn. *ad Polluc. IX.* 7. 102. Loca Plauti hic laudata in melioribus illius Edd. aliter leguntur, ac diſtinguuntur, nec multum ad rem propoſitam faciunt, cum in iis *peſſum dare*, et *peſſum premere* non propria, ſed tranſlata ſignificatione dicuntur.

29 *Ad proceſſus donare*] Alciatus *l. d.* interpretatur, vt donatarius eo vtatur in pompa, vel cum in Principis eſt comitatu. Auctoris noſtri interpretatio nititur *l.* 40. et *l.* 42. *D. eod.* Sed teſtimonia Ciceronis *ex Orat. pro Leg. Manil.* Suetonii, et *l.* 1. §. 24. *de Vi et vi arm.* huc non pertinent. Melius hoc illuſtrare potuiſſet e Plin. VIII. *Ep.* 6. *Ambitio ergo, et procedendi libido? ſed quis adeo demens, vt aut per ſuum, aut per publicum dedecus procedere vellet in ea ciuitate, in qua hic eſſet vſus potentiſſimae dignitatis, vt primus in Senatu laudare Pallantem poſſet?* et loco Senecae *in Prooem. II. Controuerſ.* laudato a Raeuardo II. *Coniect.* 9. aliisque ex eodem, *de Tranq. anim. Cap. II.* et *Conſol. ad Polyb. Cap. XXVIII.* Raeuardus *l. d.* in eamdem ſententiam haec verba *l. d.* 41. exponit. Sed quod addit, in ea *ad proceſſus viri* etiam illa donari dici, quae ad valetudinis proceſſus vxor
voro

de Donationib. inter vir. et vxor. his verbis: *Imperator Antoninus constituit, vt ad processus viri vxor ei donare possit:* neque nouum est, aut inusitatum (vt Idem credidit Alciatus) et satis ex superiore responso intelligitur idem esse, quod *dignitatis adipiscendae gratia* donare. Nam et *processus* pro progressu plaerumque vsurpatur.
435 Cicero *pro Leg. Manilia Cap. IX. Vt ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus, quam processus longior quaereretur.* Sueton. *de Clar. Grammaticis Cap. X.* Philologus *scripsit, se in Graecis literis magnum processum habere.* Et

voto suscepto donat mariti nomine, id non possum probare. Nam donum, quod vxor eo nomine dat Diis, ad donationem inter virum et vxorem non pertinet, nec viro donatur, cui ad processus donari posse ait Iurisconsultus, et Antoninum Imp. non de alia donatione, quam quae fit ad honores, sensisse satis apparet e *l. 42. eod.* Cuiacius *ad Nou. CV. processus in d. l. 41.* accipit, vt πρόοδους Iustinianus *in d. Nou.* processus scilicet Consulum, qui certis quibusdam diebus in publicum cum magna pompa prodibant: hoc enim proprie *processus*, et *procedere* dicebatur. Vid. Lamprid. *Heliogab. Cap. XIV. l. 2. et l. 4. Cod. de Consulib.* Hi autem processus erant sumtuosissimi, ob spectacula, et largitiones quae in populum fiebant, vt constat e *l. 2. et 4. C. d. tit.* Lamprid. *Heliogab. Cap. VIII.* et Vopisc. *Aurelian. Cap. XIII. et XV.* Conf. Baluz. *ad Auctorem de Mortib. Persec. Cap. XVII.* Vnde etiam Martialis X. *Ep. 41.* quem locum adscripserat Ampl. Bynkersh. Proculeiam a marito Praetore initio mensis Ianuarii diuertisse scribit, ne ei ad sumtus ludorum, ac sacrorum donare cogeretur. Mihi sententia horum verborum *ad processus donare in d. l. 41.* exponi videtur *in leg. seq.* Nam quod *in l. 41.* Licinius ab Antonino constitutum scribit, *vt ad processus viri vxor ei donare possit*, id Gaius *l. 42.* dicit, Antonini indulgentia receptam esse donationem *honoris causa: vt si vxor viro laticlauii petendi gratia donet, vel vt equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* De eadem enim Constitutione Antonini vtrumque agere, nisi aliud ostendatur, dubitare non possum.

Et quia qui Magiſtratum inibant, ſolenni die in publicum procedebant inſignibus magiſtratus ornati, *proceſſus honorum* dictus eſt, pro progreſſu, et auctu. Cicero *de Claris Oratorib. Cap. XLVIII. Is proceſſiſſet honoribus longius, niſi ſemper infirma atque etiam aegra valetudine fuiſſet.* Hinc etiam *procedere* dicebantur Imperatores, cum ſalutandi in publicum progrediebantur, vt *in l. 1. C. de Sentent. paſſ. et reſtitut.* Vſurpatur et in Conſulibus *l. 2. et 4. Cod. de Conſulib. lib. 12.* et *de domo procedere* dixit Vlpianus *in l. 1. §. ſiue autem. 24. de Vi et vi armat.* Vnde et *proceſſionem* verbale nomen finxerunt, quo vtitur Zeno *in d. l. 4. C. de Conſulib.* quod in noſtram linguam tranſtulimus, et ſupplicationibus tribuimus.

ARTIS VOCABVLA A NOSTRIS CONSVLTIS VSVRPATA, NON ALIIS AVTHORIBVS. 436

Sunt et alia quaedam in Pandectis vocabula, apud alios authores inuſitata, quae tamen, quia Iureconſultorum propria, vel artis docendae gratia inuenta dici poſſunt, viſum eſt ab aliis ſeparare.

EK

ΕΚ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ.

[1] *Detentatio*, pro detentione nuda et ſimplici poſſeſſione, quae factum tantum detinendi, non ius aliquod poſſidendi reſpicit, *l. ab hoſtibus. 15. §. vlt. Ex quib. cauſ. maior.*

[2] *Exhibere*, pro alere et educare, *l. 1. §. 2.*
437 *de Offic. Praef. Vrb. l. 1. §. ſi pupillis. 6. de Tutel. et rationib. diſtrah. l. 5. de Liber. agnoſc. l. vlt. de In rem verſo.*

1 *Detentatio*] Cuiacius *ad l. 115. de V. S.* notat in Gloſſis Vet. eſſe: *Detentatio*, *διακατοχή*. Non ſcio, quas Gloſſas dicat: nam in his, quas Labbaeus edidit, legitur: *Detencio*, *κατοχὴ, ἡ διὰ χειρός*. In iisdem ſunt *detento*, et *retento*, *detentator*, et *retentator*. *Retentare* etiam Plautus dixit *Aſinar. III. 3. 1. Obtentare* Cicer. IX. *ad Attic. 10.* Sed ab his quoque verbalia, etſi analogia non obſtat, quo minus fieri potuiſſent, non inuenio. In *d. l. 15. §. 3. Ex quib. cauſ. mai.* in aliis eſſe *detentio* notat Gothofr.

2 *Exhibere*] Non ſoli Iuriſconſulti exhibere hac ſignificatione dicunt. Iuſtin. IX. 2. *Quae non patrimoniis ditet Scythas, ſed vix alimentis exhibeat.* Idem XI. 10. *miſere vitam exhibentem.* Et Auctor *de Mortib. Perſec. Cap. VII et XI.* vbi haec loca Iuſtini notauit Clar. Graeuius. Add. Vorſt. *ad Iuſtin. IX. 2.*

EX TERTIA PARTE DIGESTORVM.

[1] *Auerſione vendere*, vel *emere*, id eſt, ſemel, in vniuerſum, non per partes, aut ad menſuram, *l. 4.*

1 *Auerſione vendere*] Hoc Alciatus *in fin. Lib. IV. de Verb. ſignif.* inter ea, quae rara quidem, ſed tamen ab aliis quoque Auctoribus vſurpata ſunt, recenſet, nec tamen vllius alterius ſcriptoris teſtimonium profert. Alii ſe id nusquam alibi, quam apud Iureconſultos, inueniſſe tradunt. Vid. quae de eo ſcripſerunt Anton. Auguſtin. III. *Emend. 6.* Cuiac. *ad*

l. 4. §. 1. et 2. de Peric. et comm. rei vend. l. qui officii. 62. in fin. de Contrah. empt. Sic et *auersione locare*, vel *conducere l. 1. §. exercitorem. 15. de Exercitor. act. l. vlt. in fin. ad Leg. Rhod. de iact. l. opus. 36. Locati.*

ad §. 3. Instit. de Emt. et Vendit. et VIII. Obseru. 15. Raevard. II. *Var.* 7. et Turneb. XXX. *Aduers.* 27. Schortus V. *Obseru.* 33. etiam Quintiliano vindicare conatur. Nam *Declam. CCLII.* in his verbis: *Nemo est tam arrogans sui aestimator, vt accersitus ad comitia, et periculum sortiturus humanitatis, non malit sine aduersario esse*, pro *sine aduersario esse*, reponi vult *sine auersione esse*, id est, quantum illius sententiam intelligo, sine periculo: qui enim *auersione emit*, auertit, vt ait, a venditore periculum, idque in se recipit. Verum haec emendatio sola coniectura nititur, et sine vlla necessitate fit, cum in vulgata lectione satis commoda sit sententia. Grotius *in Flor. Spars. ad Tit. D. de In diem addict.* scribit, *auertere* etiam esse emere, teste Schol. Horatii *ad II. Sat. 4. 37. cara pisces auertere menso.* Sed hoc quoque aliter accipiendum docuit Gronou. IV. *Obseru. 5. et 22.*

EX QVARTA PARTE. 438

[1] *Adfirmatores*, qui idoneos tutores affirmant, nos *certificatores* vocamus, *l. 4. in fin. de Fideiussorib. tutor.*

Simpla-

1 *Adfirmatores, qui idoneos tutores*] *Eadem causa est adfirmatorum: qui scilicet cum idoneos esse tutores adfirmauerint, fideiussorum vicem sustinent, d. l. 4.* Sed et alii ita dicuntur. *l. 13. D. de Minorib.* Mandator *enim velut adfirmator fuit, et suasor, vt cum minore contraheretur.* Minuc. Felix *Octau. Cap. XXXI. Non vt affirmator testimonium fecit, sed conuicium, vt Orator adspersit.* Tertullian. IV. *adu. Marc. 7. Vt Romulus quidem ascensus sui in coelum habuerit Proculum affirmatorem.* Vnde intelligitur *adfirmatorem* dici, non qui simpliciter adfirmat, et neganti opponitur, sed qui cum adseueratione quadam, puta, vel fide sua, vel iureiurando interposito

Simplariae venditiones, [2] in quibus de dupla caueri nil erat necesse, *l. si tamen.* 48. §. 8. *de Aedil. Edict.*

posito adfirmat. Cicero *confirmatorem* vocat *pro Cluent. Cap. XXVI. Sequester, et confirmator pecuniae desiderabatur.* Et Iulianus Antecessor *confirmatorem venditionis*, qui spondet pro venditore euictionis nomine. Vid. Cuiac. *ad Nou. IV.* Salmas. *de Mod. Vsur. Cap. XVI. pag.* 728.

2 *In quibus de dupla*] Ita Budaeus *ad h. l.* et Brisson. *de V. S.* Racuardus *ad l.* 145. *de R. I.* et I. *Coniect.* 12. res esculentas, et poculentas *simplarias* vocari existimat, auctoritate Fulgentii, qui *in Expos. serm. antiq.* conuiuas *simpolones*, et amicum sponsi, qui cum eo per conuiuia ambulat, *simpulatorem* dici tradit. sed hanc expositionem merito reiecit Brissonius. *Simplarius* autem dicitur pro *simplaris*, vt *peculiarius*, et *peculiaris*, et alia eiusdem formae, de quibus supr. *pag.* 372. *n.* 8. *Simplaris* porro est apud Veget. II. *de Re milit.* 7. et forte in Inscriptione apud Sponium *Miscell. Sect. VII. pag.* 262. MILIT. ARMAT. SIMPLAR. Haloand. *in d. l.* 48. *§.* 8. legit, *singularium venditionum causa*, *v.* Gothofr.

EX QVINTA PARTE.

439 [1] *Testamentarius*, pro seruo, aut notario, aut alio quouis ad testamentum scribendum adhibito, *in l. quoties.* 9. §. *sed si.* 3. et §. *idem tractat.* 6. *de Haered. instit.*

Capta-

1 *Testamentarius*] Hunc vsum vocabuli *testamentarius* peculiarem esse Iurisconsultis arbitror. Cicero *pro P. Sextio Cap. XVII* et *III. Offic.* 18. *testamentarium* vocat eum, qui testamentum falsum scripserit, signauerit, vel quocumque modo dolo malo circa testamentum versatus fuerit. Glossae Vet. vtramque significationem adferunt: *Testamentarius*, διαθηκογράφος, σκευωρός.

2 *Capta-*

[2] *Captatoriae inſtitutiones*, quas definit Papinianus *in l. captatorias. 70. de Haered. inſtit.* eas eſſe, quae conferuntur ad ſecretum alienae voluntatis: a *captando*, quod iis alienae haereditates, quaſi hamis captarentur.

[3] *Inſinuare*, pro notum alicui facere, tanquam in ſinu deponere, Vlpianus *in l. fideicommiſſa. 11. §. ſi ita quis. 2. de Legat. 3.* Hinc *in-*
ſinuationes donationum et aliorum contractuum ab 440
Impp. Leone, Zenone, Anaſtaſio, et Iuſtiniano ſancitae. Nam actis inſinuantur, id eſt, publicantur, innoteſcunt, notae fiunt apud acta vel Magiſtrum cenſus *l. 30. 31. 32.* et *36. Cod. de Donationib.*

[4] *Edictalis*, vel *decretalis bonorum poſſeſſio* dicebatur, quae vel ex Edicto Praetoris, vel ex decreto dabatur *l. 1. §. decretalis. 7. de Succeſſor. Edict.* gl. *in l. 3. §. a municipibus. 4.* in verbo *Praetoris. de Bonor. poſſeſſionib.*

2 *Captatoriae*] *Captatoriae inſtitutiones* quidem fortaſſis apud ſolos Iuriſconſultos leguntur: ſed nihil obſtat, quo minus etiam vulgo a *captatum*, *captator*, *captatorius* potuerit dici, vt ab *amatum*, *amator*, *amatorius*, et ſimilia. De *captatoriis inſtitutionibus* vid. Ant. Auguſtin. IV. *Emend. 15.* Cuiac. XVI. *Obſeru. 11.* et *ad §. 4. Inſtit. de Societat.* Briſſon. *in Lexico.*

3 *Inſinuare*] Recentiores ſcriptores Latinos hoc verbo eadem ſignificatione frequenter vti, monuit Clar. Perizonius *in Diſſert. de Dict. Cret. §. 38.* Vid. exempla apud Solin. *Ep. II. praemiſſa Polyhiſtori.* Dict. Cret. II. 9. Dar. Phryg. *Cap. XVIII.* Spartian. *Hadr. Cap. XXV.* Add. Salmaſ. *ad Capitolin. Ver. Cap. I.*

4 *Edictalis, decretalis*] Haec, et pauca alia ex iis, quae infra recenſentur, vt *depoſitarius*, *commodatarius*, etc. vocabula artis ſunt.

EX SEXTA PARTE.

[1] *Orcinus libertus*, qui directam libertatem consequutus est, quasi Orci ipsius, vel eius qui apud Orcum est, libertus *l.* 4. §. *12. de Fideic. libertat. l. qui ob necem.* 5. *Qui sine manumiss. ad*
441 *libert. peru. l.* 3 §. 3. *de Legitim. tutor. l. dominus.* 22. *princ. de Pecul. legat.*

[2] *Dos receptitia* dicitur, quam quis in mortem mulieris a marito stipulatur *l. mortis caussa.* 31. §. *sine donatione.* 2 *de Donation. causs. mort.*

[3] *Inuentarium*, ab *inueniendo l.* 1. §. 26. *de Ventr. in possess. mitt. l.* 1. *de Curat. bonis dando.*

Idem

1 *Orcinus libertus*] Hoc a Iurisconsultis excogitatum fuisse facile credi potest. *Orcinus* tamen in vulgato vsu fuisse scimus ex illo Naeuii apud Gellium I. 24. *Postquam est Orcino traditus thesauro. Orcinorum Senatorum* appellatio apud Sueton. *Aug. Cap. XXXV.* sumta est ab *Orcinis libertis* Iurisconsultorum, de quibus vid. Interpretes ad §. 2. *Institut. de Singul. reb. per fideic. rel.* Cuiac. III. *Obs.* 23. et Erythr. *Ind. Virgil. v. Orcus.*

2 *Dos receptitia*] In Vlpiani *Fragm. Tit. VI.* paullo plenius exponitur, quae *receptitiae dotes* dicerentur. Add. Schol. Persii *in II. Satyr. v.* 14. Alia significatione *receptitia* dicebantur, quae mulier dotem marito adferens sibi recipiebat, id est, excipiebat: Vid. Gell. *Lib. XVII. N. A. cap.* 6. Bud. *ad l.* 5. *D. Commun. praedior.*

3 *Inuentarium*] Vlpianus *l.* 7. *princ. D. de Admin. et peric. tutor. Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inuentarium appellatur.* Vossius III. *de Vit. Serm.* 16. hinc liquere putac, hoc vocabulum nondum tum receptum fuisse ab eruditis: nec tamen auersaturum se ait, cum iam Vlpiani aetas eo vsa fuerit. Verum etiam ante Vlpianum id in vsu fuisse, constat e *l.* 57. *pr. D. eod.* quae Scaeuolae est, quem sub Antonino Philosopho floruisse tradit Capitolinus *in Vit. Anton. Philos. Cap. XI. Repertorium* quoque fortassis apud antiquiores non inuenitur, etsi sunt, qui ita magis Latine dici arbitrentur, quam *inuentarium.* At H. Steph.

de

Idem quod *repertorium*, a *reperiendo*. Vtroque significatur breuis quaedam descriptio mobilium et nominum, quae in bonis vel haereditate ali- 442 cuius inueniuntur, vel reperiuntur. Caeterum instrumentorum ἀναγραφὴ et *quasi inuentarium* vocatur ab Vlpiano *in l. cum plures. 15. de Reb. author. iud. possid.*

[4] *Interuentores*, pro intercessores Vlpiano dicti *in l. licet famosae. 7. §. vlt. de Obseq. a libert. et liber.* Durum et inusitatum, aut recte artis ipsius vocabulum.

de Latin. fals. susp. pag. 69. existimat Ciceronem, si ei alterutro horum vtendum fuisset, non minus hoc, quam illo fuisse vsurum. In Gloss. Labbaei Graec. Lat. legitur; Ιναγαφε, *inuentarium*, et in Lat. Gr. *Inuentarium, inagafe.* Credo vtroque loco legendum esse ἀναγραφή: ita enim Graeci huiusmodi indices vocant, et Vlpianus *d. l. 15. de Reb. auctor. iud. possid.* diserte *instrumentorum inuentarium* ἀναγραφὴν dicit. *In l. 1. de Curat. bon. dand.* neutrum horum vocabulorum legitur.

4 *Interuentores*] *Interuentor*, et *interuenire*, vt ait Brissonius, dicitur; qui alienam obligationem in se suscipit, qui ei accedit promittendo, fideiubendo, vel nouandi animo eam in se transfert. Sic *l. 3. §. 9. D. de Pecul. Sed si filius fideiussor, vel quasi interuentor acceptus sit.* et *l. 7. §. 3. de Minorib. Non solum autem in his ei succurritur, sed etiam in interuentionibus: vtputa si fideiussorio nomine se, vel rem suam obligauit.* Alia significatione Cicero *de Fato Cap. I. Magis vacuo ab interuentoribus die*, id est, interpellatoribus. Et rursus alia, sed propius ad Iurisconsultorum sermonem accedente, Lamprid. *Commod. Cap. IV. Interuentorem, ne coniuratio latius puniretur*, id est, μεσίτην, deprecatorem, vt Casaubon. Et Paulinus *Nat. VIII. Felicis v. 161. Tunc velut Ezechiae fuit interuentor Esaias.* Pro *recte*, quod apud Auctorem legitur, Ampl. Bynkersh. adscripserat *certe.* Et ita sententia postulat. Titulus e quo hic laudatur *l. 7.* in Edd Gothofr. in! haec verba concipitur: De *obsequiis parentibus et patronis praestandis.*

EX SEPTIMA PARTE.

[1] *Apocha*, quam *quittansam* vocamus, con-
443 fessio de recepto, exsoluti debiti agnitio, acceptilatio, scripto comprehensa *l. si accepto. 19. §. 1. de Acceptilat. l. vlt. §. Titius. 2. de Condict. indeb. l. qui tabulas. 27. §. 2. de Furt.* Cui respondens verbum *antapocham* finxit Iustinianus *in l. plures apochis. 19. Cod. de Fide Instrument.*

[2] *Casum*, pro specie facti, θεματίῳ, frequenter vsurpant nostri. Vlpianus *in l. si solu-*

1 *Apocha*] Iurisconsulti Graeca voce vtuntur, quia, auctore Brissonio, non suppetit Latina, qua ea res exprimatur. In Codice *professionem pecuniae solutae*, et *securitatem*, et *chirographum securitatis* dici ostendit Idem. *Antapocha* est, quam reddit, qui apocham accepit. quod instituit Iustinianus *d. l. 19. Cod. de Fid. Instrum.*

2 *Casum*] *Ille casus in difficili est, d. l. 29. §. 15. de Liber. et posth. Talis casus a D. Pio terminatus est, l. 16. §. 17. ad Senatusc. Trebell.* et alibi saepissime. Quintilianum, et Plinium hac significatione dicere *speciem* obseruat Budaeus *in Comment. Ling. Gr.* quo loco de voce ὑπόθεσις agit. Sed Iurisconsulti quoque non minus *speciem* dicunt, quam *casum*: vt *in l. 39. D. de Solutionib.* (quae Africani est e *lib. 8. Quaestionum*, non Vlpiani, vt hic dicitur) *In qua specie non vtique semper tuum periculum erit*, et aliis quas vid. apud Brisson. Iulianus *in l. 12. de Legib. non casus* vocat, sed *articulos*: *Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi*: at *casus* Idem in *l. 10. eod. Neque leges, neque senatusconsulta ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur.* Verum *casum incidere* etiam Cicero, et alii optimi linguae Latinae auctores dixerunt, et Iurisconsulti voce *casus* saepe eadem ratione vtuntur, qua alii scriptores. Apud Scaeuolam certe *in l. 29. §. 15. de Lib. et posth. casus difficilis* non aliter dicitur, quam apud Gellium I. 3. *casus anceps*, quod aut amicus capitis damnandus, aut fraus legi facienda erat. Quod autem in Pandectis frequenter legimus, *in his casibus, in omnibus huiusmodi casibus*, et quae sunt similia, vid. *l. 57 de Legib.*

soluturus. 39. de Solutionib. et *l. non possunt. 12.* 444
de Legib. Scaeuola *in l. Gallus. 29. §. ille casus. 15. de Liber. et posthum.* a *cadendo.* Nempe quod ita ceciderit, res ita acciderit, euenerit.

[3] *Archiuum*, vel *archeium*, et *Grammatophylacium*, pro loco, vbi antiqua documenta

 tabulis,

Legib. l. 17. §. vlt. de Adoption. l. 19. de Iurisdict. ne hoc quidem Iurisconsultis peculiare esse existimo. Celsus VI. 6. 1. *In eiusmodi casu prima omnium sunt quies et abstinentia.* Columell. VII. 5. *Si aegrotat vniuersum pecus in hoc casu, quod est remedium praesentissimum, pabula mutemus.* Et *sub hoc casu* Virgil. IV. *Aen. 560. Nate Dea, potes hoc sub casu ducere somnos?* Et Celsus VIII. 7. *Si maxilla transuersa fracta est, sub quo casu fere dens super proximum dentem excidit.* H. Stephanus quidem *pag. 250.* de Latin. fals. susp. citans *l. d.* Columellae ait, hoc eo differre a sermone Iurisconsultorum, quod ibi *casus* propria significatione sumatur, videlicet pro calamitate, fortuna aduersa. Sed nec Vorstius *Cap. III. de Latin. fals. susp.* ei concedit, hanc esse propriam vocis *casus* significationem, nec, vt mihi videtur, vlla ratio est, cur, cum Latini *casum*, et *casum incidere*, de multis aliis rebus dicant, phrasibus *in hoc casu*, et *in his casibus*, tantum de casu aduerso vti liceat: etsi videndum est, vtrum Iurisconsulti, cum ita loquuntur, *casum* suo more accipiant pro θεματίῳ, seu specie, an pro quacumque re, quae incidit. Illa tamen, quae nunc vulgo vsurpantur, *ponere casum legis*, et *casus positionem*, Latine dici non arbitror.

3 *Archiuum*] *Ne eo loci sedeant, quo in publico instrumenta deponantur, archio forte, vel grammatophylacio, d. l. 9. §. 6. de Poen.* Notat ibi Gothofr. in Vulg. esse *archiuum*, et apud Tertullianum: sed recte dici *archium*. Verum vtrumque sine discrimine dici, vt *odeum*, et *odiuum*; *museum*, et *musiuum*; *dium*, et *diuum*, ostendit Salmas. *ad Trebell. Poll. Totric. Iun.* et Vossius *ad Melam III. 3. 95.* In archiuis autem non tantum antiqua documenta, quod dicit Auctor noster, verum omnis generis instrumenta, publica, priuata, antiqua, noua, reponebantur. Vid. Paulum Iurisc. III. *Sentent. 6. 1.* et de *archiuis* quaedam apud Bud. *ad d. l. 9. §. 6.* et Raeuard. I. *Coniect. 3.* Ceterum haec quoque, quae hic adnotantur, inter Graeca locum habere potuerant, de quibus actum est *pag. 404.*

tabulis, literisque consignata reseruantur *l. moris. 9. §. 6. de Poenis.*

[4] *Libelli dimissorii*, qui et *apostoli* vocantur,
445 de quibus *Titulus* est *6. Lib. 49. Digestorum.* Eaedem et *literae dimissoriae* vocantur *in l. vn. illius Tituli.*

Commentariensis, custodiarum praefectus, qui vinctorum nomina [5] in commentarium redigit. *l. pen. de Bon. damn.* et *l. 4. Cod. de Custod. et exhib. reorum.*

[6] *Alimentarius*, cui alimenta debentur: *deposi-*

4 *Libelli dimissorii*] Qui post appellationem interpositam dantur ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, *d. l. vn.* a *dimittendo l. 106. de V. S.* vbi de his agit Cuiac. et XXIV. *Obseru. 29.* add. Menag. *Cap. XXXIX. Amoen. Iur.* Et ipsa res autem ad Ius pertinet, et phrasis Iurisconsultorum est. Scip. Gentilis *Libro singul. Origin.* scribit vocem *Apostoli* etiam apud Liuium legi: de quo valde dubito. *Dimissoria*, ἀπολυτικὴ est in Gloss. Cyr.

5 *In commentarium*] Vnde et nomen ei fuit. Bud. *ad. l. 32. D. Ex quib. caus. maior. In l. 5. Cod. de Custod. reor.* commentariensis semper intra trigesimum diem iubetur referre *numerum personarum*, *varietatem delictorum*, *clausorum ordines*, *aetatemque vinctorum.* Itaque totam rationem carceris confecisse videtur, quae quanta diligentia apud Romanos confici fuerit solita, intelligi potest e Cicer. V. *Verr. 57.* Asconius *in I. Verrin. 28.* aliam huius vocis significationem videtur ingerere, cum scribit: *Accensus nomen est ordinis et promotionis in militia, vt nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius, haec enim nomina de legionaria militia sumpta sunt.* *Titulus Cod.* e quo hic adfertur *l. 4.* in Gothofr. Edd. scribitur *de Custodia reorum.*

6 *Alimentarius, cui alimenta debentur*] *l. 8. §. 9. D. de Transaction.* Hoc nec Iurisconsultorum proprium, nec artis illorum vocabulum est. *Alimentarii pueri*, et *puellae* memorantur a Capitolin. *in Vit. Anton. Pii Cap. VIII.* et in Inscriptionibus, quibus alendis, et erudiendis certae pecuniae vel

[7] *depositarius*, penes quem res deposita est: 446
commodatarius, cui res est commodata: *donatarius*, cui donatum est: *mandatarius*, qui mandatum suscepit: *legatarius*, cui legatum relictum est: [8] *conditionaliter*, pro sub conditione, et

similia,

vel ab Imperatoribus, vel a priuatis datae constitutaeque erant. Vid. Phil. Ruben. II. *Elect.* 36. Reinef. *ad VI. Inscript.* 24. *Lex alimentaria* est apud Coelium ad Ciceronem VIII. *fam. ep.* 6. id est, frumentaria, de frumento plebi diuidendo, vt ibi Manut. et Lips. I. *Elect.* 8. exponunt.

7 *Depositarius*] Hoc, et quae sequuntur eiusdem formae, ad technica Iurisconsultorum referri possunt.

8 *Conditionaliter*] Vossius *Lib. VI. de Vit. Sermon. cap.* 31. hoc inter ea ponit, quae classicis scriptoribus ignota sunt, et recte ab eo improbatum existimat *pag.* 27. *Cogitat. de Ling. Lat.* Borrichius. Idem tamen *in Analect. pag.* 61. non ferre potest Cellarium, *conditionaliter* ad classem eorum, quae nullius, aut obscurae auctoritatis sunt, reiicientem, et immemorem fuisse ait *in §. 31. Instit. de Legat.* dici: *Sed si conditionaliter enuntiata fuerit causa, aliud iuris est.* Equidem nunc non aliam, quam tertiam Editionem Antibarbari Cellariani ad manum habeo, atque adeo scire non possum, quid in anterioribus scriptum fuerit. Sed in ea, quam dixi, quae prodiit A. 1695. multis annis post emissum librum Borrichii, Cellarius eum ipsum locum Institutionum laudauit, nec ideo vocem sibi alibi non lectam ad aliam classem transscribendam putauit. In quo vel ipso Borrichio iudice defenditur, qui cum *Anal. pag.* 5. quidquid ab A. C. 410. et Roma ab Alarico capta, verborum Latinorum noue confictum est, barbarismi vitio laborare censeat, ne non cohaerentia loqui videretur, testimonio antiquiorum scriptorum, quam sunt ii, qui Institutiones Iuris composuerunt, aduersus Cellarium pugnare debuerat. Hoc autem suppeditare potuerant Pandectae, in quibus *l.* 17. *§.* 3 *de Condition. et demonstr.* e Gaii, qui sub Hadriano, quadringentis ante Iustinianum annis floruit, *libro* 2. *de Legatis ad Edictum Praetoris* haec referuntur: *At si conditionaliter concepta sit causa*, et quae seqq. quae iisdem paene verbis in Institution. *l. d.* leguntur. An etiam aliis locis Pandectarum ita loquantur Iurisconsulti non compertum habeo: sed sub Titulis *de Conditionibus institutionum; de Conditionibus et demonstrationibus;*

447 ſimilia, frequentius occurrunt, quam vt mereantur adnotari.

Haec autem et ſuperiora non ideo a me ſunt annotata, quod ea minus Latina putarem. Nam et plaeraque eorum bene Latina videntur, licet ab aliis, qui Latine ſcripſerunt, illo felici ſeculo non vſurpentur. Et quamuis ante Conſultorum noſtrorum aetatem in linguae Latinae conſuetudinem recepta non eſſent, tamen poſtquam ab illis vſurpata ſunt, Latinitate [9] quaſi ciuitate donata videri poſſent. Quis enim non id

nibus; et de Verborum obligationibus, vbi ſingulis fere capitibus de conditionibus inſtitutionum, legatorum, aut ſtipulationum agitur, nusquam, niſi *in d. l. 17.* legi hanc vocem certo ſcio.

9 *Quaſi ciuitate donata*] Hoc vero Caeſari quidem concedebat M. Pomponius Marcellus, Grammaticus, de quo Sueton. *de Illuſtr. Grammat. Cap. XXII. Hic idem cum ex Oratione Tiberium reprehendiſſet, affirmante Atteio Capitone, et eſſe illud Latinum, et, ſi non eſſet, futurum certe iam inde: mentitur, inquit, Capito. Tu enim, Caeſar, ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes.* Ac ne ipſum quidem Tiberium exiſtimaſſe ſibi hoc licere, intelligimus e Dione, qui *Lib. LVII. pag. 613.* eamdem rem referens narrat, Tiberium in Edicto quodam voce non Latina vſum, cum id ei noctu in mentem veniſſet, omnes harum rerum peritos arceſſiuiſſe, et Marcelli libertatem aequo animo tuliſſe. Nec facile Auctor ſententiam ſuam probauerit Scioppio, qui etiam Papae Romano hanc poteſtatem abrogat *Infam. Fam. pag. 2.* Sigiſmundus tamen Imperator, quod alicubi me legere memini, cum in Concilio Conſtantienſi hortatus Patres, *darent operam vt perniciosam*] *ſchiſmam* (trium, opinor, qui eodem tempore Papae nomen obtinebant, concertationibus Eccleſia in ſtudia partium diuiſa) *tollerent*, a quodam reprehenderetur, qui *ſchiſma* neutrius generis eſſe Grammatico, neſcio quo, auctore diceret, ſuam in ea re maiorem, quam Grammatici auctoritatem eſſe debere cenſebat. Idque etiam Hadriano apud Spartian. *Hadrian. Cap. XV.* prudenter largiebatur

id iis permittat, primariis viris, et in consilium 448 Principis aduocatis: quod vulgo et vili plebeculae semper fuisse permissum videmus? maxime cum ex vsu communi loquutos eos sit verosimile. Quis non iis Ius ciuitatis donare verbis concedat, qui rebus ipsis dare potuerunt, cum eorum Responsa pro Iure haberentur? Verum haec et similia Grammaticis relinquamus, qui nimium vereor, ne nobiscum Interdicto contendant, quod in eorum possessionem sumus ingressi, nosque ad ipsius Iuris, id est, aequi bonique scientiam, breui hac lucubratione intermissam, referamus.

batur Fauorinus, qui cum Imperatori verbum quoddam illius, quod tamen idonei auctores vsurparant, reprehendenti cessisset, arguentibus amicis respondit: *Non recte suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet XXX. Legiones.*

[1] REPETITA VERBIS IISDEM IN DIGESTIS.

ΕΚ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ.

Vlpianus *lib. 39. ad Edictum: Praeses provinciae maius imperium in ea prouincia habet omni-*

1 *Repetita*] Horum pleraque iam ante congesta erant ab Anton. Augustino *Lib. I. Emendat. cap.* 7. quo loco et quaedam consulto plus semel in Pandectis scripta ostendit *l. 2. §. 14. Cod. de Veter. Iur. enucl.* et quae ex ea re vtilitas in interpretandis, et emendandis quibusdam capitibus capi possit, docet. Habet etiam nonnulla huc pertinentia Labittus *de Vsu Indicis Legum, quae sunt in Pandectis, pag. 310.* et *seqq.* Mihi hic, praeter varietatem Inscriptionum quarumdam

449 *omnibus post Principem, l. 4. de Offic. Praesid.* Id iisdem prorsus verbis, et ex eodem Vlpiani libro repetitur *in l. et ideo. 8. de Offic. Procons.*

Sed et *l. vlt. de Offic. Praetor.* et *l. Praeses. 5. de Offic. Praesid.* primo tantum verbo immutato descriptae sunt ex Vlpiani *libro de Omnibus Tribunalibus.*

Decretum D. Marci de eo qui vim infert, et per vim rem suam repetit, positum *in l. extat. 13. D. de Eo quod met. caus.* repetitur iisdem omnino verbis *in l. penult. ad Leg. Iul. de vi priuat.*

L. destitisse. 21. de Minorib. vig. quinq. ann. et *l. destitisse. 10. de Iudic.* ex eodem Vlpiani *libro 10. ad Edictum* desumptae sunt, et iisdem verbis descriptae.

L. filiam 9. de Senatorib. repetita est verbis iisdem, et ex eodem Papiniani *libro 4. Responsorum, in l. generali 34. §. vlt. de Ritu nuptiar.*

450 Regula *quod contra. 141. de Reg. Iur.* repetita est ex *l quod vero. 14. de Legib.* et quidem ex eodem Pauli *libro 54. ad Edictum.*

Sed et Regula 207. *Res iudicata pro veritate habetur,* repetitur ex *l. ingenuum. 25. de Statu homin.*

dam legum, quae apud Labittum, in Edd. Gothofr. et apud Ant. Augustinum maximam partem diuersae sunt ab iis, quae hic leguntur, nihil adnotare visum fuit. Etsi autem pleraque in quibus Auctoris nostri scriptura variat, eiusmodi sunt, vt notae numerorum magis a typopraphis vitiatae, quam ab ipso ita scriptae videri possint, praesertim iis locis, vbi Iurisconsultis quibusdam plures libros, quam ab his scripti sunt, tribuit; tamen omnia, ita vti edita erant, relinquenda censui: quod nesciebam, an, quemadmodum saepissime in Verbis legum, ita etiam in Inscriptionibus earum referendis, alios Codices, quam Florentinum, secutus fuisset.

homin. et ex eodem Vlpiani *libro 1. ad Legem Iuliam et Papiam.*

Seruorum idem ἔτυμον ponitur *in l. libertas. 4. §. 2. de Stat. homin.* et *in l. pupillus. 239. §. 1. de Verb. signif.*

Theophrasti dictum: τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, reperitur et *in l. 6. de Legib.* et *in l. 3. in fin. Si pars haered. pet.* ex eodem Pauli *lib. 17. ad Plautium.*

Cenotaphium non esse religiosum ex Rescripto Diuorum Fratrum testatur Vlpianus *lib. 25. ad Edictum, in l. sed Diui. 7. de Rer. diuision.* et *in l. vel quod. 6. in fin. de Religios. et sumpt. funer.*

L. diem functo. 4. de Offic. Adsessor repetitur *in l. sed addes. 19. §. vlt. Locati.* Quo loco Vlpianus eundem Papinianum *lib. 4. Responsorum* authorem citat.

Praeuaricatoris definitio et etymon repetitur ex eodem Vlpiano *lib. 6. ad Edictum in l. 4. §. 4. de His qui not. infam.* et *in l. 1 de Praeuaricat.* et *l. praeuaricatores. 212. de Verbor. signif.*

Celsi *libro 1. Digestorum* sententia posita *in*
l. auus. 33. de Pact. repetitur ex Pomponio *libro* 451
26. ad Sabinum in l. auus. 10. de Pact. dotalib.

Satisdationis, sicut et satisfactionis, idem prorsus ἔτυμον repetitur et ex Caio *libro 5. ad Edictum prouinciale in l. 1. Qui satisdar. cog.* et ex Pomponio *lib. 26. ad Sabinum in l. stipulationum. 5. §. satis autem accipere. de Verbor. oblig.*

EX SECVNDA PARTE DIGESTORVM, DE IVDICIIS.

L. caecus. 6. de Iudic. repetita eſt ex *l. 1. §. ſecundo. 5. de Poſtuland.* Et eſt ex eodem Vlpiani *libro 6. ad Edictum* iisdem verbis truncata.

L. in tribus. 13. de Iudic. eisdem prorſus verbis repetita eſt *in l. 2. §. vlt. Comm. diuid.* ex eodem *libro. 7. Caii ad Edictum prouinciale.*

Idem Iuliani dictum *libro 6. Digeſtorum: Poſſeſſorem haereditatis, quod indebitum exegit reſtituere non debere, nec imputaturum, quod non debitum ſoluit,* refertur ab eodem Vlpiano *libro 15. ad Edictum in l. item veniunt. 20. §. ſed ſi vendidit. 18. vers. nam et Iulianus. de Petit. haeredit.* et *libro 49.* [2] *ad Edictum in l. 2. §. ſolet. 7. de*
452 *Haered. vel action. vend.* Vt appareat non ſolum Tribonianum eſſe battologum et repetitorem.

Regula 126. *Nemo praedo eſt, qui pretium numerauit, de Regul. Iur.* repetitur ex eodem Vlpiano *libro 15. ad Edictum in l. nec vllam. 13. §. ſi quis ſciens. 8. de Petit. haeredit.*

Tigni definitio eadem tribus in locis ponitur. Ex Caio [3] *libro 23. ad Edictum prouinciale in l. tigni. 62. de Verb. ſign.* Ex eodem Caio *libro 2. Rerum cottidianarum, ſiue aureorum in l. adeo. 7. §. cum in ſuo. 10. vers. appellatione. de Adquir. rer. domin.* Item ex Vlpiano *libro 24. ad Edictum in l. tigni. 7. princ. ad Exhibend.*

L. quo-

2 *Ad Edictum*] *Ad Sabinum.*
3 *Libro 23.*] *Libro 26.*

L. quoniam. 10. princ. de Vsufr. ear. rer. quae vsu consum. desumpta est ex *l. et si. 7. in fin. Vsufructuar. quemadm. cau.* ex eodem Vlpiano *libro 79. ad Edictum.*

Marcelli *libro 4. Digestorum* sententia posita *in l. Gaurus. 10. de Seruitut. vrban. praed.* repetitur ex Paulo *libro 3. ad Sabinum in l. si is qui binas. 30. de Vsufructu.*

Iuliani *libro 86. Digestorum* sententia repetitur ab Vlpiano *libro 18. ad Edictum in l. sed et si. 5. in fin. ad Leg. Aquil.* et ab eodem Vlpiano *libro 32. ad Edictum in l. item quaeritur. 13. §. item Iulianus. 4. Locati.*

Sexti quoque Pedii sententia: *Pretia rerum non ex affectione, nec vtilitate singulorum, sed communiter fungi*, refertur a Paulo [4] *libro 1. ad Plautium in l. si seruum. 33. ad Leg. Aquil.* et ab eodem Paulo *libro 2. ad Legem Iuliam et Papiam in l. pretia rerum. 63. ad Leg. Falcid.* quae tamen sententia Legi Aquiliae non quadrat, in qua aestimatio initur eius, quod interest, non pretii communis, vt ibi notaui. 453

L. in noxalibus. 30. de Noxalib. action. paucissimis verbis immutatis repetitur *in l. eorum. 19. de Damn. infect.* et quidem ex eodem Caio *ad Edictum Praetoris vrbani*, libro non adiecto, sed tantum titulo, *de Damno infecto.*

EX

4 *Libro 1. ad Plautium*] *Libro 2.*

EX TERTIA PARTE, DE REBVS CREDITIS.

Turpis eſt battologia et eiusdem ſententiae iisdem verbis relatae repetitio in Florentino quidem exemplari *in l. ſi poenae. 19. §. 1. de Condict. indeb.* Regulam enim, quam initio poſuerat Pomponius *libro 22. ad Sabinum: Quamuis debitum ſibi quis recipiat, tamen ſi is, qui dat, non debitum dat, repetitio competit,* in fin. iisdem prorſus verbis repetit.

Regula, *Nam ſocii mei ſocius meus ſocius non eſt, l. conſilii.* 47. *in fin. de Reg. Iur.* repetitur ex *l. nam ſocii. 20. Pro ſoc.* et quidem ex
454 eodem Vlpiano *libro 30.* et *31. ad Edictum.*

Item Regula, *quae dubitationis. 81. de Reg. Iur.* addito quoque exemplo illuſtrior eſt *in l. qui mutuam. 56. princ. Mandat.* ex eodem tamen Papiniano *libro* 3. *Reſponſorum.*

Commendare nihil aliud eſſe, quam deponere, iisdem verbis teſtantur Papinianus [5] *libro 19. Quaeſtionum in l. Lucius. 24. Depoſit* et Vlpianus in *libro 30. ad Edictum in l. commendare. 186. de Verb. ſignific.*

Regula naturalis, *Neminem cum alterius detrimento fieri debere locupletiorem, l. iure 206. de Reg. Iur.* repetita eſt ex *l. nam hoc. 14. de Condict. indeb.* et quidem ex eodem Pomponio, ſi Florentinas Inſcriptiones ſequimur: licet illic [6] *libro*

5 *Libro 19. Quaeſtionum*] *Libro 9.*

[6] *libro 19. ex Variis Lectionibus*, hic autem *libro 21. ad Sabinum*.

Pomponius eadem pene repetit *libro 6. ex Plautio in l. si a furioso. 12. de Reb. cred.* et *libro singulari Regularum in l. si a furioso. 24. de Action. et obligation.* Sicut et Scaeuola, quam facti speciem posuerat *libro 5. Digestorum in l. vlt. de Pecul.* eandem paucis tantum verbis adiectis repetit *libro 1. Responsorum in l. filiofamilias. 54. illo eodem tit.* Idemque fere admisit Idem Scaeuola *in l. pen.* et *vlt. de In rem verso*.

6 *Libro 19.*] *Libro 9.*

EX QVARTA PARTE, DE PIGNORIBVS. 455

Modestini *libro 2. Excusationum* sententia *ἡ τῶν τέκνων προσηγορία καὶ εἰς τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται*, *l. 104. de Verbor. signif.* repetitur ex eodem Modestini *libro secundo Excusationum in l. 2. §. οὐ μόνον. 7. de Excusation. tutor.*

Reg. *In ambiguis pro dotibus respondere melius, 85. de Reg. Iur.* repetita est ex *l. in ambiguis. 70. de Iure dot.* et quidem ex eodem [7] *libro Pauli 2. Quaestionum.*

Item Reg. *Semper. 197. de Reg. Iur.* repetitur ex *l. semper. 42. de Ritu nupt.* et quidem ex eodem Modestino, *libro singulari de Ritu Nuptiarum.*

Reg.

7 *Libro Pauli 2.*] *Libro. 6.*

Reg. *Nemo a peccato poenitentia sua nocens esse desinit*, licet subiectis diuersis exemplis, repetitur ex eodem Vlpiano *libro* 1. *ad Edictum Aedilium curulium in l. quis sit fugitiuus.* 17. §. 1. *de Aedil. Edict.* et *in l. qui ea mente.* 65. *de Furt.*

L. 4. *de Pignorib.* itemque *l.* 4. *de Fide instrument.* iisdem pene verbis descriptae sunt ex Caio *libro singulari de Formula hypothecaria.*

Quid quod *capita* 80. *et* 83. *de Iure dot.* ex eodem Iauoleni *libro* 6. *ex Posterioribus Labeo-*
456 *nis* eadem prorsus sententia, licet paulum immutatis verbis, descripta sunt?

Nec dissimile multo erratum est sub titulo *de Distract. pignor.* Nam *l. arbiter.* 11. et *l. vlt.* *illius tit.* ex eodem Scaeuola paucis verbis immutatis desumptae sunt: illa quidem [8] *libro* 7. *Responsorum*, haec autem *libro* 6. *Digestorum.* Vt non minus Scaeuolae quam Triboniani verbosa repetitio, et supina negligentia notari debeat.

Caeterum *l. equis.* 8. et 39. *de Vsur.* licet eandem initio sententiam habeant, tamen quia adiectione quadam variantur, et diuersos authores habent, excusari possunt.

Reprobari posse Medicum a Republ. quamuis semel probatum, bis scripsit Modestinus. Primum *libro* 2. *Excusationum in l. ἐὰν δύο.* 6. §. *sed et reprobari.* 6. *de Excusat. tutor.* Et rursus *libro*

8 *Libro* 7. *Responsorum*] *Libro* 1.

libro 11. *Pandectarum in l. vt gradatim.* 11. §. 3. *de Munerib. et honorib.*

EX QVINTA PARTE, DE TESTAMENTIS.

L. carbonum. 167. *de Verb. sign.* eisdem verbis posita est *in l. ligni* 55. §. 7. *de Legat.* 3. eidemque Vlpiano adscribitur *libro* 25. *ad Sabinum.* Vbi et Vlpianus secum pugnans sibique contrarius deprehenditur, vt ad eum locum notaui. Sed et *l. pali et perticae.* vtroque loco additamenti vice subiecta est ex Paulo [9] *libro* 4. *ad Edictum.* 457

Verbum reddendi, quamuis significatum habet retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem, ex eodem Celso *libro* 20. *Digestorum* repetitur *in l. verbum.* 94. *de Verb. sign.* et *in l. cum quidam.* 21. *de Legat.* 2.

Reg. 30. *de Reg. Iur. Nuptias non concubitus, sed consensus facit,* repetitur ex *l. cui fuerit.* 15. *de Condit. et demonstr.* ab eodem Vlpiano descripta tam *libro* 35. quam *libro* 36. *ad Sabinum.*

Item Reg. 195. *de Reg. Iur. Expressa nocent, non expressa non nocent,* repetita est ex *l. nonnumquam.* 52. *in fin. de Condit. et demonstr.* et quidem ex eodem *libro Modestini.* 7. *Differentiarum.*

L. meorum et tuorum. 91. *de Verb. sign.* desumpta est ex *l. si legatus.* 30. §. 1. *ad Senatusc.*

 Trebell.

9 *Libro 4. ad Edictum*] *Libro 4. ad Sabinum.*

Trebell. illa quidem ex Paulo *libro 2. Fideicommiſſorum,* haec autem ex Martiano *libro 8. Inſtitutionum.*

458 EX SEXTA PARTE, DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

Iuliani *libro 49. Digeſtorum* ſententia poſita *in l. 2. de Oper. nou. nunciat.* totidem verbis repetitur ab Vlpiano *libro 71. ad Edictum in l. vn. §. item Iuliano. 4. de Remiſſionib.*

Reg. *l. dediſſe. 76. de Verb. ſign.* repetitur ex eodem Pauli [10] *libro 51. ad Edictum in l. vel permutauit. 19. de Liberal. cauſ.*

Item Reg. *Cui damus,* etc. poſita *in l. inuitus. 156. §. 1. de Reg. Iur.* repetitur ex *l. 1. §. is autem. 4. de Superficieb.* et quidem ex eodem Vlpiani *libro 70. ad Edictum.*

Reg. *Ad ea. 157. de Reg. Iur.* repetitur ex *l. is qui in puteum. 11. §. 7. Quod vi aut clam.* et quidem ex eodem Vlpiani *libro 71. ad Edictum.*

Turpis eſt battologia ſub *tit. de Re iudic.* in quo *cap. 6. princ.* et 18. ex eodem Vlpiani *libro 66. ad Edictum* iisdem prorſus verbis deſcripta ſunt.

Sub eodem *tit. de Re iudic. in l. vlt.* quod Scaeuola *lib. 25. Reſponſorum* ſcripſerat, idem verbis paulum imminutatis repetiit *libro 5. Reſponſorum*

10 *Libro 51. ad Edictum*] Ita etiam liber Florentin. referente Ant. Auguſtino *l. d.* et cum eo Labittus. Gothofr. vtroque loco, forte culpa librariorum, *Libro 50. ad Edictum.*

ſorum in l. negotiorum. 24. princ. de Appellation. Ne ſolum Tribonianum repetitorem putemus. Nam hoc Scaeuolae familiare eſt. 459

Sed et morbi ſontici definitio poſita *in l. quaeſitum. 60. eiusdem tit. de Re iudic.* repetitur *in l. morbus. 113. de Verb. ſign.*

Itemque Regula *l. in condemnatione. 173. princ. de Reg. Iur.* deſumpta eſt ex eodem *tit. de Re iudic. in l. inter eos. 19. in fin.* et quidem ex eodem Paulo *libro 6. ad Plautium.*

Regula, *Deiecit, et qui mandauit, l. hoc iure. 152. §. 1. de Reg. Iur.* deſcripta eſt ex *l. 1. §. deieciſſe. 12. de Vi et vi armat.* et quidem ex eodem Vlpiani *libro 69. ad Edictum.*

L. ſi quis abſentis. 5. §. ſi iudex. 4. de Obligation. et action. et *l. vlt. de Variis et extraordin. cognition.* deſcriptae ſunt ex eodem *libro* *Caii Rerum cottidianarum, ſiue aureorum,* et iisdem verbis repetitae.

EX SEPTIMA PARTE, DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS.

L. famoſi. 7. princ. §. 1. et *2. ad Leg. Iul. Maieſtat.* repetita eſt ex *l. mulierem. 13. §. famoſi. de Accuſation.* licet ex diuerſis Conſultorum libris: nempe haec ex Martiano *lib. 1. de Publicis iudiciis*, illa autem ex Modeſtino *libro 12. Pandectarum.*

L. qui coetu. 5. §. 1. ad Leg. Iul. de vi publ. repetita eſt ex *l. ſi de vi 37. de Iudic.* quamquam 460

ex diuerſis Conſultis: haec ſiquidem Calliſtratum *libro 1. Cognitionum*, illa Martianum *libro 14. Inſtitutionum* authorem habet.

Cauillationis eadem natura et definitio ponitur *in l. natura. 177. de Verb. ſign.* et *in l. ea eſt. 65. de Reg. Iur.* licet haec Iulianum *libro 54. Digeſtorum*, illa autem Vlpianum *libro 47. ad Sabinum* authores habeat.

Latae culpae finis idem eademque definitio ponitur et ab Vlpiano *libro 1. Regularum in l. cedere diem. 213. in fin. de Verb. ſign.* et a Paulo *lib. 2. Sententiarum in l. latae culpae. 223. eod. tit.*

Haereditatis eadem prorſus definitio ponitur a Iuliano *libro 6. Digeſtorum in l. haereditas. 62. de Reg. Iur.* et a Caio *lib. 6. ad Edictum provinciale in l. nihil aliud. 24. de Verb. ſign.*

Regula, *Omnia, quaecumque cauſſae cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt, l. 71. de Reg. Iur.* repetitur ex *l. nec quicquam. 9. §. vbi decretum. 1. de Offic. Proconſ.* et quidem ex eodem Vlpiani [11] *libro 2. de Officio Proconſulis.*

461 Sed et Regula, *Fructus rei eſt, vel pignori dare licere, l. 72. eod. tit.* repetitur ex *l. vlt. de Vſur.* et quidem ex eodem Iauoleno *lib. 3. ex Poſterioribus Labeonis.* Quo loco quam appoſite Regula illa collocata fuerit, viderint ipſi Pandectarum Compoſitores.

Regula,

[11] *Libro 2. de Offic.*] Labittus quoque vtramque legem *ex eodem libro* refert. Gothofr. *d. l. 9. de Offic. Proc.* ex Vlpiani *libro 1. de Offic. Proconſ.* notat tamen in aliis eſſe *lib. 2.* et ita emendaſſe Cuiacium.

Regula, *Cum principalis caussa non consistat, plaerumque nec ea quidem, quae sequuntur, locum habent*, iisdem prorsus verbis (pudendum) sub eodem titulo ponitur, nempe *cap. 129. et 178. de Regul. Iur.* et quidem ex eodem Paulo tam *lib. 21. ad Edictum,* quam *libro 15. ad Plautium.* Vt non solus repetitor sit Tribonianus.

Πρόφασις illa Rescripti D. Antonini ad Marcium Auitum Praetorem, *Etsi nihil facile mutandum est ex solennibus, tamen vbi aequitas euidens poscit, subueniendum est,* posita *in l. Diuus. 7. de In integrum restit.* tamquam Regula Iuris repetitur *in l. etsi. 183. de Reg. Iur.* et quidem ex eodem Marcelli [12] *libro 3. Digestorum.*

12 *Libro 3. Digestorum*] Sic et Labittus. In Gothof. *l. 183. de Reg. Iur.* inscribitur Marcello e *libro 13. Digestorum,* quod haud dubie corruptum est a typographis.

[1] ETYMOLOGIAE IVRIS CIVILIS. 462

EX LIBRO I. DIGESTORVM.

Ius.

Ius est a iustitia appellatum. l. 1. princ. de Iustit. et Iure.

Consules.

Consules dicti sunt ab eo, quod Reipubl. plurimum consulerent. l. 2. §. exactis. 16. de Orig. Iur.

1 *Etymologiae Iuris Ciuilis*] Has post Auctorem nostrum collegerunt Scipio Gentilis *Originum ad Pandectas Libro singulari*, et Menagius *Amoenit. Iur. Ciuil. Cap. XXXIX.*

Aediles.

Aediles appellati ſunt, vt eſſent, qui aedibus praeeſſent. d. l. 2. §. itemque. 21. eod. tit.

Quaeſtores.

Quaeſtores dicti ab eo, quod inquirendae, et conſeruandae pecuniae cauſſa creati erant. d. l. 2. §. deinde cum aerarium. 22. eod. At in l. vn. de Offic. Quaeſtor. *a genere quaerendi Quaeſtores initio dictos, et Iunius, et Trebatius, et Feneſtella ſcribunt.*

463 Serui.

Serui ex eo appellati, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent. Mancipia vero dicta, quod ab hoſtibus manu capiantur. l. 4. de Stat. homin. l. pupillus. 239. §. ſeruorum. 1. de Verb. ſign.

Spurii.

Spurii appellantur παρὰ τὴν σποράν. l. vulgo. 23. eod. tit. de Stat. homin. Plutarchus tamen *in Problematibus* ait, vulgo quaeſitos iis notis antiquitus deſignari ſolitos S. P. et inde *Spurios* appellatos. Quo ſpectat illud Iuſtiniani *in §. ſi aduerſus. 12. Inſtitution. de Nupt.* eos ἀπάτορας, *quaſi ſine patre filios* appellatos: vt eae notae S. P. ea deſignarent, *Sine Patre.*

Quod Theophilus non praetermiſit, qui *eos a Latinis notis dictos* contendit, *quaſi*, etc.

Sanctum.

Sanctum.

Sanctum est, quod ab iniuria hominum munitum atque defensum est. Sanctum autem dictum est a sagminibus. sunt autem sagmina quaedam herbae, quas Legati Populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret: sicut Legati Graecorum ferunt ea, quae vocantur κηρύκεια. Martianus in l. san-
ctum. 8. de Rer. diuis. At in l. sacra, 9. eodem 464
tit. *Sancta* dici vult Vlpianus, *quae sunt sanctione quadam confirmata: vt leges sanctae sunt, quia sunt sanctione quadam subnixae. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum. Et interdum in sanctionibus adiicitur, vt qui ibi aliquid commisit, capite puniatur,* d. l. sacra. §. proprie. 3. eod. tit.

Sacer. Sacrarium.

Sacer locus, est locus consecratus. Sacrarium est locus, in quo sacra reponuntur. d. l. sacra. §. 2. eod. tit.

Adrogatio.

Principis authoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt. quae species adoptionis dicitur adrogatio: quia et is, qui adoptat, rogatur, id est, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, iustum filium esse: et is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. l. 2. princ. de Adoptionib. Aliam huius nominis etymologiam reddit Agellius *Lib. V. cap. 19.* videlicet, quod genus hoc transitus in alienam familiam per Populi rogationem fieret.

465 EX LIBRO II.

Statisdatio. Satisfactio.

Satisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio. Nam vt satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus: ita satisdare dicimur aduersario nostro, cum pro eo, quod a nobis petiit, ita cauemus, vt eum hoc nomine securum faciamus datis fideiussoribus. l. 1. Qui satisdare cog. l. stipulationum. 5. §. 3. de Verb. obligat.

Pactum. Pactio. Pax. Conuentio.

Pactum a pactione dicitur. inde etiam pacis nomen appellatum est. Et est pactio duorum pluriumue in idem placitum et consensus. Conuentionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt. Nam sicuti conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in vnum locum colliguntur, et veniunt: ita et qui ex diuersis animi motibus in vnum consentiunt, id est, in vnam sententiam decurrunt. l. 1. §. 1. 2. et 3. de Pactis. *Pago* verbum est Iuris antiqui, quod in XII. TAB. fragmentis apud Ciceronem *Lib. II. Rhetor. ad Herenn. cap. 13.* et Fabium *Lib. I. cap. 6.* reperitur. Vnde *Pactionis* nomen deductum
466 videri potest. Cicero *Lib. II. Rhetoric. ad Herenn. cap. 13. Pacta sunt quae legibus obseruanda sunt hoc modo, Rem vbi pagunt, Oratione pagunt*, etc.

EX LIBRO III.

Praeuaricator.

Praeuaricator est quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat prodita caussa sua: quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait. Nam qui praeuaricatur, ex vtraque parte constitit: quinimo ex aduersa. l. 4. §. 4. de His qui not. inf. *et* l. 1. de Praeuaricat. *et* l. praeuaricatores. 212. de Verbor. signif.

EX LIBRO IX.

Iniuria.

Iniuriam autem hic accipere nos oportet, non quemadmodum circa iniuriarum actionem, contumeliam quandam: sed quod non iure factum est, hoc est contra ius, id est, si culpa quis occiderit. l. sed et si. 5. §. 1. ad Leg. Aquil.

Occidere.

Occidisse dicitur vulgo quidem, qui mortis caussam quolibet modo praebuit: sed Lege Aquilia is demum teneri visus est, qui adhibita vi, et quasi manu caussam mortis praebuisset: tracta 467
videlicet interpretatione vocis a caedendo, et a caede. l. ita vulneratus. 51. in princ. eod. tit.

EX LIBRO XI.

Monumentum.

Monumentum est, quod memoriae seruandae gratia existit, a monendo deductum. l. 2. §. monumentum. 6. de Religios. et sumptib. funer. Nam et *monumentum generaliter res est memoriae*

moriae caussa in posterum prodita. l. monumentum. 42. eod. tit.

EX LIBRO XII.

Mutuum.

Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit. l. 2. §. appellata. 2. de Reb. cred.

EX LIBRO XIV.

Institor.

Institor appellatus est ex eo, quod negotio gerendo insistat. l. 3. de Institor. action.

EX LIBRO XV.

Peculium.

468 *Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, siue pusillum patrimonium.* l. depositi. 5. §. 3. de Pecul.

EX LIBRO XVI.

Depositum.

Depositum est, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo, quod ponitur. Praepositio enim de auget positum, vt ostendat, totum fidei eius esse commissum, quod ad custodiam rei pertinet. l. 1. in princ. Depositi.

EX LIBRO XIX.

Ruta. Caesa.

Si ruta et caesa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quae eruta sunt: vt arena, creta, et similia: caesa esse, vt arbores caesas, carbones,

bones, et his similia. l. fundi. 17. §. si ruta caesa. 6. de Action. empt. et vend.

EX LIBRO XXI.

Redhibere.

Redhibere est, facere vt rursus habeat venditor, quod habuerat. et, quia id reddendo fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio. l. redhibere. 21. in princ. de Aedil. Edict.

EX LIBRO XXII. '469

Instrumenta.

Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus caussa instrui potest: et ideo tam testimonia, quam personae, instrumentorum loco habentur. l. 1. de Fide instrument.

EX LIBRO XXIII.

Sponsalia.

Sponsalia dicta sunt a spondendo. Nam moris fuit veteribus stipulari, et spondere sibi vxores futuras. Vnde et sponsi sponsaeque appellatio nata est. l. 2. et 3. de Sponsalib.

EX LIBRO XXIV.

Diuortium.

Diuortium vel a diuersitate mentium, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. l. 2. in princ. de Diuort. et repud. l. inter diuortium. 191. de Verb. sign. *et* l. inter stuprum. 101. §. 1. eod. tit.

470 EX LIBRO XXVI.

Tutela. Tutores.

Tutela est, ut Seruius definit, vis ac potestas in capite libero constituta, ad tuendum eum, qui per aetatem sua sponte se defendere nequit, Iure ciuili data ac permissa. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque re ipsa nomen acceperunt. Itaque appellantur Tutores, quasi Tuitores, atque defensores: sicut Aeditui dicuntur, qui aedes tuentur. l. 1. in princ. de Tutel.

Adgnati.

Sunt autem Adgnati, qui per virilis sexus personas cognatione iuncti sunt, quasi a patre cognati. l. sunt autem. 7. de Legitim. tutor. Melius dixisset ab *adnascendo dicti, quasi ad, id est, simul nati.*

EX LIBRO XXIX.

Miles. Exercitus.

Miles appellatur vel a malitia, id est, duritia, quam pro nobis sustinet, aut a multitudine, aut a malo, quod arcere milites solent, aut a Graeco verbo χίλιοι. Vnde χιλιαστὴς tractum est. Nam
471 *ita Graeci τάγμα, et mille hominum numerum appellant, quasi millesimum quemque dicas. Vnde ipsum quoque χιλιάρχας appellant. Exercitus autem nomen ab exercitatione traxit.* l. 1. in fin. de Milit. testam. Porro *Militis* ἔτυμον Eutropius *Lib. I. Rerum Roman.* breuius ac dilucidius multo persecutus est de Romulo loquens: *Mille,* inquit

inquit, *pugnatores delegit, quos a numero Milites appellauit.*

EX LIBRO XXXI.

Reddere.

Verum reddendi quamquam significationem habeat retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem. l. cum quidam. 21. de Legat. 2. l. verbum. 94. de Verb. sign.

EX LIBRO XXXIII.

Suppellex.

Labeo ait originem fuisse suppellectilis, quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quae sub pellibus vsui forent. l. Labeo. 7. de Suppellect. leg.

EX LIBRO XXXIV.

Mundus.

Mundus muliebris est, quo mulier mundior fit.
l. argumento. 25. §. ornamenta. 10. de Auro 472
et argent. legatis.

EX LIBRO XXXVIII.

Cognati.

Cognati appellati sunt, quasi ex vno nati: aut (vt ait Labeo) quasi commune nascendi initium habuerint. l. 1. §. 1. Vnde cognat. l. non facile. 4. §. 1. de Gradib. et adfin. *et* l. Iurisconsultus. 10. §. 1. eod. tit. vbi et a Graeca voce συγγενὴς cognationis nomen deducit.

Con-

Consobrini.

Item consobrini consobrinaeque, id est, qui quaeue ex duabus sororibus nascuntur, quasi consororini l. 1. §. quarto gradu. 6. *et* l. Iurisconsultus. 10. §. quarto gradu. 15. vers. eodem gradu. de Gradib. et adfinib.

Adfines.

Adfines sunt viri et vxoris cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diuersae inter se sicut per nuptias copulantur, et altera ad alterius finem accedit. l. 4. §. sed quoniam. 3. eod. tit.

473 ## Tritauus.

Tritauus quasi tertius auus. l. Iurisconsultus 10. §. sexto gradu. 17. eod. tit.

Consanguinei.

Consanguineos Cassius definit eos, qui sanguine inter se connexi sunt. l. 1. §. consanguineos. 10. de Suis et legitim. haered.

EX LIBRO XXXIX.

Damnum. Damnatio.

Damnum et damnatio ab ademptione, et quasi deminutione patrimonii dicta sunt. l. 3. de Damn. infect.

Publicani.

Publicani sunt, qui publico fruuntur. Nam inde nomen habent, siue fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur. Et omnes qui quid a fisco condu-

conducunt, recte appellantur publicani. l. 1. §. 1. *et* l. quantas. 12. in fin. de Publican.

Donatio.

Donatio dicta eſt a dono, quaſi doni datio, tracta a Graecis. Nam hi dicunt δῶρον καὶ δωρεῖσθαι. l. Senatus. 35. §. 1. de Mort. cauſ. donation.

EX LIBRO XLI. 474

Poſſeſſio.

Poſſeſſio appellata eſt (vt et Labeo ait) a ſedibus, quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo qui inſiſtit, quam Graeci κατοχὴν dicunt. l. 1. princ. de Adquir. poſſeſſ.

EX LIBRO XLIII.

Solarium.

Si tamen obſtet id aedificium publico vſui, vtique is qui operibus publicis procurat, debebit id deponere: aut ſi non obſtet, ſolarium ei imponere. Sic enim vectigal hoc appellatur ex eo, quod pro ſolo pendatur. l. 2. §. ſi quis. 17. Ne quid in loco public.

Vicinales Viae.

Vicinales viae ſunt, quae in vicis ſunt, vel quae in vicos ducunt. d. l. 2. §. viarum. 22. Ne quid in loc. public.

Statio.

Stationem a ſtatuendo dicimus. Is igitur locus demonſtratur, vbicumque naues tuto ſtare poſſunt. l. 1. §. ſtationem. 13. de Fluminib.

475 Lacus.

Lacus est, quod perpetuam habet aquam. Stagnum est, quod temporalem continet aquam, ibidem stagnantem. l. 1. §. lacus. 3. Vt in flum. public.

Riuales. Riuus. Specus. Spectacula. Incile.

Si inter riuales, qui per eundem riuum aquam ducunt, sit contentio de aquae vsu, vtroque suum esse contendente, duplex Interdictum vtrique competit. l. 1. §. si inter. 26. de Aqua cottid. et aestiu. *Riuus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat, cui nomen est ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. Specus autem locus est, ex quo despicitur, inde spectacula dicta.* l. 1. §. 2. et 3. de Riuis. *Incile autem est locus depressus ad latus fluminum, ex eo dictus quod incidatur.* Ibidem §. 5.

Precarium.

Precarium est, quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. l. 1. princ. de Precar.

Exhibere.

Exhibere est in publicum producere, et videndi
476 *tangendique hominibus facultatem praebere. Proprie autem exhibere est, extra secretum habere.* l. 3. §. ait Praetor. 8. de Libero hom. exhib.

EX LIBRO XLVI.

Nouatio.

Nouatio a nouo nomen accepit, et a noua obligatione. l. 1. in princ. de Nouation.

Stipula-

Stipulationes iudiciales, et cautionales.

Iudiciales ſtipulationes dicimus, quae propter iudicium interponuntur, vt ratum fiat, etc. *Et ſciendum eſt, omnes ſtipulationes natura ſua cautionales eſſe. Hoc enim agitur in ſtipulationibus, vt quis cautior ſit, et ſecurior interpoſita ſtipulatione* l. 1. §. 1. et 4. de Stipulat. praetor.

EX LIBRO XLVII.

Furtum.

Furtum a furuo, id eſt, nigro, dictum Labeo ait, quod clam et obſcure fiat, et plaerumque nocte: vel a fraude, vt Sabinus ait: Et a ferendo et auferendo: vel a Graeco ſermone, qui Φῶρας *appellant fures. Imo et Graeci* ἀπὸ τοῦ φέρειν φῶρας *dixerunt* l. 1. in princ. de Furtis.

Tignum.

Tigni appellatione continetur omnis materia, 477
ex qua aedificium conſtet, vineaeque neceſſaria. vnde quidam aiunt tegulas quoque, et lapidem, et caementa, caeteraque, ſi qua aedificiis ſunt vtilia: tigna enim a tegendo dicta ſunt. hoc amplius et calcem, et arenam appellatione tignorum contineri. l. 1. de Tigno iunct.

Turba.

Turbam appellatam Labeo ait ex genere tumultus, idque verbum ex Graeco tractum, ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν. l. 4. §. 2. Vi bonor. raptor.

Iniuria. Contumelia. Conuicium.

Iniuria ex eo dicta eſt, quod non iure fiat. Omne enim quod non iure fit, iniuria fieri dicitur.

l. 1. in princ. de Iniur. Et paulo post: *Interdum iniquitatem iniuriam dicimus. Nam cum quis inique, vel iniuste sententiam dixerit, ex eo iniuriam dictam, quod iure et iustitia caret, quasi non iuriam. Contumeliam autem, a contemnendo.* d. l. 1. princ. de Iniur. *Conuicium dicitur vel a concitatione, vel a conuentu, hoc est, collatione vocum. Cum enim in vnum complures voces conferuntur,*
478 *conuicium appellatur, quasi conuocium.* l. 15. §. 4. de Iniur.

EX LIBRO XLVIII.

Stuprum. Adulterium.

Lex stuprum et adulterium promiscue et καταχρηστικώτερον *appellat. Sed proprie adulterium in nuptam committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine. Stuprum vero in viduam, virginemue committitur, quod Graeci* φθορὰν *appellant.* l. inter liberas. 6. § lex stuprum. 1. ad Leg. Iul. de adult. *et* l. inter stuprum. 101. in princ. de Verb. signif.

EX LIBRO L.

Municipes.

Proprie municipes appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem, vt munera nobiscum facerent. l. munus. 18. in fin. de Verb. signif. *et* l. 1. §. 1. ad Municipal.

Stipendium. Tributum.

Stipendium a stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica aera colligatur. Idem hoc etiam
479 *tributum appellari Pomponius ait. Et sane appellatur*

latur ab intributione tributum: vel ex eo, quod militibus tribuatur. l. ager. 27. de Verb. ſign.

Sylua caedua. Stipula illecta. Glans caduca. Sylua paſcua.

Sylua caedua eſt, vt quidam putant, quae in hoc habetur, vt caederetur. Seruius eam eſſe, quae ſuccisa rurſus ex ſtirpibus aut radicibus renaſcitur. Stipula illecta, ſicut ſpicae in meſſem deiectae necdum lectae. Glans caduca eſt, quae ex arbore recidit. Paſcua ſylua eſt, quae paſtui pecudum deſtinata eſt. l. ſylua. 30. eod. tit.

Pratum.

Pratum eſt, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt, ex eo dictum, quod paratum ſit ad fructum capiendum. l. pratum. 31. eod. tit.

Deteſtatio.

Deteſtatio eſt denuntiatio facta cum teſtatione. l. deteſtatio. 40. de Verb. ſign.

Bona. 480

Bonorum appellatio aut ciuilis, aut naturalis eſt. Naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc eſt, quod beatos faciunt. Beare eſt prodeſſe. l. bonorum. 49. de Verb. ſignif.

Magiſtri. Magiſtratus.

Quibus praecipua cura rerum incumbit, et qui magis quam caeteri, diligentiam et ſollicitudinem rebus, quibus praeſunt, debent, hi Magiſtri appellantur. Quin etiam et ipſi Magiſtratus per deriuationem a Magiſtris cognominantur. Vnde

etiam cuiuslibet disciplinae praeceptores Magistros appellari, a monendo, vel monstrando. l. quibus. 57. de Verb. signif.

Portus Angiportum.

Portus appellatio est conclusus locus, quo importantur merces, et inde exportantur: eaque nihilominus statio est conclusa atque munita. Inde angiportum est. l. portus. 59. eod. tit.

481 ## Dimissoriae literae.

Dimissoriae literae dictae, quae vulgo dicuntur apostoli. Dimissoriae autem dictae, quod per eas caussa ad eum, qui appellatus est, dimittitur. l. dimissoriae. 106. de Verb. signif.

Sequester.

Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur. l. sequester 110. de Verb. signif.

Tugurium. Toga.

Offilius ait, tugurium a tecto, tanquam tegularium esse dictum: vt toga, quod ea tegamur. l. tugurium. 180. de Verb. sign.

Taberna. Tabernacula. Contubernales.

Tabernae appellatio declarat omne vtile ad habitandum aedificium. Nempe ex eo quod tabulis clauditur. l. tabernae. 183. de Verb. signif. *Vnde tabernacula, et contubernales dicti sunt.* l. vnde. 184. eod. tit.

Donum.

Donum. 482

Inter donum, et munus hoc interest, quod inter genus et speciem. Nam genus esse donum Labeo ait; a donando dictum: munus speciem. Nam munus esse donum cum caussa, vt puta natalitium, nuptalitium. l. inter donum. 194. de Verb. signif.

Calumniator. Cauillatio.

Si caluitur, et moretur, et frustretur. Inde et calumniatores appellati sunt, quia per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus. inde et cauillatio dicta est. l. si caluitur. 233. princ. eod. tit.

Telum. Βέλος.

Telum vulgo quidem id appellatur, quod arcu mittitur: sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, vt et lapis, et lignum, et ferrum hoc nomine contineatur: dictumque ab eo, quod in longinquum mittitur, Graeca voce figuratum ἀπὸ τȣ̃ τηλȣ̃. Et hanc significationem invenire possumus et in Graeco nomine. Nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant: eoque nomine vulgo quidem id significatur, quod ab arcu mittitur, sed non minus omne significatur, quod 483
mittitur manu, ἀπὸ τȣ̃ βάλλεσθαι. d. l. si calvitur. 233. §. 1. eod.

Perduelles.

Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adiectionem indicantes cum quibus bellum esset. l. quos nos. 234. de Verb. sign. Nam *bellum* antiquitus dictum esse quasi *duellum* vel pueris Grammaticorum notum est.

Pignus.

Pignus appellatum a pugno: quia res, quae pignori dantur, manu traduntur. Vnde etiam videri potest verum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui. l. plebs. 238. §. pignus. 2. eod. tit.

Decuriones. Vrbs. Oppidum. Territorium.

Decuriones quidam dictos aiunt ex eo, quod initio, cum coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit. Vrbs ab vrbo appellata est. Vrbare est aratro definire, et Varus ait, vrbum appellari curuaturam aratri, quod in vrbe condenda adhiberi solet. Oppi-
484 *dum ab ope dicitur, quod eius rei caussa moenia sunt constituta. Territorium est vniuersitas agrorum intra fines cuiusque ciuitatis: quod ab eo dictum quidam aiunt, quod Magistratus eius loci intra eos fines terrendi, id est, summouendi ius habet.* l. pupillus. 239. §. 5. et seqq. eodem tit.

Vidua. Vecors. Vesanus.

Viduam non solum eam, quae aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quae virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic dicta est, quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate esset. similiter viduam dictam esse sine duitate. l. malum. 242. §. viduam. 3. eod. tit.

Absoluta haec leuioris operae monumenta
Sedani, Prid. Cal. Ianuar.
CIↃ IↃ LXXVI.

INDEX

INDEX LEGVM

DE QVARVM LATINITATE VEL SENTENTIA IN HOC LIBRO AGITVR.

E Pandectis.

l. 9.

l. 15.

l. 212.

E Codice Iustinian.

Ex Institutionibus.



INDEX

AVCTORVM VETERVM

qui laudantur et illuſtrantur.

Plinius



IN-

INDEX RERVM

ET VERBORVM.

Liber

Pallium,

Reci-

Stipen-

Tute.

FINIS.

